PRIORUM QUATUOR DE CULTU SANCTORUM DISSERTATIONUM A D. JOANNE...

Giovanni Crisostomo Trombelli,
Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
26 B
7

MAG 12B

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRIORUM QUATUOR

De Cultu Sanctorum Dissertationum

A D. JOANNE CHRYSOSTOMO TROMBELLI

BONONIENSI

Can. Reg. Congregationis Rhenanæ, & S. Salvatoris Bononiæ Abbate

Anno MDCCXL. Editarum

VINDICIÆ

Adversus Viri Clarissimi

JOANNIS RUDOLPHI KIESLINGII

Prof. P. in Academ. Lipsiens.

EXERCITATIONES ANTI-TROMBELLIANAS

Serenissimo ac Reverendissimo Augustæ Antistiti, ac Principi

JOSEPHO

LANTGRAVIO HASSIÆ DARMSTAT DICATÆ:

Auctore Philalethe Aphobo,

BONONIENSI, EJUSDEM CONGREGATIONIS CANONICO.

BONONIÆ. MDCCLI.

Ex Typographia Longhi. *Superiorum permissu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Sereniſſimo ac Reverendiſſimo

AUGUSTÆ ANTISTITI AC PRINCIPI

JOSEPHO

LANTGRAVIO HASSIÆ DARMSTAT

S. P. D.

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI

S. Salvatoris Bononiæ Abbas.

Ptavi jam dudum, Sereniſſime, & Reverendiſſime Antiſtes, & Princeps, publico aliquo, manifeſtoque argumento palam oſtendere, quanti Te, Tuamque virtutem faciam: An non

Digitized by Google

etenim eum amem, & colam, quem avitæ nobilitatis ſplendor, eximia familiæ decora, & cum Principibus etiam ſummis contracta affinitas, Epiſcopales quoque Infulæ illuſtrant, atque ornant, dum tamen idem ille non modo erga Deum piiſſimus, verum etiam erga omnes, tametſi illi ſubjectos, & longe ab ejus dignitate diſſitos, comiſſimus, ac humaniſſimus ſit? Eum qui bonas litteras, & Eccleſiaſticam eruditionem & fovet, & pro viribus per latiſſimam Diœceſim ſuam propagare ſtudet, & amplificare? Eum qui litteratos Viros diligit adeo, æſtimatque, ut eos ſæpe convivas accerſat, & familiariter cum illis verſetur? Eum qui Italos, & Cives præſertim meos, tanti facit, ut illos curarum ſocios eſſe velit, & adjutores? Eum qui non modo hæreſes, quibus veluti circumdatur, & undique obſidetur illius ditio, verum etiam errores omnes a præſtantiſſima, eademque ampliſſima Diœceſi ſua removere nititur, & propulſare? Atque id ſane teſtatum faciunt litteræ Tuæ, Sereniſſime, ac Reverendiſſime Antiſtes, & Princeps, ad Sanctiſſimum, eumdemque litteratiſſimum Benedictum XIV. in quibus eum de nova quadam, eaque illaudabili Spiritus Sancti imagine conſuluiſti, itidemque litteræ ab eo ad Te datæ, quibus zelum Tuum atque induſtriam mirifice commendat ac laudat, & certos canones ſtatuit, quibus probabiles Sanctiſſimæ Trinitatis imagines efformentur.

Quod tamen hactenus perficere minime potui, nullo ſcilicet ſe mihi offerente argumento, quo obſequii erga Te mei teſtificationem aliquam exhiberem, tandem

dem aliquando consequor, occasionem præbente vestrate Kieslingio, qui lutherana litteratura a primæva ætate imbutus, passus non est, eam a me Dissertationibus illis impeti, quas ad vindicandum a Catholicis delatum Cælitibus cultum, decem fere ab hinc annis Bononiæ edidi. Negligi potuissent quidem quæ idem Kieslingius adversus me, & dogmata nostra effundit; præoccupata sunt enim vel a me, vel certe a Theologis nostris. Sed ne glorietur ille (quod sæpe facit) se deviciſſe ac prostravisse Catholicos, responsionem Kieslingii lucubrationibus adhiberi voluit idem ille Sanctissimus Pontifex Benedictus XIV, quem rursus honoris causa nomino, quique Dissertationes meas sæpe, cum laude aliqua, allegans in rem suam, manifesto utique declarat, tuendæ Catholicorum causæ minime inutiles eas fuisse. Quæcunque itaque tanti Pontificis jussu, ad ea adversus Kieslingii Exercitationes vindicanda, quæ a me olim conscripta sunt, ideoque ad vindicandas sanctissimas consuetudines nostras, & instituta majorum, paucis ab hinc mensibus elucubrata sunt, Tibi offero, Sereniſſime, & Reverendiſſime Antistes, & Princeps, meritorum Tuorum, obsequiique erga Te mei perenne argumentum futura. Tu, qua soles, humanitate, ea excipe, meque Tibi, Tuoque Nomini, ac Virtutibus deditissimum esse scito.

VI-

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO

JOANNI RUDOLPHO KIESLINGIO

In Lipſienſi Academia Linguæ Hebraicæ

PUBLICO PROFESSORI

PHILALETHES APHOBUS CAN. REG. S. SALVATORIS

S. D.

Udierat pridem Reverendiſſimus Pater D. Joannes Chryſoſtomus Trombelli, te Kieslingi Clariſſime adverſus diſſertationes *De Sanctorum cultu* ab eo elucubratas, calamum exercuiſſe: neque id illi diſplicuit: *etenim* [docente Auguſtino [*a*], & experientia ipſa comprobante] *ex hæreticis aſſerta eſt Catholica, & ex his, qui male ſentiunt, probati ſunt, qui bene ſentiunt.* Statim ergo ea volumina perquiſivit, quæ tu adverſus eaſdem diſſertationes ediderat. Quæ ubi demum a doctiſſimo, eodemque humaniſſimo Cardinale Quirino, dono accepit, ſtatim legere incepit, eo animo, ut Scripta ſua, & Catholicæ Eccleſiæ dogmata aſſereret, ſed pro more humaniſſime, ac ſine contentione, ac jurgio. Manum jam operi admoverat, proſecuturus quod cœperat, quum eum propoſiti ſui pœnituit. Vidit enim te, qui ſincerum in referendis illius ſententiis te fore promiſeras (*b*), adeo promiſſa negligere, ut quæ ipſe ſentit, fæpiſſime non exponas: quamvis enim illius verba interdum re-

[*a*] In Pſal. 54. n. 22.

[*b*] *Verba Venerabilis Abbatis accurate, ut ipſa fluunt, appoſui, neque ullam litteram mutavi, ne falcem in alienam mitterem meſſem.* (In Præfa. §. XXVI. pag. 39.) = *Sexto omnem adhibui curam, ut argumenta, in quibus rei vertitur cardo, accuratiori mentis trutina examinarem, & ea, quantum in viribus fuit poſitum, rite diſcuterem, atque omnes expurgarem nævos.* Ibi. §. XXVII. pag. 40.

Digitized by Google

referas, non integra tamen refers, ſed hinc atque illinc excerpta, & veluti delibata, ex quibus ſane germana, atque auctoris abſoluta ſententia deduci non poteſt: plurima vero prætermittas, quæ maxime ad rem pertinent: veluti eſt illud, quod copioſe ad aſſerendam Patrum auctoritatem, atque ad eorum vindicandos Sermones Trombellius proſecutus eſt [c], & ea fere omnia, quæ diſſertatione IV ad ſolvendas Proteſtantium difficultates copioſe attulit. Vidit te accuſantem eum, quod *craſſos & graves* defendat *errores* (*d*); quod *manibus interpolatricibus* plurima Sacræ Scripturæ dicta pertractet, eiſque interpretationes falſas, & prorſus novas adhibeat (*e*); quod Pauli verba deteſtabilem in modum diſtorqueat (*f*); quod Patres corrodat (*g*); quod Sacris Scripturis, & Patribus violentas injiciat manus (*h*); quod dictis imminutis & detortis primitivæ Eccleſiæ uſu ſuas approbet ſententias (*i*); quod eſquipedalibus utatur verbis: harum vero, aliarumque graviſſimarum accuſationum aut nullas, aut certe tam leves afferas probationes, ut ſtatim ex per ſe diſſolvantur, atque evaneſcant: probationum autem loco contumelias adhibeas, veluti cum per contemptum *acutuli ingenii* hominem eum nominas [*k*], & *boni* vocabulo compellas (*l*), atque adeo, quod turpiſſimum eſt, veluti Bellarmini fœces recoquentem

[c] Videantur propoſita a Trombellio Capitibus XXI, & ſubſequentibus quatuor Diſſertationis III. pag. 141, & ſubſequentibus, donec pervenias ad 168. partis I. Tomi I.

(*d*) Præfat. pag. 35. *quin imo tam craſſos & graves Venerabilis Abbas defendit errores.*

(*e*) *Videbis plurima Scripturæ Sacræ dicta manibus tractata interpolatricibus & affecta interpretationibus & falſis, & prorſus novis.* Præfat. pag. 38.

(*f*) *D. Pauli verba deteſtabilem in modum detorquet.* pag. 339.

(*g*) *Quem locum* (Tertulliani) *arrodit Ven. Trombellius.* pag. 15.

[*h*] pag. 259. *Doleo Venerabilem Abbatem in hoc capite eo delabi . . . ut plurima Sacræ Scripturæ effata peſſime invertat, & ipſis manus injiciat violentas.*

(*i*) Præf. pag. 35. *Trombellius ut Romanenſium de Cultu Sanctorum ſententiam, contra Proteſtantes firmiter ſtabiliat, & ex variis dictis imminutis, & detortis, & primitivæ Eccleſiæ uſu approbat. In his Diſſertationibus ſeſquipedalia profert verba.*

tem [m] redarguas. Amovit ille ſtatim manum, indignum ratus cum adverſario decertare, qui veteribus ſuorum ſtrophis nihil adjungat, niſi inanem eruditionem loco non ſuo oſtentatam, & phraſes e culina (n), atque adeo ex latrinis (o) depromptas, & maledicta, adeo diligens ceteroqui, & doctus, ut auctores in rem ſuam adducat, qui palam ſibi adverſantur, & ſæpiſſime objectiones tanquam probationes accipiat, ideoque refutet. At veritus, netu, qui homo glorioſus es, apud Lipſienſes extolleres virtutem tuam, quaſi illa ſcripſiſſes, quæ a Catholicis refutari non poſſent, juſſit me primum tomum tuum refutare; iis tamen omiſſis, quæ in defenſionem Lutheri tui non minus copioſe, quam inepte ſcripſiſti. Quid enim illa cum diſſertationibus, quas Trombellius *de cultu Sanctorum* ſcripſit, & tu refutandas ſuſcipis? Ceterum tam *pacis ſtudioſum* in ea præfatione Lutherum probas, quam perficæ linguæ peritum; neque enim de eo argumento, a quo præfationem denominas, reipſa diſſeris, ſed, quod deinceps etiam conſuevisti, huc illuc ſine ordine, ac propoſito tranſilis, & dummodo plurima effutias, & chartas dictis multis infercias, nihil tibi curæ eſt, quam recte diſputes. Præfatus hactenus ſum; neque enim, quod tu ſoles, verboſus eſſe, Kieslingi, volo, & ſtatim exercitationes illas aggredior, quas tomo primo comprehendis. Atque ex harum quidem refutatione aſſequetur Lector, quid de reliquis libris tuis dijudicandum ſit. Neque vero deinceps quemquam e noſtris, niſi forte otioſus is ſit, Kieslingi, invenies, qui cantilenis, atque aberrationsbus tuis reſponſionem ullam adhibeat.

AD

(k) *Acutulum Viri Venerabilis ingenium.* pag. 202.

[l] *Audi bone Trombelli* pag. 23. *Sed bonus Trombellius* pag. 415.

(m) *Actum agit Venerabilis Abbas, qui Bellarmini feces recoquit* pag. 332.

[n] *In his verbis ſibi quod puer in faba inveniſſe putat.* pag. 277. *hoc argumentum celerius ſolvitur, quam coquantur aſparagi &c.*

[o] *Prompti ſunt ..., in crepundiis, & cacandis omnis generis miraculis.* pag. 438.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM I.

CAPUT PRIMUM.

Proponuntur, quæ adverſus Primam Kieslingii exercitationem dicenda ducimus; atque iis ad tria capita coarctatis primum inſtituimus; ideſt Cenſorem hunc noſtrum recte non enarraſſe quæ tradit Trombellius; immo nec ipſum quæſtionis ſtatum probe expoſuiſſe.

Umaniſſime tecum agere, Kieslingi, volo, & plurima omittere, quæ reprehendere ſi vellem, poſſum; propterea vero omitto, quod adverſus Trombellium ea ſcripta non ſunt: nam illius tantum vindicias in me aſſumpſi. Præfationem itaque totam alteri relinquo expendendam; ſi quis tamen erit, qui hoc in argumento verſari rurſus velit, poſtquam in eo ſumma cum laude ſe exercuit Boſſuetus, qui quidquid tu, Kieslingi, de Lutheri bonitate enarras, prævenit: adeo ut niſi *hiſtoriam variationum* a Boſſueto evulgatam refellas, paucos ſis habiturus, qui Præfationi tuæ plaudant. Cave tamen, ne, ſi alia edas, hæc rurſus jactites (*a*): *Hoc veritatis clypeo, & teſtudine tectus confidenter in ſcenam prodeo.* Num vera proponas, deinceps ſcies. At quæ de Clypeo, & de teſtudine memoras, qua tectus confidenter in ſcenam prodis, adeo te ſimilem *glorioſo illi Militi*, qui Plautinæ fabulæ nomen dedit, faciunt, ut niſi me Catholicæ Eccleſiæ offenſa dignitas, & vetuſta erga Trombellium reverentia cogeret, puderet me cum tam futili jactatore congredi.

Quoniam porro tua inordinata ac confuſa diſputandi ratio vetat, ne ego te ſequar: (quis enim, niſi tui ſit plane ſimilis, te ſequi poſſit, qui modo huc, modo illuc circumſilis?) coarcto reprehenſionem prioris tuæ Exercitationis ad tria capita, in quorum priore oſtendam, te recte non enarraſſe quæ tradit Trombellius, immo nec ipſum [uti

(*a*) Præfat. pag. 36.

dicere consuevimus] *quæstionis statum* probe exposuisse. Ostendam secundo: non refutasse quæ idem Trombellius tradit, sed vel invitum tuis ipsis verbis approbasse. In tertio, te quædam puerilia proposuisse, non pauca arrogantia, alia ad rem præsentem minime pertinentia, alia vero vel leviſſima, vel certe alibi rejecta & dissoluta a Trombellio.

2 Venio ad primum. Trombellius amotis, & ad Grammaticos rejectis significationibus vocis *cultus* a re nostra alienis, eamque vocem accipiens quatenus a Theologis accipi solet, Cultum esse ait, [*a*] *Protestationem excellentiæ rei alicujus, quam animo agnoscimus, & honoramus: tum etiam, si opus sit, externis quibusdam signis ad id institutis palam exhibemus.* Subdidit & hæc: *Quod si excellentia illa sita sit in Supremo dominio, quod habeat in res omnes illud, quidquid est, quod colimus, tum cultus divinus illi defertur, eumque qui creaturæ adhibet, contra rectam rationem peccat, ac Deum offendit, cum id Creaturæ deferat, quod Deo tantum deferri debet. Si vero minor illa sit, ex præstantia Creaturæ illius, atque excellentia, quam colimus, & genus, & gradus, ut ita appellem, aliaque plurima desumet cultus. Hinc cultum in tot & genera, & gradus dividere possumus, quot sunt genera & gradus excellentiarum, quas agnoscimus & honoramus. Hinc mirum non est, si vocabulum hoc Cultus perinde usurpetur ad significandum summum illud obsequium, quod Deo debemus, atque illud multo minus, quod Principes etiam merito exposcunt.*

3 Tum id auctoritate Tertulliani probat; quippe Tertullianus verbum *colo*, a quo sane vox *cultus* derivatur, adhibet tum ad denotandum summum illud obsequium, quod Deo debemus, tum ad illud multo inferius, quod Christiani ipsi deferebant Imperatoribus. Sacrum vero cultum, seu honorem (nam uti diximus, hic *cultum* pro honore accipimus, seu pro *protestatione excellentiæ rei alicujus*) a Catholicis dividi in tria genera, idem Trombellius ait, quorum primum Deo debetur, & *Latria* appellatur, *Dulia* alterum, *Hyperdulia* denique tertium. *Latria* vero dicitur cultus qui Deo defertur, sive quia ea vox in ea significatione accipitur in Scriptura (*b*), quæ uni Deo præcipit adhiberi latriam [*illi soli servies*, seu *illi soli latriam adhibebis*] id approbante Augustino [*c*] iis verbis: λατρεία *secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum*: sive quia ea vox provenit a verbo τρέω, idest *tremere*, ut nonnulli ajunt: tremoris autem vehementissimi Deus solus objectum est: hinc *Timor Isaac* appellatus est a Jacobo: idest objectum timoris Isaac: (*d*) *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi*: Atque eadem significatione accipitur versiculis 2. 12. & 24. capitis VI. Deute., & alibi etiam. (*e*).

4 *Du-*

(*a*) Cap. I. pag. 9. (*b*) Deut. 6. 13. Matth. 4. 10. (*c*) X. de Civit. cap. 1. n. 2. (*d*) Gen. 31. 42. [*e*] Deut. X. 20. &c.

4 *Dulia* vero quamvis antiquitus ſumeretur pro ſervitute generatim accepta, nunc ſumitur pro obſequio, quod deferimus Sanctis ob excellentiam, quam in iis agnoſcimus.

Hyperdulia autem ſumitur ad denotandum obſequium illud, quod Mariæ Sanctiſſimæ deferimus. Quod ſi penitius inveſtiges, non aliud eſt, niſi proteſtatio excellentiæ majoris, quam in Maria agnoſcimus ex eo quia Divini Verbi genitrix effecta eſt, plurimaque in eam ſingularia plane beneficia contulit Deus. Quam ob rem, ſi recte hyperduliam expendes, eſt ſpecies quædam honoris illius quem Duliam vocamus, ſed præſtantior, ſicut dignitate, & excellentia Sanctorum præſtantior eſt Mariæ dignitas & excellentia. Hæc ſunt quæ capite primo proponit Trombellius.

5 Quid tu vero Kieslingi? Ita rem proponis, ut ea quæ ab eo inſtituitur controverſia hæc ſit. *Num adoratio ad DIVINUM cultum coarctata ſpectet ad religioſam illam venerationem, quæ ſoli Deo convenit. Num cultus religioſus dividatur in tres ſpecies nuper enumeratas; Num cultus religioſus, quatenus ad Deum reſtringitur, tribui poſſit etiam Deiparæ, & Sanctis*: idque *negari a Proteſtantibus, affirmari a Pontificiis* ais: *Num conjuncta ſit genuflexio, & affines alii exteriores obſequii actus cum latria, ſeu illius generis adoratione quam Deo tantum tribuimus*. An ea quæ narro, fingimus? Nihil minus. Hæc ſane in numero V. hujuſce tuæ exercitationis Kieslingi Clariſſime legimus [*a*]. *Nihil igitur certius eſt his teſtimoniis, adorationem, ſi de cultu divino eſt ſermo, ad venerationem quæ ſoli Deo competit, ſpectare religioſam. Sed tamen tantum abeſt, ut in hoc ſenſu, & ſignificatu acquieſcant Romanenſes, ut potius hanc vocem, ſi de Angelis, aut hominibus, quibus adoratio offertur, ſermo eſt, de Dulia, & externa reverentiæ nota interpretentur*. An de his, loco hoc agere ſibi propoſuerat Trombellius? Minime vero. Quamquam id ipſum, quod tu ais, a vero alieniſſimum eſt, & nemo Catholicorum negat adorationem, quum ad divinum cultum ſignificandum coarctatur, ſoli Deo adhiberi poſſe. Nemo quoque vocem *adoratio*, quum ad homines viventes, & ad Sanctos mortuos, & Angelos coarctatur, reſtringit ad externam tantummodo reverentiæ notam: Principes enim & Magiſtratus intimo etiam affectu honoramus, non exterioribus tantum honoris argumentis. Idem dic de Sanctis hominibus, & Angelis bonis.

6 Quod vero ita controverſiam, quæ nos inter, & Proteſtantes agitur, proponas, ut quæratur: (*b*) *Num cultus religioſus dividatur in tres ſpecies nuper enumeratas, Latriam nempe, Duliam, Hyperduliam*, declarant ea, quæ in ipſo Exercitationis tuæ limine ſtatuis. *Conſideraturus primum primæ Diſſertationis caput, offendo Trombellium omnes intendere nervos, ut definitionem cultus religioſi ad Romanenſium adferat palatum, & diviſionem inter Latriam, Hyperduliam, & Duliam gypſa-*

(*a*) Pag. 5. (*b*) Pag. 1.

Digitized by Google

tissimis nobis persuadeat manibus = Quos cultus religiosi actus, si de Deo sumantur, facile admitto. (*a*) = *Nostra proinde meditatio potissimum versatur circa cultum religiosum &c.* [*b*] Et rursus ex Joanne Fechtio Bellarminum reprehendente (*c*): *Sed hi non sunt actus cultus religiosi, sed honoris &c.* Tamen ne unum quidem verbum in hac Trombellii dissertatione invenies Kieslingi, quo monearis de cultu religioso hic agi: immo deinceps apertissime monet Trombellius (*d*), inter domestica, amicaque Catholicorum dissidia recensen quæstionem hanc: *num cultus quem deferimus Sanctis: religiosus appellari debeat, an tantum sacer.* [*e*] Alibi vero perspicue exponit, qua significatione appellari *religiosus* is possit (*f*), quod dum exsequitur, palam ostendit quantum differat cultus qui Deo defertur, ab eo, qui defertur Deiparæ, & Sanctis.

7 Quod vero etiam doceas controversiæ summam hanc esse: *Num cultus religiosus, quatenus ad Deum restringitur, tribui etiam possit Deiparæ, & Sanctis*: idque negari a Protestantibus, affirmari a Catholicis; plane eruitur ex iis, quæ sæpe in hac tua priori Exercitatione tradis. Pauciſſima excerpo (*g*). *Vera cultus religiosi, quem appellamus interum, indoles, & natura consistit in demissa animi observantia, qua virtutes, & perfectiones in Deo conspicuas pie veneramur. Propullulat amor, quem splendor tot, tantarumque excellentiarum, quæ in Deo sunt, in nobis excitat &c.* & deinceps (*h*) Joannem Rainoldum citans, hæc illum docentem inducis, & approbas. *Quisquis creaturæ divinum cultum exhibet, committit Idololatriam. At Papistæ cultum divinum exhibent creaturæ in Sanctorum, Reliquiarum, Imaginum, rerum consecratarum, & Sacramenti Eucharistiæ veneratione. Papistæ igitur in Sanctorum, Reliquiarum, & Sacramenti Eucharistiæ veneratione, committunt Idololatriam.* Nulla tamen horum mentio in eo, quod vexas, Trombellii capite fit: immo is apertissime protestatur [*i*] *errare eos, qui Romanam Ecclesiam propterea reprehendunt, quod Christo Sanctos æquet, parilem illis cum Christo tribuendo mediationem, ideoque invocationem & cultum*: ideoque etiam errare eos qui putant [nullus tamen Catholicorum id putat], portionem aliquam Divini cultus tribui Sanctis. Scilicet hæc falsa sunt prorsus, & temere nobis a Protestantibus imputata.

8 Sed jam tertium expediendum est, scilicet ita te quæstionem proponere, ut disputetur, *num genuflexio & exteriores alii genuflexioni affines actus cum latria, & adoratione rigorose accepta, quæque Deo soli conveniat, conjuncti sint*. Nimirum Trombellium redarguis, [*k*] quod *divellat hæc duo, & latriam ad solum Deum, incurvationem vero simul ad Deum, & ad Sanctos, & alios referat*: tum copiosissime ad probandum assumis re vera *genuflexionem* certum argumentum esse *Latriæ*. Sed quid hæc cum iis, de quibus nunc agimus? Alibi aptissime

(*a*) §. 1. pag. 2. (*b*) §. 2. pag. 2. (*c*) §. 10. pag. 14. (*d*) cap. 4. n. 9. pag. 30. (*e*) cap. 4. §. 9. (*f*) Dis. IV. cap. 22. pag. 306. [*g*] §. X. pag. 22. (*h*) pag. 24. (*i*) cap. I. n. VI. pag. 28. [*k*] §. 4. pag. 3.

Digitized by Google

ſime hæc pertractantur, ubi ſcilicet de cultu ipſo Sanctis adhibito peculiariter agitur, nec nomina tantummodo ſpecierum Sacri cultus proponuntur, & explicantur, id quod hic agitur. Et revera de genuflexione, aliiſque affinibus honoris argumentis copioſe diſſeruit Trombellius Capite XXIII. Diſſertationis IV. Atque ad eum quidem locum tua pertinent argumenta, quæcunque tandem illa ſint. *Videris* igitur (Kieſlingi clariſſime, quem iis alloqui libet verbis, quibus Petilianum allocutus eſt Auguſtinus (*a*)) *videris*, inquam, *quomodo teſtimonia poſueris, vel quomodo intellexeris, nihil ad rem de qua nunc agitur.*

CAPUT II.

Non refutaſſe Kieslingium, ſed vel invitum ſuis ipſis verbis approbaſſe quæ idem Trombellius tradit.

1 JAm vero aggredimur ſecundum reprehenſionum caput: *Te ſcilicet non refutaſſe quæ Trombellius tradit, ſed vel invitum tuis ipſis verbis aperte approbaſſe.* Dic mihi, Kieslingi, quomodo ea refutaſti, quæ de cultu generatim accepto docet Trombellius? Eum ſcilicet generatim acceptum aptiſſime definiri: [*b*] *Confeſſionem quandam*, & [ut fere appellant] *proteſtationem excellentiæ rei alicujus, quam animo agnoſcimus, & honoramus, tum etiam, ſi opus ſit, externis quibuſdam ſignis ad id inſtitutis palam exhibemus.* Monuiſti [*c*] *cultum tibi eſſe officium, quod Homo ſoli Deo, & ratione, & revelatione recte cognito, ea quam nobis commendavit, ratione, ex intimo animi affectu, & externo pietatis, & reverentiæ ſtudio ſubmiſſe defert.* Sed quidnam affers, ut priore repulſa definitione, cui apertiſſime favent Tertullianus, & Auguſtinus, (*d*) hanc tuam merito ſubſtituas? Nihil plane: niſi quod *vobis id libet. Cultus nobis eſt officium &c.* Sed ſcrupulum qui ſtatim id legenti ſuboritur, Kieslingi clariſſime evelle, obſecro. Si Angelus Deo ratione & revelatione cognito officium intimo animi affectu, & externo pietatis, & reverentiæ ſtudio ſubmiſſe deferat, Deum ne colet? Colet utique, te (ut puto) ipſo judice. Tu tamen definitionem tuam ad hominem coarctaſti: *Eſt officium quod homo &c.* Cur vero? cum fateantur omnes, & ratio ipſa apertiſſime oſtendat, ab Angelis non minus

(*a*) Contra Petilia. lib. 2. cap. 28. [*b*] cap. I. §. 1. (*c*) n. 2. pag. 2.
[*d*] Tertulliani verba allata ſunt a Trombellio pag. 10. *Colimus ergo & Imperatorem &c.* & tu ipſe adducis, & approbas. Auguſtinum porro allegavit Trombellius pag. 15. Sed eum hic quoque afferre libet. *Proinde ſi tantummodo cultus ipſe dicatur, non ſoli Deo deberi videtur; dicimus enim colere etiam homines, quos honorifica vel recordatione, vel præſentia frequentamus. Lib. X. de Civi. cap. 1. n. 2.*

minus coli Deum, quam colatur ab Homine: Quid? quod docent omnes Deum etiam intimo affectu coli ab eo, qui externa proferre obsequia prohibetur, veluti si vinctus funibus Martyr sit [*a*]. Cur ergo ita definitionem tuam exhibes, ut utrumque, intimum scilicet seu animi, externum quoque, seu corporis obsequium ita expoſcas, ut si alterum desit, officium illud, *cultus* non sit?

2 Sed reliqua prosequamur, ostendamusque *te vel invitum, tuisque ipsis verbis aperte approbasse quæ in Trombellio reprehendis*. Dic, obsecro, Kieslingi clarissime. Nonne ea quæ tradidit Trombellius, is approbat qui fatetur Patres trium priorum seculorum, quorum sententias amplectitur, ab eodem Trombellio fuisse allatos in eundem plane sensum quem ipse recipit? Utique dices. Id si ita se habet: tu sane ea approbas quæ in Trombellio reprehendis. Reprehendis scilicet eam cultus definitionem quam ille dederat, tuamque illam substituis, quam nuper expendimus: quia porro Tertullianum attulerat in rem suam Trombellius, tu, quæ tua est humanitas, Tertulliani *roſorem* eundem Trombellium appellas [*b*]. Licet tamen definitionem eam reprehendas, eam haud obscure excipis, dum fateris a Tertulliano sumptam fuisse aliquando vocem *cultus* non in stricta significatione, ad quam tu eam coarctas, dum ad divinum honorem coarctas, sed in multo ampliori, quatenus ab eo sumpta est ad eum honorem significandum, quem Principibus deferimus (*c*): Fateris itaque recte *cultum* definitum fuisse a Trombellio: *Protestationem excellentiæ rei alicujus, quam animo agnoscimus & honoramus &c.* honor enim quem Imperatoribus deferebant Christiani ipsi, protestatio quædam erat excellentiæ in iis residentis, ideoque fateris recte allegatum fuisse a Trombellio Tertullianum. Cur etiam ad refellendum Trombellium Limborchum adducis (*d*) hæc tradentem? *Non videtur* [Cornelius] *credidisse, Petrum esse Angelum: non enim verisimile est, Cornelium credidisse, Angelum sibi mandasse, ut alium ad se evocaret Angelum, qui si fuisset Angelus, procul dubio, jussu Dei sponte, quemadmodum ipse, ad ipsum venturus fuisset: multo minus, quod Angelus hospitio Simonis Coriarii uteretur, cuique nomen Simon, & Cognomen Petrus: quæ omnia evidenter ostendunt, Angelum illi designare voluisse hominem, quem ad se accerseret. Nec contrarium ostendunt verba Petri, Cornelium coram se procumbentem alloquentis.* Surge, nam & ego sum homo. *Non enim ex illis liquet, Cornelium credidisse, Petrum non esse hominem: sed Petrus*

[*a*] Vide verba Jonæ Aurelianensis citata a Trombellio pag. 21.

[*b*] Tertullianus, qui hæc de Cultu Religioso: *NOS UNUM DEUM*, inquit, *colimus .... Quem locum arrodit Venerabilis Trombellius &c.* Pag. 15. Kiesl.

[*c*] *Quem locum arrodit Ven. Trombellius; & eidem subsequens Tertulliani effatum opponit.* Colimus ergo & Imperatorem sic & quomodo licet &c. *sed æquus rerum censor hoc dictum haud fugillabit, quum in posteriori loco Tertullianus aperte de honore, & officio in Imperatores, & Principes agat.*

[*d*] §. 6. pag. 7.

Digitized by Google

trus modeſte amolitur eximium, quem ſibi Cornelius deferebat honorem, dicendo, ſe hominem illi ſimilem, iiſdemque infirmitatibus obnoxium eſſe, ac proinde inconveniens eſſe, ut coram ſe procumberet.

An non ipſiſſima Trombellius docuerat his verbis: (*a*) *Volunt alii, comitatis, aut humilitatis cujuſdam cauſa repulſſe Petrum illud reverentiæ atque obſequii argumentum, quod adhibebat Cornelius. Optabat ſcilicet ille, familiariter cum eo agere, eaque humanitate ſibi amiciorem, & ad diſcenda fidei noſtræ myſteria paratiorem reddere*; cum enim Trombellius explicationem hanc minime rejiciat, haud obſcure indicat, eam veriſimillimam a ſe judicari.

3 Quid? Quod etiam ea, quæ de *adorationis* vocabulo, ejuſque variis ſignificationibus Trombellius tradidit, & tu reprehendis num. VII., VIII. & alibi etiam, a te deinceps non modo approbantur, verum etiam ita approbantur, ut ſuffragatores adjungas. Me vera tradere is fatebitur, qui numerum hujuſce Capitis undecimum conſulet. At tua ipſa verba Kieslingi repetere libet: ſunt enim ad rem noſtram valde opportuna. „ *Quem locum arrodit Vener. Trombellius, & eidem ſubſe-* „ *quens Tertulliani effatum opponit. Colimus ergo & Imperatorem* „ *ſic & quomodo nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecun-* „ *dum, & quicquid eſt a Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem.* Sed „ æquus rerum cenſor hoc dictum haud fugillabit, quum in poſte- „ riori loco Tertullianus aperte de honore & officio in Imperatores „ & Principes agat. *Hos coluerunt primi Chriſtiani, memores mandati* „ *Chriſti*: Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; Matth. 22. v. 21. Et Pau- „ lus. Date unicuique quod ipſi debetis, honor [*b*] cui honor de- „ betur &c. „ Quibus quidem verbis tuis nihil acceptius eſſe po- terat Trombellio, quatenus tu ipſe fateris cultos ſuiſſe a trium prio- rum ſæculorum Chriſtianis, Chriſti & Pauli præcepto edoctis, Im- peratores. *Hos coluerunt primi Chriſtiani &c.* & cultum pro civili ho- nore ſumis, quatenus ſumis pro eo honore, quem Principibus defe- rendum eſſe ſtatuit Paulus.

4 At age rurſus Kieslingi clariſſime. Tu vis plane errare Trom- bellium, & Catholicos reliquos, dum genua iis etiam flectunt, quæ Deus non ſunt (*c*): eos vehementer redarguis, & ſuperſtitionis accuſas: in eos demum hæc intorques comitatis illius argumenta quam tu tantopere jactitas: (*d*) *Evaneſcit proinde Romanæ Eccleſiæ figmentum, quo ex verbo* genuflexio [*e*] *cultum aliquem externum, & dubium exculpere allaborant, ut cultum Sanctorum religioſum aggere quodam muniant.* Tamen tu ipſe fateris genua flecti etiam poſſe civilis humanique cu-

juſ-

(*a*) Diſſ. IV. cap. 3. pag. 281. (*b*) *honorem* ut puto.

(*c*) *Artiſſimo vinculo genuflexionem, & latriam conjunxit Chriſtus. Utraque pars ad divinum ſpectat honorem, & prima non minus eſt prohibita, quam altera. §. IV. pag. 4.* (*d*) §. 7. pag. 10. [*e*] *Non tamen de verbo, ſed de ritu ipſo nos diſputamus, dicimuſque genua nos ſine reprehenſione ſic etiam flectere, qui Deus non ſunt.* Trombel. Diſſer. IV. cap. 4.

Digitized by Google

jusdam honoris causa. (*a*)

[*a*] *Hoc non negamus, vocem* genuflexio *quandoque de honore mere civili, & humano legi, quia Hebraorum, aliarumque gentium consuetudo talem corporis demissionem*, & incurvationem *fuisse, ut vel ex* Cononе *edidimus, qui venerationem quam Persæ προσκυνεῖν dicere amabant, recusavit &c.* §. V. pag. 5. Et n. 3. Exercitationis VIII. pag. 51. „ Si de adoratione, „ quæ soli Deo competit, agitur, externa hæc corporis demissio cum interno „ animo affectu semper est conjuncta. Id autem in civili honoris, seu, si a„ doratio magis arridet, cultu non offenditur. Possumus citra religiosam „ aliquam ADORATIONEM, omnibus reverentiæ, & honoris notis ex„ ternis regi, aut proceribus nostrum declarare obsequium, sed inde non se„ quitur cultus adorationis religiosus. In cultu vero Sanctorum, eorumque „ Reliquiarum, & Imaginum non est mera externa, & civilis, sed re„ ligiosa *adoratio*: quod non solum ex his figuris externis, sed spe, „ fiducia, fideque in imaginibus, Sanctisque quos exhibent, collocata, „ immo votis, & desideriis coram Imaginibus, effusis, satis apparet. „ Bene, ac sapienter majores nostri hoc discrimen inter cultum religiosum, qui Deo defertur, & honorem civilem qui creaturis adhi„ betur, in verbo, *adorare*, observarunt, & sæpius vocem *prosternere* „ selegerunt, ut omnem omnino superstitiosæ adorationis notam ex a„ nimis auditorum suorum extingueret. Secutus est Lutherus alias ver„ siones, quæ vocem, *adorare*, in variis locis quoque per vocem *pro„ sternere* expressrunt. Rem nonnullis testimoniis confirmabo. Locus, „ qui *Genes. XVIII.* 2. extat, in vulgata versione ita fluit: *Et adora„ vit in terram*. Parum recedunt aliæ versiones, quæ, ut Syriaca, & „ Targum Onkelos, & Arabica verba ita exprimunt: *Adoravit in ter„ ram, & super terram*. Hebræo-Samaritana vocem, *adoravit*, haud „ vitiose ita reddidit: *Prostravit se in terram*. Accuratiori itaque exa„ mini nostram submittimus versionem, ut videamus, num ipsi circa„ hoc verbum *adorare*, insit discrimen. Biblia, quæ extant, Pentapla „ hoc, quod tantopere urget Vener. *Mabilius* discrimen planius edo„ cent. Effatum Genes. XVIII. com. 2. secundum versionem vulgatam„ ita fluit. *Adoravit Abrahamus in terram*: sed Lutherana, & aliæ „ versiones verbum *adorare* per demissionem in terram pronuntiarunt. „ Desiderat itaque *Mabilius*, Religionis Lutheranæ obtrectator, verbum„ *adorare*. Eadem fere verba retinent excitatæ versiones, cap. XIX. „ com. 1. Genes. in quo de apparitione duorum agitur Angelorum„ quos ex mente versionis vulgatæ ita excepit Abrahamus. *Adoravit „ pronus in terram*. Reliquæ versiones iterum verbum *adoravit* silen„ tio involvunt, & rem ita exprimunt, *demisit se, prostravit se in ter„ ram*. „ Reliqua omitto, utpote multa: sed quæ profecto ostendunt id ipsum, quod Trombellius hic vult. Præ reliquis notanda sunt ea verba Calmeti, quæ Kieslingius affert: *Actus exterior quo Deum adora„ mus, alius prorsus non erat ab eo, quo homines excipiebantur, sed interiori dumtaxat animi sensu distinguebatur*. Et vero approbat Kieslingius, dum hæc adjungit. *Circumspecte judicat Calmetus, & reipsa cultum, seu honorem externum intelligit, quia hanc admittit sententiam: Abraham hos viros pro hospitibus, quos hospitalitatis jure dignos censuit, forte agnovisse, & iis debitum humanitatis officium apud Orientales populos receptum, præstitisse.*

CAPUT

CAPUT III.

Quædam puerilia, non pauca arrogantia, alia ad rem præsentem minime pertinentia, alia vero vel leviſſima, vel certe alibi diſſoluta, fuiſſe a Kieslingio hic inſerta.

1 TErtium porro ex iis, quæ propoſuimus, expediamus, oſtendamuſque, *quædam puerilia, non pauca arrogantia: alia ad rem præſentem minime pertinentia: alia vero vel leviſſima, vel certe alibi diſſoluta a Trombellio*, fuiſſe hic a Kieslingio inſerta. An non puerilia ſunt iſta? [*a*] *Offendo Trombellium omnes intendere nervos, ut definitionem cultus Religioſi ad Romanenſium adferat palatum.* Omitto verbum *offendo* hic a te ſumi in ea ſignificatione qua pauci ſument: Sed quis omittet, quæ deinceps ais: *ſcilicet Trombellium nervos omnes intendere, ut definitionem ad Romanenſium adferat palatum*? An obſonium aliquod definitio illa eſt? an coquus Trombellius, qui ut palato convivarum ſatisfaciat, nervos omnes intendat? Kieslingi mi, dum Theologicis libris, in quibus rigidiſſimum cenſorem agis, tam lepidum initium das, *hic populus ridet &c.*

2 Sed ſubſequentia perſequamur [*b*]. *Chorda hic Venerabilis Abbas cum Thoma Aquinate, & Bellarmino, ut reliqua Eccleſiæ Romanæ lumina omittam, eadem oberrat.* Gratias tibi maximas Trombellius impendet, Cenſorum Coryphæe Kieslingi, quod Thomam Aquinatem Virum ſummum in ſententiam ſuam allegaris: quem ipſe omiſerat. Sed utinam id non amæne feciſſes, nec citharœdos deſcribereres D. Thomam, Bellarminum, & Trombellium. Quid obſecro, Kieslingi, Theologiæ *cum chordis*, quibus oberrare ais Trombellium cum D. Thoma, & Bellarmino? Quamquam & rurſus lepidiſſime loqueris, cum Chordis miſces lumina Romanæ Eccleſiæ. *Chorda cum Thoma Aquinate, & Bellarmino, ut reliqua Eccleſiæ Romanæ lumina omittam, eadem oberrat*, & figmentum evanidum facis. *Evaneſcit proinde Romanæ Eccleſiæ figmentum &c.* [*c*] O præclaras, elegantesque, & te magiſtro dignas metaphoras! Oh incomparabilem dicendi peritiam, quam, ut cetera omittam, manifeſto etiam comprobant ingenioſiſſimæ illæ allegoriæ, quas deinceps ex Kieslingio recitabo!

3 Sed quò ſpectant, quæ proxime ſequuntur? *Ovo vix ſimilius eſt ovum, quam illa cultus ratio, quam ſuppeditat purpuratus Robertus Bellarminus, cujus verba, ut veritas tanto magis ſua radiet luce, appono* (*d*). Quis, niſi Kieslingius is ſit, miretur, quod eadem Trom-

 bellius

(*a*) Pag. 1. (*b*) Pag. 2. (*c*) Pag. 10. [*d*] §. 1. pag. 2.

Digitized by Google

bellius doceat, quæ Bellarminus, cum eadem omnes, quod tu ipse fateris [a], doceamus? cultum scilicet adæquate sumptum tres actus complecti: *Intellectius, quo excellentiam alicujus apprehendimus: Voluntatis, quo nos illi interius inclinamus: exteriorem denique actum, quo caput inclinamus, vel genuflectimus, vel aliquod aliud signum subjectionis ostendimus.*

4 Puerilia item hæc sunt (b). *In cujus sententiam recentiores Ecclesiæ Orientalis Patres a Romanensibus præstigiis quasi occecati descendunt = Verbis hic Gabriel* (Philadelphiensis) *quæ alias valent sicuti Nummi, veluti TESSERIS LUDIT &c.* Quis enim nisi infantissimus is sit, Græcos dicet a Latinorum præstigiis quasi occæcari? veluti Latini præstigiis uterentur, & Græci se a Latinis obcæcari finerent, cum Græci Latinos nunc vehementer oderint, & ingeniosi sint maxime. Illa vero quæ de verborum pretio & usu dicis, tam amœna sunt, mi Kieslingi, ut si ea audiret Rhetoricus aliquis, exclamaret procul dubio: *Belle, argute, egregie: O schema lepidissimum!*

5 An non vero puerile est, quod de Sanctis cælesti beatitudine potiris his verbis profers: [c] *rude jam inter cœlites donatos?* An non alia tibi suppetebat loquendi formula, Kieslingi, ut gladiatorum munere suo functorum similes Sanctos faceres, ideoque *rude*, item ut abjectissimum illud hominum genus, a Deo donarentur? An non mille tibi occurrere poterant ad id ipsum denotandum phrases, quas Scriptura ipsa plurimas habet, & valde elegantes? sed hoc dicendi genus amat Kieslingius ille, qui nos hominum *superstitiosissimos, & infantissimos* sæpissime appellat.

6 Puerile pariter illud est. [d] *Nemo tam temerarius est, qui hoc non profiteatur* (Dominum Deum tuum adorabis) [e] *cujus Nucleum nobis demonstrat Jesus dictum ad divinum pertinere cultum.* Quis, nisi similis tui sit, Christi, & Scripturarum verba nucibus similia dicat, & sensum quem continent, nucleo?

7 Arrogantia vero quis non fateatur ea, quibus in limine ipso tuæ Exercitationis Trombellium impetis: (f) *divisionem inter latriam, hyperduliam, & duliam gypsatissimis nobis persuadeat manibus?* Num modesta sunt illa? [g] *Evanescit proinde Romanæ Ecclesiæ figmentum, quo ex verbo* genuflexio, *cultum aliquem externum, & duliam exculpere allaborant, ut cultum Sanctorum religiosum, aggere quodam muniant.* Num ista (h)? *Placet tamen sensum quorumdam Patrum ..... ad repellendos Pontificiorum insultus, & tricas adferre?* Num denique alia superioribus simillima? (i) *Laterem enim lavant Pontificii, qui hanc sui pertinacitatis maculam suæ Ecclesiæ abstergere allaborant, & cultum quem suis*

(a) *Chorda cum Thoma Aquinate, & Bellarmino, ut reliqua Ecclesiæ Romanæ lumina omittam, eadem oberrat* §. 1. pag. 2. [b] §. 9. pag. 11. & 12.
(c) §. 3. pag. 3. (d) §. 4. pag. 4. (e) Matth. 4. 10. (f) §. 1. pag. 1. [g] §. 7. pag. 10. [h] §. 8. pag. 10. (i) §. 10. pag. 13.

Digitized by Google

suis excellentiis, nempe Angelis, Sanctis, eorumque Reliquiis, & Imaginibus præstant, tricis, & variis coloribus, excusant.

8 Sed quot ampullas continet illud! [a] *Exponant mihi rationes* (ad Catholicos omnes sermonem vertit, & grandes minas) *quibus Angelus motus sit, ut hoc grati animi signum a se amoveret, quod sine omni vitio recipere poterat. Nam hic cultus Angelis deferri potest, quod omnes quotquot legi Romanenses uno ore confirmant &c.* Tanto vero postremum hoc arrogantius, quanto certius est eas quas tu exposcis rationes, fuisse a Trombellio in hac ipsa tomi prioris parte copiosissime expositas (b).

9 Sed ostendamus etiam alia, quæ propositimus: ac primo quidem *nonnulla ad rem præsentem minime pertinentia a te fuisse in hanc Exercitationem illata.* Quamquam id facile agnoscet, qui ea quæ numeris IV. & sequentibus capitis I. tradidi, recolet: Hæc tamen interea omittamus. Num ad rem pertinent, quæ adversus Calmetum intorques? Quid Trombellio cum Calmeto? an cuncta quæ Calmetus adducit, Trombellius approbat? an non etiam ab eo non raro discedit? cur itaque plures paginas infercis, quasi Trombellium oppugnaturus, cum interea Calmeti tantummodo memineris, illiusque dicta ad oppugnandum tibi proponas: recte ne, an secus, judicet æquus Lector. Cur etiam Limborchii monita adducis, perinde quasi ea revereri, excipereque cogeretur Calmetus, aut non ipsissima Trombellius traderet?

10 At saltem ea quæ attulisti, vim aliquam in se haberent. Sed *ea sane levissima sunt, aut si forte quidquam habent virium, jam pridem soluta sunt a Trombellio.* Expendamus ea obsecro. Nisi plane fallor, ad tria capita revocari possunt. Ad ea scilicet testimonia, quæ cultum omnem, te quidem judice, adimunt Sanctis, quatenus uni Deo adhiberi illum jubent: Ad ea quoque, quæ exteriora quædam cultus argumenta, quæ nos deferimus Sanctis, illis deferri vetant, (soli quippe Deo ea deferenda esse, si tibi credimus, docent): ad ea denique, quæ utrumque continent: jubent scilicet Deum solum animo coli, jubent quoque Deo solum exteriora illa honoris, cultusque argumenta deferri, quæ Catholici deferunt Sanctis. Incipiamus a primo. [c] Christus Dominus [d] hæc ait: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo.* Paulus quoque (e) *Date unicuique quod ipsi debetis: bonor* (f), *cui honor debetur.* Atque ad hæc quidem Scripturæ loca respexit Clemens Alexandrinus, dum hæc tradidit [g]. *Oportet Græcos per legem discere, & prophetas; colere unum Deum, qui est vere omnipotens.* Et pridem ostendit Dalleus (h)

(a) §. 7. pag. 9. (b) Differt. IV. cap. 10. pag. 172. &c. (c) §. 11. pag. 15. (d) Matth. 22. 21. (e) Rom. 13. 7. (f) legendum puto *honorem*. [g] lib. 6. stromat. pag. 693. Editio. Colon. (h) adversus Latino. de cultus Religioso objecto lib. I. cap. I. pag. 1. Edit. Gene. 1665.

Digitized by Google

Solum Deum, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum Sanctum esse unicum & solum cultus religiosi objectum. Quem quidem cultum cum reliquis aliis tribuissent Hebræi, merito acerrime reprehensi sunt. Nimirum (*a*) „ Actorum VII. 43. Stephanus, qui primo loco inter „ Jesu testes collocatur, Senioribus Summi Senatus Sacri hæc obii„ cit: *An non adhibuistis Molochi tabernaculum, Remphanisque Dei* „ *vestri Sydus, quæ vos finxistis ad adorandum?* „ (quæ verba ad hunc modum vulgatus interpres vertit: *Et suscepistis tabernaculum Moloch, & Sydus Dei vestri Remphan, figuras quas fecisti adorare eas.*) Quibus recitatis hæc infers: „ Nihil igitur certius est „ his testimoniis, *adorationem*, si de cultu divino est sermo, ad ve„ nerationem, quæ soli Deo competit, spectare Religiosam. Sed „ tantum abest ut in hoc sensu & significatu acquiescant Romanen„ ses, ut potius hanc vocem, si de Angelis, aut hominibus, qui„ bus adoratio offertur, sermo est, de Dulia, & externa reverentiæ „ nota interpretentur. „

11 Si verbum *adoratio* ad exterius obsequium respiciat, ad secundum caput pertinere commode potest illud quod nuper retulimus testimonium: sed certe pertinent subsequentia, quæ tu Kieslingi Clariss. copiose exequeris (*b*), ego vero in panca contraham, nullas tamen vires illis detrahens. Act. XI. v. 25. & 26. *Cornelius ad Petri pedes lapsus, eum veneratus est. At Petrus eum allevavit. Surge* [inquit], *ego quoque homo sum.* Ac tu quidem putas Duliam adhibitam fuisse Petro a Cornelio centurione, eandemque ipsam Duliam repulsam fuisse a Petro, qui propterea exemplo suo improbum esse declaravit tam præclarum obsequii genus, si quando hominibus defertur. Quod porro Dulia adhibita Petro fuerit a Cornelio Centurione, Calmeti auctoritate comprobas. Rursus ex Apoca. XIX. 10. & XXII. 8. aslequimur cecidisse loannem ante pedes Angeli, ut eum adoraret: prohibitum porro fuisse Joannem iis verbis: *Vide ne hoc feceris. Conservus tuus sum, & fratrum tuorum, qui habent testimonium Jesu: Deum adora.* At Duliam egregia hac honoris significatione delatam tantummodo fuisse a Joanne, affirmat idem ille Calmetus, quem nuper allegavimus. Itaque si deferri hanc sibi vetuit Angelus, propterea vetuit, quod neque Duliam sibi adhiberi patiebatur, neque ad Duliam declarandam tam insigne honoris genus, cujusmodi est genuum flexio, & corporis demissio, pertinere posse perspexerat; sunt quippe Latriæ, non Duliæ argumenta ista. Ad hæc [*c*] „ Spiritus „ Sanctus, qui est Scripturæ S. interpres omni exceptione major, pla„ num hujus vocis sensum suggerit, & de cultu interpretatur reli„ gioso, qui Bestiæ & imagini ipsius pessime exhibetur. Apoca. XIV. „ 9. *Si quis bestiam & ejus imaginem veneratur, notamque in frontem,* „ *manumque suam admittit, is etiam fevum Dei vinum potabit.* „

(*a*) An-

(*a*) §. 5. pag. 5. (*b*) §. 6. & 7. pag. 6. & subseq. (*c*) Kiesl. §. 7. pag. 10.

Digitized by Google

[a] Antiquiſſimi Patres id ipſum affirmant, quippe genuflexionem certum Latriæ argumentum eſſe docent. (b) „ Juſtinus Martyr ſtre„ nuus rerum Chriſtianarum defenſor, plus una vice *genuflexionem*, „ ſcilicet *adorationem* de vero Dei cultu eodemque religioſo uſurpat. „ Chriſtianorum pietatem in Deum, & officium in Imperatores & „ Magiſtratus gentilibus ob oculos ponens, ad verba Chriſti: *Date* „ *Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei*, ita commentatur: „ proinde *nos ſolum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti in„ ſervimus*. Cum Tryphone Judæo ſic diſputat. *Judæos hunc Chri„ ſtum reiicere, venturum autem, & paſſurum, & regnaturum, & „ adorabilem Deum futurum confiteri*. Cui aſſentitur Clemens Ale„ xandrinus, qui Gentilibus idololatriam abſurdam plane & ſtupen„ dam exponit, quod ſint *ſuperſtitioſi lapidum adoratores*. Occupet „ ex multis, qui excitari poſſent, auctoribus ultimum Dionyſius Ale„ xandrinus locum, qui cum Chriſtianis in Ægypto degentibus hanc „ fidei profeſſus eſt doctrinam. *Nos* (inquit) *quidem unum Deum* „ *omnium rerum opificem, qui Valeriano & Gallieno Sacratiſſimis* „ *Auguſtis Imperium tradidit, colimus & adoramus*. „ His recitatis hæc ſubiicis. „ Rapuerunt deinceps Patres Concilii Nicæni II. cum e„ juſdem Præſide Taraſio hoc verbum ad ſuam libidinem, & de„ adoratione, & Imaginum cultu illud ſunt interpretati; *Venerabi„ les imagines, & adorandas, & exoſculandas, & colendas eſſe decre„ verunt*. Ne vero vox Græcis ſatis nota, & uſu trita eſſet offenſæ, pro externo quodam amoris, & favoris ſigno hanc adorationem eſt interpretatus Taraſius. Ita enim indignus, ut ſe appellitat, hujus „ Concilii Præſes, & vere hoc munere indignus Taraſius hæc verba „ oſculari & adorare conſociat & connectit, ut Romanenſibus nullum „ remanſerit ſubterfugium hanc imaginum exoſculationem pro mero „ honore explicantibus externo. *Imagines* (inquit) *ſunt adorandæ*, „ *ideſt ſalutandæ. Id ipſum enim eſt utrumque*: προσκύνησις *quippe anti„ qua Græca lingua & ſalutare, & oſculari ſignificat*: πρός *præpoſi„ tio augmentum quoddam ſignificat amoris: quemadmodum φίλω & „ προσφέρω, κύσω, & προσκύσω, κύω, & προσκύνω, quod ſalutationem indicat, „ & ſecundum protenſionem amicitiam. Quod enim quis oſculatur „ & adorat, & quod adorat, profecto & oſculatur*; Si igitur hujus Concilii Decreta ſua faciunt Romanenſes, profiteantur neceſſe eſt, „ ſe imagines quibus oſcula imprimunt, adorare, & proinde in cul„ tum Dei religioſum graviter peccare. Si enim adoratio ſoli Deo „ debetur, religioſa oſculatio vero ad cultum ſpectat religioſum, „ ſequitur imaginum exoſculationem religioſæ Dei adorationi eſſe „ contrariam. „

12 Ad

(a) Vulgata noſtra ad hunc modum verba illa reddit. *Si quis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero &c.*

(b) Kieſ. §. 8. pag. 10.

Digitized by Google

12 Ad tertium porro caput, quod scilicet ea complectitur testimonia, quibus & simul jubemur Deum solum animo colere, & illi soli ea honoris cultusque argumenta deferre, quæ Catholici deferunt Sanctis, hæc pertinent. Exodi xx. 5. & Deu. v. 9. [*a*] hæc inculcantur. *Non te incurvabis* [Diis] *neque iis servies*. Quæ verba sæpius repetuntur, & Israelitis in memoriam revocantur. Immerito vero ita hæc accipiuntur a Pontificiis, ut solos Judæos afficiant, ideoque in Christianorum potestate relinquatur Angelos invocare & colere; uti quidem Romanus Catechismus evitandæ difficultatis causa tradit. *Fucatis* [ais tu Kieslingi (*b*)] *utuntur argumentis, quibus nobis persuadent, hæc præcepta ad gentem tantummodo Judaicam, ad superstitionem, & idololatriam mirum in modum proclivem, spectare. Se nullo modo, ajunt, adorare Sanctos, tanquam idola, & falsos Deos, sed ut amicos, Deo admodum familiares, rude jamjam inter Cælites donatos, neque hos tantum, sed cultu quodam respectivo, & relativo Deum ipsum colere. Omnis res nunc huc redit, ut virtutem hujus præcepti ex mente Mosis rite expiscemur, & ad ipsius normam, quam suggessit Christus, bene interpretemur.* Rursus „ Christus Dominus Dæmonem perurgentem ut se coleret, his verbis repulit. (*c*) *Dominum* „ *Deum tuum adorabis, & illi soli servies*; quæ verba ita tu exhibes: *Dominum Deum tuum adorato, illumque solum colito*. Ad quæ „ quidem verba hæc tu adnotas. Nemo tam temerarius est, qui non „ profiteatur, hoc, cujus nucleum nobis demonstrat Jesus, dictum, „ ad divinum pertinere cultum. Mandatum ipsum, quod duas in se „ continet partes, est copulativum. Arctissimo vinculo genuflexionem „ & latriam conjungit Christus. Utraque pars ad divinum spectat „ honorem, & prima minus non est prohibita quam altera. Recte „ explicuit hæc verba Cel. Fridericus Spanhemius. *Vis* (*d*) [inquit] „ *infertur non verbis modo, sed & scopo Christi, qui est Satanam repellere, flagitantem* προσκύνησιν [adorationem] v. 9. *Si jam ita Deus est adorandus, ut non solus, infirma Christi responsio. Si etiam soli Deo* λατρίνυσον *quidem non soli* προσκυνήτεον, *proclive Satanæ reponere, se non* λατρώας *postulasse, verum* προσκύνησιν. Quæ itaque conjunxit Deus Divinæ veritatis interpres, divelli non debent. „ Soli Deo, & adoratio, & genuflexio debetur; non autem ut Romanenses volunt, genuflexio quoque Sanctis, ipsorumque imaginibus „ est exhibenda. „

13 At audi Kieslingi Clarissime, quàm facile ista, in quibus tibi blandiris, nos dissolvamus. Quæ desumuntur ex Matth. 22. v. 21. *Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo*, inopportuna sunt plane. Quis e Catholicis convenientem non tribuit Deo honorem? Quis etiam non docet Principi persolvenda esse vectigalia? Id tamen, non aliud quidpiam inculcatur his Christi verbis. Affinis est explicatio

(*a*) Kiesl. §. 3. pag. 3. (*b*) pag. 3. (*c*) Matth. 4. 10. &c. (*d*) §. 4. pag. 4.

Digitized by Google

catio verborum Apoſtoli Pauli: *Date unicuique &c.* in quibus ſcilicet officia memorat, quæ præſtare Principibus Chriſtiani etiam debent. An ex his infers nullum Sanctis honorem adhiberi poſſe, errareque Catholicos, dum re ipſa adhibent? Clemens Alexandrinus verbum *colere* ſumit *rigoroſe*: quod dum facit, rectiſſime monet, Deum ſolum coli poſſe. Sed hæc millies illuſtravit Trombellius, ac præſertim capitibus XIV. & XV. Diſſertationis IV. cujus tamen monita pro more diſſimulas Kieslingi omnium hominum candidiſſime.

14 Quæ de Dallæo memoras, apta non ſunt: norunt enim omnes Dallæum adverſus Catholicos ſcripſiſſe, atque ab his, præſertim vero a Trombellio, fuiſſe refutata ea quæ adverſus Cultum Sanctis adhibitum ſcripſit. Tu porro Kieslingi, dum nos ad Dallæum amandas, videris plane ea non legiſſe quæ Trombellius de hoc cultu ſcripſit, atque ea præſertim quæ capite 4. Diſſertationis I. [*a*] & capite 22. Diſſertationis IV. de voce hac *Religioſus* diligentiſſime diſputavit.

15 Quod ex capite VII. Actorum obiicis, nihil facit ad rem noſtram. Controverſia, quam proponis, Trombellium inter, & te hæc eſt. *Num cultus aliquis ſacer adhiberi poſſit Sanctis, an non.* Hæc etiam adiicis: *Num deferri poſſint Sanctis ea honoris argumenta, quæ illis Catholici deferunt, veluti genuflexio, & affinia alia.* Affirmant Catholici, negas tu. Sed qui affirmant, priore hoc teſtimonio omnino non revincuntur. Scilicet Catholici agnoſcunt, & profitentur nullum idolum, aut ſimulacrum fieri potuiſſe a Judæis, quod eſſet *ad adorandum*: agnoſcunt, & profitentur nullos Gentilium ritus ab iis adhiberi potuiſſe: agnoſcunt portionem nullam cultus, ideoque nullam etiam portionem cultus illius, quem *Dulian* appellant, nullum qualecumque illud ſit, ſive externum, ſive internum obſequium deferri Dæmonibus poſſe: agnoſcunt denique & profitentur, *cultum, quam determinatur ad Divinum*, ſoli Deo deferri poſſe. Sed dum hæc agnoſcunt, & profitentur, dicunt adhuc Sanctis deferri poſſe cultum Divino longe minorem: dicunt quoque genuflexionem, ſacrorum oſculorum impreſſionem, & affinia honoris argumenta deferri poſſe Sanctis, eorumque reliquiis, & imaginibus; quatenus eadem honoris argumenta determinata non ſunt ad proteſtandum Divinum cultum. An tu poſtrema hæc impetis eo Stephani teſtimonio? Nihil minus. Nimirum eo tantum ſpectant Stephani verba, ut Judæos reprehendant, quod Molocho, & Remphano inanibus Diis, Divinos adhibuerint cultus. Falleris Kieslingi mi, ſi his putas terreri Catholicos. Quem enim terreat hujuſmodi argumentatio? Prohibebantur Judæi Molochum, & Remphan colere, ergo Catholici Mariam, & Sanctos reliquos colere prohibentur. Diſcrimen latiſſimum eſt inter hos cultus, Kieslingi, quod tamen tu aut non agnoſcis, aut te minime noſſe ſimulas. Divinus is erat, & Dæmonibus adhibitus; remotiſſimus hic eſt a Divino, &

Dei

(*a*) §. 9. pag. 30.

Dei amicis defertur. Discrimen hoc jam dudum attulerat Hieronymus, cum hæc ait: [a] *Quis enim, o infanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum? .... Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est.*

16 Quod porro, recitato hoc Stephani testimonio, reprehendendo adiicis: *sed tantum abest ut in hoc sensu, & significatu acquiescant Romanenses, ut potius hanc vocem, si de Angelis, aut hominibus, quibus adoratio offertur, sermo est, de Dulia & externa reverentiæ nota interpretentur*: hominem te produnt, qui cuncta permisceat, nihilque apto loco proferat. De *adorationis* etiam vocabulo, & variis illius significationibus copiosissime egit Trombellius cap. 3. cui quidem tu Exercitationem tuam octavam opponis: & tamen ea quæ eodem ipso capite tertio tradidit, non levi ex parte a te ipso, & Mahisio a te allegato defensionem habent. (b)

17 Venio ad secundum objectionum caput. Ac primum quidem, nempe id quod desumitur ex Capite XI. Actorum, copiose tractatum est a Trombellio, & ita explicatum, ut compertissimum fiat temere a te, atque arroganter hæc dici: (c) *Si hæc reverentia externa quædam grati animi, & observantiæ fuisset nota, eam quoque recipere poterat Petrus, quia erat legatus Dei per quem sua mandata revelavit Cornelio Deus.* Loco aptissimo hæc expositi jam Trombellius, & sic eas rationes, quas tu exposcis, adduxit, ut nihil temere exposuerit, sed quæcumque dixit, Catholicorum Doctorum, atque adeo Grotii auctoritate confirmaverit. (d) Tu tamen (quæ tua est tam jactata sinceritas) omnino præteris quæ ille non indiligenter persequitur, & quibus ea sane non opponuntur, quæ tu ex Limborcho affers, & Calmeti interpretationem substituis, ut eam impetas (e). An Trombellius quasibet Calmeti interpretationes excipit? Nihil minus. Cur ergo paginas insumis, ut Calmeti dicta exagites? Trombellii, quem tu tibi adversarium propositi, dicta exagita, & refelle, si vis, aut potius si potes. Quis enim te posse illius interpretationes refellere, dicet, cum earum veritatem quasi veritus, ne illarum quidem memineris.

18 At qui tam male Trombellium in superioris testimonii interpretatione impetis, validius utique non impetis in interpretatione objecti subsequentis loci, ex capitibus scilicet Apocalypsis XIX. & XXII. 9. desumpti. Ais Calmetum Duliæ cultum Angelo adhibere voluisse. Et revera ad vers. 10. capitis XIX. hæc ait (f) *Putabat profecto Apostolus præstitum a se obsequium non ingratum Angelo accidisse: quam in rem in fine Apocalypseos tentavit iterum cultum illi impendere*: cultum, in-

[a] Lib. contra Vigilan. n. 8. (b) Vide quæ diximus n. 2. capitis II. quibus ea adde quæ §. 2. capitis VIII. pag. 49. Kieslingius ipse affert, quæque consulat Lector, volo. (c) Pag. 8. (d) Capite XIII. Dissertationis IV. pag. 281. (e) pag. 6. & 7. (f) Editio. Luc. pag. 919.

Digitized by Google

inquam, Duliæ, quem homo deferre Angelo non prohibetur. Sed ut omittam, propositas etiam fuisse a Calmeto, nec sane rejectas sententias alias, qua fronte potes tu, qui scis Trombellium explicationem proponere valde a superiore diversam, eumdem Calmeti pedisequum, & consectatorem dicere, illumque inter eos recensere, qui putant Duliam adhibitam fuisse Angelo a Joanne, & ab illo rejectam? (a) Integrum Cap. X Dissertationis IV Trombellius impendit, ut rationes afferat, quibus motus fuit Angelus, ut Joannis officium recusaret: explicationes autem duas affert, easque non modo probabiles, verum etiam Patrum, præsertim vero Cypriani, & Augustini auctoritate firmatas; nec Hugonem Grotium allegare recusat, apertissime illi faventem. Minime tamen explicationem illam excipit, pro qua eum tu citas, neque ullam invenies in eo capite vocem, qua innuat ille, Duliam, de qua tu loqueris, tunc adhibitam fuisse Angelo a Joanne [b], aut Calmeti explicationem a se approbari. Tu tamen, quasi Calmetum exscripsisset Trombellius, hæc audes dicere: *Concedam itaque Calmeto, & qui cum eo facit Venerabili Abbati hanc liberius sentiendi facultatem.* Profecto si ea legisses quæ tradidit Trombellius, tibi minime displicuissent, & manifesto vidisses eum non obsistere explicationibus, quas adduxere Campegius Vitringa, & Carolus Dabutius a te allegati. An non admittet ille eam ipsam, quam tu mirum in modum commendas, Vitringæ interpretationem? quippe non ait Vitringa fuisse latriam eam quam Angelo Joannes venerationem exhibuit, sed posse ita accipi, ut ab aliis *latria* judicaretur. Carolus porro Dabutius, te quidem referente, hanc Joannis venerationem, & adorationem *non omni cultus divini caruisse suspicione* ait: eamque ob causam eam repudiatam fuisse ab Angelo. An non excipiet hæc Trombellius, cujus prima loci hujus explicatio fuit: *tali specie & splendore Angelum apparuisse Joanni, ut merito putarit Apostolus, Christum esse illum, & eam ob rem veluti Deum adorare voluerit.*

(a) „ Concedam itaque Cel. Calmeto, & qui cum eo facit Venerabili „ Abbati hanc liberius sentiendi facultatem. Donabo illis, per genuflexionem Venerationem aliquam cultu religioso inferiorem, quam Dulia appellare amant Romanenses, hic esse intelligendam: sed leve „ est quod inde accipient opinionis suæ munimentum. Exponant mihi „ rationes, quibus Angelus motus sit, ut hoc grati animi signum a se „ amoveret, quod sine omni vitio recipere poterat. „ §. 7. pag. 8. & 9.

[b] *Prima explicatio proponit putasse Joannem Christum fuisse qui sibi apparuerat, & quem ille adorare voluerat; Angelus autem testatus est se Christum non esse. Proponit altera comitatis cujusdam causa, aut, si vis, quia veluti superiori seque majori, obsequium illud adhibitum fuerat, repudiatum fuisse ab Angelo.* Vide obsecro explicationes ipsas a Trombellio propositas pag. 272. & seqq.

Digitized by Google

Quam ob rem te dignum eſt, Kieslingi clariſſime, epiphonema illud tuum [a]: *Sua igitur nole ruit argumentum Romanenſium de cultu quem dulicum nominant, & Angelis, Sanctiſque præſtandum ſibi perſuadent: ſi enim hanc externam venerationem, & duliam a ſe alienam duxit Angelus arcanorum interpres divinorum, multo minus hoc pietatis cultu Sanctis erunt afficiendi.*

19 An vero grave eſt, quod ex Apoca. XIV. 9 objicis? Nihil minus. Repetamus obſecro verſiculum quo tu inniteris, & ne dolum ullum malum in me ineſſe ſuſpiceris, utamur eadem illa, quam tu adhibes, interpretatione, licet equidem minus præſtantem quam vulgatam judicem: *Si quis beſtiam, & ejus imaginem veneratur, notamque in frontem, manumque ſuam admittit, is etiam ſævum Dei vinum potabit.* Num ex his verbis inferimus adeo certam divini cultus notam eſſe flexionem genuum, ut Deo ſoli deferri poſſit? Si ſapis, ſane non inferes. Etenim novimus talem venerationem ibi indicari, quæ proteſtationem divinitatis innuet in eo inhærentis, cui ea genuum flexio adhibebitur: per quam quidem proteſtationem genuum flexio, aliique ritus per ſe indifferentes determinabuntur ad divinum cultum denotandum, exhibendumque. Nimirum ea quæ hic citantur, ad illa reſpiciunt, quæ habentur Cap. XIII ejuſdem Apocalypſis, quæque hic recolere conveniens reor: (b) *Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam. Et adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adoraverunt beſtiam dicentes: Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea? Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias .... Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & eos, qui in Cœlo habitant*: ideoque reſpiciunt Antichriſtum vetantem & Deum, & Sanctos coli [c], ut ſolus ipſe adoretur: quod apertiſſime diſcimus ex iis Apoſtoli Pauli verbis: [d] *Homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus*: At quum Angelis & cælitibus reliquis, atque adeo quum Principibus ea honoris argumenta adhibemus, non ea determinamus ad denotandam proteſtationem divinitatis, ſed ad eum tantummodo honorem ſignificandum, quem illorum excellentia meretur, creata ſcilicet, & remotiſſima a Divina.

20 Quamquam alias etiam ob res vetat Deus, ne genua flectantur beſtiæ, ſeu Antichriſto. Nonne ipſe Dæmonem ſuæ poteſtatis agnoſcet auctorem, idque ipſum fatebuntur, & teſtatum facient ejuſdem Antichriſti perditiſſimi cultores? *Et adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ &c.* Nonne ipſe immaniſſimus erit Tyrannus, & apertiſſimus Dei hoſtis? An hunc revereri ullo modo Chriſtiani poterunt? Hinc non modo genua illi flectere prohibebuntur Dei

(a) Pag. 9. (b) v. 4. (c) *Aperuit os ejus in blaſphemias ad Deum.... & eos qui in cælo habitant.* (d) II. Theſſa. 2. 3. 4.

Dei cultores; verum etiam notas illas deferre, quibus illius ſectatores cultoreſque a probis hominibus dignoſcentur: pœnaſque ſubibunt non leves, qui hujuſmodi notas in fronte, & manibus deferent. [a]

21 Cur porro Juſtinum affers Kieslingi clariſſime? Nihil ille ad rem noſtram. Ideo ſcilicet affers, quia (b) *placet ſenſum quorundam Patrum, quem nobis de hac voce* genuflexio *ſuggerunt, ad repellendos Pontificiorum inſultus, & tricas adferre.* Tamen Juſtinus in priore illo teſtimonio, (quod tu quidem allegas veluti ex Apologia II deſumptum, cum tamen norint omnes *primam* appellandam eſſe, non ſecundam) Juſtinus, inquam, in priore illo teſtimonio nihil habet, quod ad genuflexionem alioſque exteriores venerationis & cultus ritus pertineat, ſed tantummodo agit de Chriſtianorum erga Deum, & Principes cultu, ac pietate, quam declarabant dum vectigalia & cenſus prompte perſolvebant, & reliqua civium officia ſumma diligentia, ac ſtudio exſequebantur. Hoc ſolum cavere illos ait, ne Principes *adorarent*. [c] At ſcito Kieslingi, ideo id caviſſe Chriſtianos, quia divinum plane obſequii genus expoſcebant Imperatores, quibus nempe (ut quiſque novit) & templa erigebantur, & flamines ſacrabantur, & in quorum *nomine* jurabatur. Determinatur itaque hic vox *adoratio* non ad ſimplicem, & mere externam flexionem genuum, aut affine aliud obſequium, quod per ſe indifferens diximus, & determinandum ſive ab intentione agentis, ſive a circumſtantiis ejuſdem actionis, determinatur, inquam, hic vox *adoratio* ad proteſtationem divinitatis. An vero Chriſtianus hujuſmodi honorem deferre creaturæ poterit, tametſi Imperator is ſit, aut Imperatore etiam, ſi vis, eminentior? Minime vero.

22 Ne porro putes me temere dixiſſe, exquiſitum fuiſſe a Chriſtianis, ut divinos honores Romanis Imperatoribus deferrent, aliquot monumenta afferam, quæ id plane oſtendant: cuncta ſiquidem recenſere nec juvat, nec vacat. Euſebius capite ipſo primo libri, quem

(a) *Si quis adoraverit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & bic bibet de vino iræ Dei &c.* Apoca. 14. 9. & 10. (b) §. 8. pag. 10.

(c) „ Illud etiam ſtudio nobis eſt, ut vectigalia, & cenſus iis, quibus „ hoc munus commiſiſtis, primi omnium pendamus: quemadmodum ab „ eo ſumus inſtituti. Illo namque tempore accedentes quidam per„ cunctari ſunt ex illo, an Cæſari vectigalia pendere oporteat? Qui „ reſponſum hoc ab eo retulere: *Dicite*, inquit, *mihi, cujus imagi*„ *ginem nummus habet?* Qui ubi dixiſſent, *Cæſaris*: *Reddite igitur*, „ ait, *quæ Cæſaris ſunt, Cæſari: & quæ Dei, Deo*. Proinde nos ſo„ lum Deum adoramus; vobis autem in rebus aliis læti ſervimus, „ Reges, ac Principes hominum eſſe agnoſcentes; & ſimul precan„ tes, ut cum Regia poteſtate ſanam quoque mentem obtinere com„ periamini „ Juſtin. Apolog. I n. 17. pag. 54. Editionis PP. S. Mauri *Hagæ Comitum* An. 1742.

Digitized by Google

de Martyribus Palæſtinæ inſcripſit, hæc docet: *Igitur ex Palæſtinæ Martyribus primus Procopius, antequam carceris periculum feciſſet, ſtatim a primo, quod ajunt, limine ad Præſidis tribunal adductus, & ſacrificare Diis gentilium juſſus, unum ſe Deum noſſe reſpondit, cui ſacrificandum eſſet eo ritu, quem ipſe ſtatuiſſet: Cum vero quattuor etiam Imperatoribus libare juberetur, ſententiam quandam ex Homerico Carmine proloquutus, quę illis minime arridebat:*

Haud bona res domini plures; herus unicus eſto;
Rex unus.

illico capite truncatur.

Idem Euſebius quandam etiam Dionyſii Alexandrini Epiſcopi epiſtolam deſcribit, ex qua conſtat Æmilianum Præfectum exhibuiſſe Chriſtianis adorandos cum Diis Gentilium, Imperatores; (*a*) Quin etiam Imperatorum imaginibus divinos honores ac ſacrificia adhibere jubebantur Chriſtiani: quod ſi peragerent, religionem ſuam ejuraſſe cenſebantur. Habeo hujuſce rei Plinium juniorem teſtem: is enim hæc tradidit (*b*): *Propoſitus eſt libellus ſine auctore, multorum nomina continens, qui negant ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, cum præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc juſſeram cum ſimulacris Numinum adferri, jure ac vino ſupplicarent.* Quod mirum non eſt: etenim Romani in Deorum numero Imperatores ſuos, dum etiam viverent, collocabant: quorum proinde imagines divinis honoribus affici jubebant, ſicut reliquorum Numinum imagines. Atque in Deorum numero collocaſſe viventes etiam Imperatores, indicant quidem Æmiliani Præfecti verba nuper indicata; ſed apertiſſime oſtendunt notiſſima Tertulliani verba *ad Scapulam* [*c*]: *Colimus ergo Imperatorem, ſic quo modo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quidquid eſt a Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem.* Idem etiam *in Apologetico* [*d*] hæc ait: *Temperant majeſtatem Cæſaris infra Deum: magis illum commendo Deo, qui ſoli ſubiicio: ſubiicio autem cui non adæquo; non enim Deum Imperatorem dicam.* Et mox (*e*): *dicam plane Imperatorem Dominum, ſed quando non cogor ut Dominum Dei vice dicam.*

23 En itaque quam adorationem adhibere Imperatoribus nolebant Chriſtiani, quæ ſcilicet *divinus cultus* expreſſiſſime eſſet. An hanc deferimus Sanctis? An hanc cum genuum flexione neceſſario, & uti dici mos eſt, *ex natura ſua* conjunctam volumus? Nihil minus. Re-

---

[*a*] Æmilianus Præfectus iterum dixit. *Quis vero vos prohibet, quo minus & hunc, ſiquidem Deus eſt:* (Gallienum procul dubio, aut Valerianum indicabat, aut ſi vis imaginem horum quampiam) *cum iis, qui naturæ ſuæ ſunt Dii, adoretis? Deos enim colere juſſi eſtis, eoſque, quos cuncti appellant Deos.* Euſeb. hiſt. Lib. VII. Cap. 11.

[*b*] Lib. X. Epiſt. 97. alias 100. (*c*) Cap. 2. (*d*) Cap. 33. (*e*) Cap. 34.

Digitized by Google

Recole Kieslingi clarissime, quæ copiosissime hoc de argumento disseruit Trombellius Capite XXIII Dissertationis IV: quæ tu Vir, tuo quidem testimonio, accuratissimus, & sincerissimus, plane præteris, quasi nihil ea essent ad rem, cum tamen quæstioni huic, & difficultatibus a te propositis cumulatissime satisfaciant.

24 Verba ejusdem Justini, desumpta ex dialogo cum Tryphone, apertissime ostendunt vocem *adorabilem* eo in loco sumi, ut ajunt, *rigorose*, idest ita ut restringant ad protestationem cultus, qui uni Deo tribuatur. Sed neque vetant vocem eam latius sumi, neque etiam vetant exteriora quædam honoris argumenta, quæ adhibemus, dum Deum adoramus, interdum adhiberi posse, ut creaturæ honorentur. Recole hic quoque ea quæ tradidit Trombellius Capite XXIII Dissertationis IV.

25 Id quod ad postrema Justini verba diximus, dicendum est quoque ad objectum Clementis Alexandrini locum: scilicet merito Gentiles is reprehendit, qui simulacra colebant veluti Numina, aut certe veluti verorum Numinum imagines. An Catholici Sanctos veluti Numina, eorumque imagines veluti Numinum imagines colunt? Quis, nisi plane desipiat, id tradere audeat, cum toties, & apertissime Catholici moneant, se in Sanctis creatam præstantiam agnoscere, & colere, eorumque imaginibus honorem tribuere, qui infinite distet ab eo honore qui Deo defertur? Ille ipse tamen honor, qui Sanctis, eorumque imaginibus defertur, Deorum simulacris deferri utique non poterit; quis enim Dæmones, aut homines perditos, quales denique fuere Dii Gentium, sacro aliquo honore afficiet? Eandem explicationem exposcunt verba Dionysii Alexandrini; quæ etiam antea diligentius explicavimus. [a]

26 Mirabile est porro, quod ex Patribus Niceni II Concilii adducis. Mones scilicet eos Patres *rapuisse verbum hoc* (de *adorationis* voce, ut puto, loqueris; de qua scilicet antea locutus fueras) *ad suam libidinem, & de adoratione & cultu imaginum illos fuisse interpretatos*. Doces quoque eos, ad evitandam offensam hujusce vocis, illam accepisse *pro externo quodam amoris, & favoris signo*: doces denique junxisse, & veluti colligasse oscula cum adoratione. *Venerabiles imagines & adorandas, & exosculandas, & colendas esse decreverunt*. Quæ quidem verba omnes qui sapiunt, ita accipiunt, ut monerentur Catholici non esse eis metuendum, ne in idololatriam inciderent, dum osculantur imagines, & coram eis procumberent: quia hæc, si qua sunt honoris argumenta, non *rigorosa* essent *adoratio*, quæ Deo defertur in protestationem supremæ excellentiæ, sed essent extrinsecus quidem honor, qui, si gestum corporis spectas, *adoratio* utcunque dici potest, sed vere, & proprie dicta *adoratio* non est. Si de horum verborum sensu dubitas (licet dubitare non possis, si tibi repugnare non vis (*b*)) recole ea quæ Trombellius Capite XL Disser-

[a] n. 22. [b] Kiesling. pag. 49.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

sertationis X cumulatissime exsequitur [*a*]. Vide præ ceteris n. 19. & subsequentes. Dum tamen hæc omnes norunt, & postquam etiam, ut ceteros omittam Doctores nostros, multis ab hinc annis (*b*) copiosissime hæc pertractavit Trombellius, tu Catholicis adhuc exprobras, quod imagines vere *adorent*, & cultum eis *religiosum* adhibeant: ideoque peccent. Vellem meliora docuisses, Kieslingi, tuæque famæ consuluisses. Scis ne, quid ex Nicæni II Concilii monitis inferendum sit? Veram adorationem non esse eam, quam propter exteriorem corporis gestum *adorationis* vocabulo aliquando appellamus, sed tantum argumentum quoddam amoris, & obsequii erga illum, cujus imaginem osculamur, seu ante cujus imaginem procumbimus, ad quem revera fertur, ascenditque honor ille, quisquis is est, quem imagini deferimus; cum in imagine tantum sistat osculum, & aliquod, qualecunque illud est, exterius honoris argumentum, quod ad prototypum absens ascendere non potest. Tu tamen [id quod apertissime negat Trombellius, apertissime quoque, & sæpius negarunt Nicæni II Patres] veluti concessum & indubitatum sumis, scilicet: *veram adorationem esse istam*, indeque infers, & vere a nobis adorari imagines, & *veram adorationem* iis adhiberi cum eas osculamur, & ante eas procumbimus, & genua flectimus: eaque ex re occasionem carpis, ut nos dilaceres, & idololatriæ apud tuos accuses. Sed si tuos strophis istis fallis, Kieslingi, nullum tamen eorum, qui aliquid sapiunt, fallis: adeo tuæ

.... patent præstigiæ
Omnis res pulam est. [*c*]

27 Aggredimur denique tertii generis testimonia, quibus scilicet juberi nos putas, solum Deum omnino colere, illique soli ea honoris cultusque exteriora argumenta deferre, quæ Catholici deferunt Sanctis. Ad hoc porro caput illa pertinent, quæ ex Exodi XX. & Deute v. 9. & Matthæi IV. 10. objecta sunt, quæque hic recolere lectorem oportet.

Porro quamquam hæc dissoluta videntur Capite VI Dissertationis IV Trombelli: ibi enim vel hos locos explicat illustratque, vel ea tradit, quibus explicari illustrarique possint: hæc tamen ipsa recolere æquum censeo, ne scilicet videar difficultatem in his locis positam, quæcunque tandem illa sit, evitare. Merito itaque vetuit Deus, ne Deos alienos colerent Judæi, iisque servirent. Scilicet si nomine *cultus*, seu, ut vulgata nostra cum Augustino [*d*] vertit, *adorationis* (*Dominum Deum tuum adorabis*) intelligas protestationem supremæ excellentiæ & supremi dominii, cultus hic, seu *adoratio* uni Deo debetur: si vero intelligas exteriora illa argumenta, quæ corpore demisso adhibemus, hæc quidem

(*a*) Pag. 103. (*b*) An. 1743 typis edita est ea Dissertatio.
(*c*) Plaut. Captiv. III. 3. 9. (*d*) Quæst. 61. in Genes. ad verba illa: *Exsurgens autem Abraham adoravit populum terræ.*

Digitized by Google

dem hominibus, ideoque Angelis, & Sanctis deferre poſſumus (*a*), ſed certe falſis Diis deferre non poſſumus: hi enim non modo contemptum, ſed deteſtationem & odium merentur; ſi enim *Dii gentium Dæmonia*, quis eos non contemnet?

28 Inſanis porro Kieslingi mi [abſit voci huic invidia] inſanis, inquam, dum ea addis, quæ jam deſcripſi, *fucatis utuntur argumentis &c.* Dic mihi ſodes quem tu his verbis alloqueris? An Trombellium? Sed is nunquam tradidit præceptum hoc Judæos tantum affeciſſe, minime vero Chriſtianos; immo apertiſſime tradidit in ea parte quæ reſpicit *ſervitutem*, & affeciſſe olim Hebræos, & nunc etiam Chriſtianos afficere: in ea vero parte quæ reſpicit *adorationem*, ſæpe monuit vocem hanc, ſi *rigoroſe* ſumatur, Judæos pariter & Chriſtianos afficiſſe, & nunc etiam afficere: quis enim proteſtationem ſupremæ excellentiæ & ſummi dominii alii, quam Deo deferat? Si vero latius accipiatur, non modo Sanctis, verum etiam hominibus tum in veteri, tum in nova lege deferri poſſe docuit, præeunte Auguſtino, aliiſque Patribus, & Doctoribus, quos capitibus VI, & XXIII Diſſertationis IV allegavit. Hinc palam docuit, eadem prorſus ratione eo præcepto obligari Chriſtianos, atque obligabantur Judæi.

29 Cur porro Catechiſmum Romanum allegas, cum hic nihil plane habeat de eo diſcrimine, immo nihil plane habeat, ex quo diſcrimen illud ducere poſſis, tametſi non modo doceat, verum etiam oſtendat præceptum iſtud non officere Catholicorum conſuetudini, qua ſcilicet Sanctos Angelos, & Cælites reliquos invocamus, & veneramur. Quem denique affers dictorum tuorum vadem? Neminem plane: adeo ut mera calumnia hæc ſit, qua tu Kieslingi Catholicos fugillas, ut eorum doctrinam & ritus odioſa reddas contribulibus tuis. Et his poſitis, te illum jactitas, qui omnium hominum candidiſſimus ſit, quique nihil tuis ſcriptis inferas, quod in Trombellio, aut certe in Catholicorum libris non legeris?

30 Quam præclaram vero laudem merentur iſta quæ ſequuntur! *Se nullo modo ajunt* (Catholici) *adorare Sanctos, tanquam Idola & falſos Deos, ſed ut amicos Deo admodum familiares, rude jam jam inter Cælites donatos, neque hos tantum, ſed cultu quodam reſpectivo & relativo Deum ipſum colere.*

31 At vide Kieslingi, ne fallacia hic inſit in verbo *adorare*: tu enim ita videris illud ſumere [nam ſæpe id facis] perinde quaſi nos *rigoroſe* ſumptam adorationem Sanctis tribuamus, cum apertiſſime proteſtemur hoc ſenſu acceptam *adorationem* Deo tantum a nobis tribui. Fallacia quoque ineſſe videtur in verbis iis *Deo admodum familiares*, quaſi nos cælites deſcribamus familiariter cum Deo agentes, cum Dei quidem *amicos* eſſe dicamus, & cum eo regnantes in Cœlis, iis innixi,

(*a*) Vide quæ tradidit Trombellius eodem Capite VI Diſſertationis IV, ubi præſertim notanda ſunt verba Auguſtini n. 2 poſita.

nixi, quæ Trombellius Capitibus XVII & XIX Dissertationis IV expoſuit, quibus alia multa his affinia addere poſſumus, ſi volumus: at non propterea tam familiater cum Deo agentes deſcribimus, ut non ſumme eum revereantur, aut illi denegent obſequium quod ſuprema illius excellentia, & poteſtas expoſcit. Quæ de Sanctis rude donatis poſtea doces, quam præclara ſint, jam oſtendi (*a*), neque hic recolere opus eſt.

32 Porro explices, Kieslingi, opto, quid indicare velis, dum Catholicos verbis his diſtringis. *Neque hos tantum* (Sanctos) *jed cultu quodam. reſpectivo, & relativo Deum ipſum colere?* Si indicare vis Deum adorari, colique in Sanctis, quid hoc mali eſt, ac reprehenſione dignum? An non in omnibus coli meretur Deus, ideoque in Sanctis, quotum victoriæ, Dei ipſius victoriæ ſunt, uti merito, ac ſæpe monet Eccleſia? An vis Catholicos docere Deum, non abſolute, ſed relative tantummodo colendum eſſe? At quis e Catholicis Deum *reſpective*, & *relative* tantummodo colet: an non potius *abſolute*, & *directe*: & ſi de vera adoratione loquimur, non unice Deum colit, cui [ut norunt omnes, & tu ipſe novisti, ſi ſapis] unice ſummæ excellentiæ & ſuprematis dominii proteſtationem exhibemus? Sententias affer, & verba ipſa noſtrorum Doctorum, quibus ea tradant, quæ tu nobis temere apponis: quod dum non peragis, perſpicue oſtendis hæc temere a te narrari, ut nos tuis odioſos facias.

33 Sed aggrediamur jam denique explicationem verborum Domini Matth. IV. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, illique ſoli ſervies*, ſeu, ut tu vertis: *Dominum Deum tuum adorato, eumque ſolum colito*. Petro ſacra hæc verba, Catholicorum, ideoque Trombellii cauſæ nihil officiunt: & ea ſane, quæ Trombellius Cap. VI Diſſertationis IV anteceſſore Auguſtino docuit, hæc mirifice explanant: Et tu tamen, cui hæc nota ſunt, plane præteris, quaſi Trombellius tuam hanc, immo potius Proteſtantium omnium objectionem non prævenifſet! Paucis igitur ſic nunc diſſolvo. Docuit Trombellius [*b*] voce λατρεύσεις, quam vulgatus interpres reddit *ſervies*, tu vero *colito*, denotari ſummum illud obſequium, quod uni Deo debetur. Id ſi ita eſt, jam habes, & cur Deus ſibi latriam ſeu ſervitutem illam, de qua agimus, reſervaverit, & cur Chriſtus eo teſtimonio Dæmonem repulerit. Scilicet Dæmon ſibi veluti mundanarum rerum largitori ac diſtributori obſequium a Chriſto deferri volebat: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*. Expoſcebat itaque cultum, ſeu ſervitutem, quam uni Deo adhibere debemus: ſolus enim Deus largitor eſt, ac diſtributor dignitatum, ac dominiorum. Pulcre ergo Chriſtus eo dicto Dæmonem repulit, uſurpatoremque divinæ auctoritatis, ac poteſtatis compeſcuit. Argumentatio itaque Chriſti [ſi ita placeat ea verba appellare] perfiſtit plane, quoniam eam adorationem expoſcebat Dæ-

[*a*] n. 5. (*b*) Diſſ. IV Cap. VI.

Dæmon, quæ uni Deo adhiberi debet, non aliam quampiam. Hæc ſolutio aptiſſima eſt, ſive adorationem, cujus primo fit mentio (*Dominum Deum tuum adorabis*) rigoroſe accipias, quatenus ſcilicet accipitur pro proteſtatione ſupremæ excellentiæ, ſive accipias pro ſimplici exteriori corporis demiſſione, & incurvatione: quo quidem ſenſu accipit Auguſtinus [*a*]: Etenim verba hæc ideo protulit Chriſtus, quia Dæmon tum determinabat ritum de ſe indifferentem ad proteſtationem ſupremi dominii: *hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Neque profecto poterat Chriſtus in Dæmonem intorquere poſtrema illa verba, quibus latriam denotari fatetur Auguſtinus, niſi priora etiam recitaſſet: Quem enim ſenſum haberent verba hæc, *illique ſoli ſervies*: ſeu, ut tu vertis: *eumque ſolum colito*, niſi præeat prior verſiculi pars: *Dominum Deum tuum adorabis?* His ſcilicet determinatur vox *illi* (*illi ſoli ſervies*) ad ſignificandum Deum: quod non fiet, niſi integer verſiculus recitetur, ideoque niſi præeant verba illa: *Dominum Deum tuum adorabis.*

Et hæc ad priorem tuam Exercitationem dicta ſint ſatis: quamvis enim maxime diſpliceat, quod quæcunque dicis, permixte dicas confuſeque; nolo tamen in ea reprehenſione diutius immorari. Tantum te moneo non eſſe apta ad nos deterrendos grandia illa tua, & magniloqua dicta, quibus Exercitationem tuam concludis. *Non ulterius huic argumento immoror, quum illud tot ponderibus, quot argumentis jam pertractarit Cel. Dallæus, & planum fecerit: Solum Deum, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe unicum, & ſolum cultus religioſi objectum.* De vocibus his *religio*, & *religioſus* & jam dixi, & deinceps etiam dicam. Conſtat porro non eſſe ad rem præſentem quæſtionem eam, quam de vocibus his inſtituis, & intermiſces. Quod autem attinet ad argumenta, quibus Dallæus adhibitum Sanctis cultum oppugnat, ſcito Kieslingi mi, ea & vidiſſe Trombellium, & aut prævenisse, aut diſſolviſſe. Unum affer, obſecro, quod indiſſolutum remanſerit, & tum Trombellium amanda ad Dallæum.

(*a*) Quæſt. 61 in Geneſim. Vide Trombellii Diſſ. IV Cap. VI.

AD EXERCITATIONEM II. & III.

Quæ inſcribuntur

De Cultu qui a vero defleƈtit, & de fiƈto Excellentiarum Cultu.

CAPUT PRIMUM.

I. CUm Exercitatio tua II, Kieslingi Clariſſime, Idololatriæ vel originem referat, vel varias illius, ut ita loquamur, ſpecies & formas, quibus annumeras imaginem veri Dei: ac demum reprehendat conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ Sanctos colentis, paucis eam expedio. Controverſia quæ Trombellium inter, & te, Kieslingi, atque adeo Catholicos inter & Proteſtantes inſtituta eſt, longe alio ſpectat: neque enim agitur de origine Idololatriæ, multo minus agitur de qualitate nominum Ægyptiorum, de quibus dum hic multa extra locum profers, te palam in eorum numero collocas, qui *importune extolluntur in ſapientia ſua*. [a]. Ceterum Calmetus, aliique multi e Catholicis hoc in argumento ſumma cum laude ſe exercuerunt, adeo ut tuis his documentis non egeamus Kieslingi clariſſime. Quin etiam Trombellius ipſe non ea omiſit, quæ controverſiam hanc ſpectant, immo & copioſe, & loco aptiſſimo ea de re diſſeruit Capitibus I, XII, & XXIII, & ſequentibus Diſſertationis IX; in quibus ſane multo præſtantius hæc tractat quàm tu facis. Cur ea itaque diſſimulas Kieslingi, cum Diſſertatio IX Trombellii jam ab Anno 1743 vulgata ſit?

2 Quod porro attinet ad reprehenſiones tuas, cum hæ nihil habeant novi, neque aliquid in iis ſit, quod vel a Trombellio Diſſertatione IV, atque in primis capite tertio & viceſimo ejuſdem Diſſertationis, vel a me ſuperiore capite non ſit explicatum, illuſtratumque, propterea omittimus, ne rem eandem, quod tu fere facis, per ſingula capita repetamus. Irrideris autem Kieslingi, dum Trombellium *individuum Bellarmini comitem* appellas (*b*), *dum multas excellentias & gradu, & cultu maxime diverſas ab eo fingi ais*: dum denique hæc tradis: *Quando nobis de religioſo Dei cultu eſt ſermo, præter Deum ſolum, qui eſt unicum cultus, & adorationis objeƈtum, nullas novimus hermaphroditicas, humanas, inquam, & divinas, ſeu ſanƈtas excellentias, niſi qui Deum ſibimetipſi fingere velit inter minora ſidera, ut cum Horatio loquar, expleſcendens.* Irrideris [inquam] Kieslingi Cariſſime, & merito irrideris. An individuus Bellarmini comes Trombel-

[a] Eccle. 32. 6. (*b*) Exer. III. pag. 22.

bellius est, qui sæpissime ab illius opinionibus discedit? Qui apertissime relativum reliquiarum, & imaginum cultum sustinet, cum Bellarminus pugnet pro absoluto? Qui Carolinos libros a Carolo ipso Magno proveniisse ait, illius scilicet auctoritate editos evulgatosque, cum Bellarminus ab hæreticis confictos putet? Qui probabilem eorum sententiam censet, qui Angelos invocatos ab Hebræis tradunt; cum id non admodum placeat Bellarmino? Num ergo, ne Bellarmini *comes individuus* a te diceretur, Catholicos relinquere debebat, tibique obsequi? Tu porro ais Trombellium *multas sibi fingere excellentias, & gradu, & cultu maxime diversas*. Sed quis, si te excipiam, hominem non alia approbantem, quam quæ tu tradideris, quis inquam non varias agnoscat in Angelis, & Sanctis excellentias *gradu*, ut tu quidem loqueris, diversas? An æque meritis pollent: an æqua beatitudine gaudent supremus & infimus Angelus: supremus & infimus Sanctus? Mariam porro Angelis, & Cælitibus reliquis multo quidem præstare, a Deo autem infinito intervallo distare, & dixit Trombellius, & docent Catholici omnes, qui hæc non fingunt, sed probant, ideoque illi quidem honorem non levem tribuunt, sed qui tandem revocetur ad quoddam elatius & excellentius Duliæ genus. [*a*] Sed tum Mariæ, tum reliquorum Sanctorum excellentia non aliud est, nisi eorum merita; quæ proinde excellentia, si subjectum respicis, humana est; quippe in homine inest: si originem; supernaturalis: provenit enim a gratia Dei, cujus virtute *sumus quidquid sumus*. Hinc sæpissime monent Patres nos Deum venerari, dum Sanctos veneramur, quia in Sanctis dona Dei agnoscimus, illumque propterea celebramus, illique gratias agimus propter collata Sanctis gratiarum dona, & virtutum exempla nobis tradita. Hæc & apertissime, & crebro dicunt, & ut cetera loca omittam, expressissime id tradit Maximus Vercellensis (*b*), quem Trombellius jam allegavit (*c*), sed hic recolere conveniens reor. *Dum ad obsequia* [inquit ille] *venerandæ recordationis communis Patris nostri Eusebii, confessionis ejus honore concurrimus, religiosum reddimus famulatum perpetuo Confessorum auctori: quid enim erga electos Dei devotionis impendimus, Deo totum, qui electos suos sanctificat, exhibemus*. Capite etiam 20 Dissertationis VI (*d*) Tridentinum attulit, cujus hæc ad rem nostram præclara sunt verba (*e*): *Deo soli* (sacrificium offert Ecclesia) *qui illos* [Sanctos] *coronavit... Sed Deo de illorum victoriis gratias agens &c.*

3 Atque his positis, jam scis cur nec mere civilis, nec divinus sit cultus ille, quem Sanctis deferimus. Non mere civilis est, quia eos non ut principes, non ut magistratus temporales colimus: Non

[*a*] Trombell. pag. 13. & 15. *Hyperdulia non est virtus distincta a Dulia, sed eximium opus illius.* [*b*] To. IV. Anec. Murat. pag. 77. (*c*) Diss. IV cap. 22. §. VIII. pag. 309. (*d*) Nu. 3. pag. 188. (*e*) Sess. 22. cap. 3.

Digitized by Google

divinus eſt, quia Deo tantum deferimus cultum, qui ſupremæ excellentiæ ſit proteſtatio; ſed *facer* eſt: quia et ſacram habet originem excellentia, quam colimus; dona ſcilicet Dei & quia ſacros ritus, & ceremonias itidem ſacras Deo deferimus in gratiarum actionem, propter eadem dona Sanctis collata, & virtutum exempla ea occaſione nobis relicta. Si millies petas, millies eadem dicam, neque *divinum* (*a*), neque *hermaphroditicum* illum & inſanum cultum, quem tu inſcite, immodeſte, quid non & improbe? fingis: neque excellentiam aliquam divini generis, aut divinæ accedentem commemorabo, cum Sanctos ipſos, ideoque Deiparam ipſam coli a nobis dicam.

4 Quod autem de Sanctis dixi, pro portione de Angelis dico: perſiſtentes quippe adverſus Luciferi perſuaſionem in Dei cultu, atque obedientia id perceperunt emolumenti, quod Sancti homines ex vita pro Chriſto ſancte peracta, & pia morte completa ſunt aſſecuti. Cur vero tibi diſplicet Kieslingi, quod Sanctis cæleſti beatitudine jam potitis, ideoque conſtanter & jugiter Deo futuris amicis [*b*], honorem illorum excellentiæ convenientem deferimus, quando quidem honorem hominibus ſæpe improbis, ideoque Deo inviſis, illorum excellentiæ convenientem rectiſſime deferimus? *Cui honorem, honorem, cui vectigal, vectigal &c.*

5 Quę de religioſo cultu Deo reſervato dicis, non ſunt ad rem, & alibi ſunt cumulatiſſime a Trombellio explicata. Non ſunt (inquam) ad rem: nam Trombellius dum Capite IV exponit *ſummam controverſię, quæ nos inter, & Proteſtantes agitur*, expreſſiſſime monet, [*c*] quæſtionem in eo non eſſe: *num cultus* (qui Sanctis adhibetur) *religioſus appellari debeat, an tantum ſacer*. Nec ſane tu vocem ullam aut Tridentini Concilii, aut alterius definitionis Eccleſiaſticæ proferre poteris, Kieslingi clariſſime, qua conſtet *religioſum* appellandum eſſe hujuſmodi cultum; fuerat vero, uti dixi, hoc de argumento copioſiſſime diſputatum a Trombellio Capite XXII Diſſertationis IV. Hæc a te prætermittenda non erant; idque expoſcebat & cenſoris munus, quod aſſumpſiſti, & ſinceritas quam te ſervaturum promiſiſti. Ceterum an nihili facis Auguſtinum hæc elocutum (*d*). *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat?* monentem quoque, editum a Deo fuiſſe miraculum (*e*), *ut præſenti nutu divino proderetur, & religioſius humandum venerandumque demonſtraretur* Beati Vincentii Corpus, de quo ipſe loquitur? An contemnis Gau-

---

[*a*] *Hunc autem cultum Romanenſes fuiſſe Sanctis tribuunt Religioſum & Divinum, quod eſt in aprico.* pag. 36. [*b*] Vide quæ tradidit Trombel. cap. 19. Diſſertationis IV n. IV V & VI [*c*] pag. 30. [*d*] Capite 10. n. 19. libri 5. *de Trinitate.* [*e*] n. 3. Sermonis II de S. Vincentio in ſerie 275.

Gaudentium, qui *religiosas* appellat eorum manus, qui quadranginta Martyrum reliquias summo studio, atque etiam sumptu sibi comparaverunt? (*a*) An irridebis Paulinum Nolanum, qui studium, quo piæ adventantium turba S. Felicis cadaver, & reliquias tangere, & venerari cupiebat, *Religiosam curam* appellat notissimis iis versibus: [*b*]

Religiosa pie pugna exercetur amantum:
Quisque alium premere, & propior consistere certat
Reliquiis, corpusque manu contingere gaudet.

Quibus quidem, quos jam allegaverat Trombellius, expressior est testis Victricius (*c*) Ambrosii æqualis, ideoque valde vetustus Pater: *Ecce omnis ætas* [inquit S. Doctor] *in vestrum* (substitue, *o martyres*) *funditur famulatum, alter alterum vincere studio religionis* [id est obsequii in Martyres] *insistit*. Omitto Gregorium, Fortunatum, aliosque, quos Trombellius jam allegavit: quos tamen tu prorsus præteris, & Hugonem Grotium tantummodo adduco, non quo eum vetustis Patribus præferam, sed ut ostendam Virum doctissimum, & in antiquorum Scriptorum lectione versatum, tam etsi a Catholica Communione alienum, plane agnovisse vocabula *Religionis*, & *Religiosi* adhiberi recte posse ad denotandum cultum, qui Sanctis adhibetur: *Nam & Religiosus est bonos* [inquit [*d*] ille] *qui soli Deo defertur, & Religiosus est, qui ob Deum defertur Angelis & Apostolis: neque enim is honor ad communem, civilemque vitam pertinet*. Et hæc ad Exercitationes tuas II, & III dicta sint satis.

AD

[*a*] In Sermo. *De dedicatio. Basi. Conci. Sancto.* (*b*) in Natal. VI S. Felicis. (*c*) In præclaro Sermone, quem edidit Doctissimus Abbas le Boeuf, qui Sermo *De laude Sanctorum* inscribitur, n. 2. pag. XIX [*d*] In Animadv. Rive. ad Art. 20.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM IV. V. & VI.

Quæ inſcribuntur

De Vanitate cultus Mariani ob excellentiam. De Origine cultus Mariani. De figmento cultus ob excellentiam medii.

CAPUT PRIMUM.

1. EXercitationem porro IV, quam ea moderatione qua ſoles, inſcribis: *De Vanitate cultus Mariani ob excellentiam*; eam quoque, quam affini titulo ſimiliter inſcribis: *De origine cultus Mariani*, hic omitto; ideo vero hic omitto, quod non levem operam argumentum iſtud expoſcit: Atque in eo quidem ſe ſe copioſe exercebit Trombellius ipſe, ad quem propterea te amando. Sextam itaque exercitationem aggredior, quam tu hoc modo inſcribis: [a] *De figmento Cultus ob excellentiam medii.*

2. At quamvis tu multa in ea effundas, pauca tamen ego proferam. Quam apta ad præſentem diſputationem, quam etiam vera ea ſint, quæ in limine ipſo profers, jam ſupra dixi. Ea recole, obſecro, dum tua verba Lectori exhibeo: *Nullum prorſus nobis eſt dubium, quin cultus religioſus ſit religionis actus. Et hoc eſt palmarium diſceptationis argumentum. Cultum Religioſum ſoli Deo præſtamus, & eundem Sanctis denegamus. Sed hic longius a nobis recedunt Romanenſes, qui adorationem, & Sanctorum invocationem tanquam intermedium aliquem conſtituunt cultum, & proprie pro actu Religionis agnoſcere nolunt.* Non erat porro neceſſe Kieslingi mi, ut Veranium adduceres ad ſtatuendum Sacrum illum cultum divino inferiorem, cum Trombellius jam ſatis ſe ſe explicaverit: immo ſe ſe hac in re perſpicue explicent Catholici omnes, qui propterea, ut æquivocationes omnes, ambiguitateſque evitent, *Dulia* vocem ad denotandum cultum Sanctis delatum adhibent. Mera itaque, ſed non toleranda calumnia id eſt, quod tu Catholicis exprobas, ſcilicet ab iis Divinum cultum deferri Sanctis. *Hunc autem cultum Romanenſes ſuis Sanctis tribuunt Religioſum & Divinum, quod eſt in aprico.* (b) O digna Kieslingio ſinceritas; quandoquidem id apertiſſime negamus: neque id temere, quoniam probavit per totam VI Diſſertationem Trombellius oſcula-

ima-

(a) Exerc. VI. pag. 35. (b) §. 2. pag. 36.

Digitized by Google

imaginibus impreſſa, dies feſtos in Sanctorum honorem celebratos, ſacras ædes ſanctorum nominibus appellatas, & reliqua hujus generis delata Sanctis obſequia, non eſſe argumenta latriæ.

3. Admiror autem eruditionem tuam, & ingenii acumen, Kieslingi Clariſſime, dum ad refellendam Catholicorum perſuaſionem, qua ſacro quidem honore, remotiſſimo tamen a divino Sanctos proſequuntur, Athanaſium adducis adverſus Paulum Samoſatenum, diſputantem. Præſtat ſane tuam ipſa n argumentationem adducere, ut diſcat Lector, quam acutus ſis, & vere admirabilis diſputator. „ *Subterfugium*, inquis [a], *a Sanctorum præſtantia & dignitate deductum* „ *ſuo jam tempore enervavit Athanaſius in diſputatione contra Paulum* „ *Samoſatenſem, & eos, qui ipſius ſomnia amplectebantur. Sed aſſeve-* „ *rat*, inquit, *Paulus Samoſatenus genitum ex Virgine non niſi hominem* „ *eſſe, neque quicquam habere ex natura ſua, quod divinitatis ſit, ſed* „ *Deum in hunc ipſum deſcendiſſe.* Et poſt pauca. *Cum igitur Samoſa-* „ *tenſes dicunt, alterum ſolum hominem, alterum ſolum Deum eſſe, ab-* „ *ſit ut hanc doctrinam recipiamus. Nam ſi cavillantur, Deum habitan-* „ *tis more in carne ſua fuiſſe, repudientur; ſin autem Deum in nobis* „ *habitaſſe referant, recipiatur quod dicunt: id enim ſcriptura teſtatur:* „ habitabo in eis, & ambulabo, *alioqui nihil diſcriminis inter nos,* „ *& Chriſtum eſſet. Quapropter ſi adoras hominem Chriſtum eo quod ibi* „ *inhabitet Dei Verbum, una opera adora quoque Sanctos ob Deum, qui* „ *in illis domicilium habet. Ex hoc Athanaſii contra Samoſatenſes cer-* „ *tamine duo colligimus teſtimonia. Unum, hoc Athanaſii tempore San-* „ *ctos non fuiſſe invocatos, neque adoratos. Alterum neque adorandos eſſe* „ *Sanctos eo nomine, quod Deus in iis habitat, & quod illum ipſum in* „ *tribuendis vitæ ſpiritualis, & gratiæ dotibus habent fautorem. Invicta* „ *itaque noſtra ſtat ſententia, cultum, quem fingunt Romanenſes, inter-* „ *medium, quo Sancti ſint colendi, futile eſſe aliquod inventum, & ſua-* „ *ve ſomnium.* „

4. O quam belle argumentaris Kieslingi! quam præclare, quam ingenioſe! Tamen cave, ne in jurgioſi hominis manus hæc incidant. Reprehendet nempe priora ipſa verba: *ſubterfugium enervabit: ſomnia amplectebantur.* Quis enim *ſubterfugia enervat*: & *ſomnia amplectitur?* Sed cui etiam non diſpliceant verba illa tua? *Ex hoc Athanaſii contra Samoſatenſes certamine duo colligimus teſtimonia.* An teſtimonia colligere idem eſt atque argumenta eruere, ſeu conficere: ut dum putas ex allegato Athanaſii loco poſſe a te duo argumenta confici, teſtimonia duo a te colligi dicas? Sed hæc omittamus, veniamuſque ad argumentum ipſum; ideſt, ut tu appellas, ad duo teſtimonia. Profecto, Kieslingi, peſſimus cenſor es, & qui toties te naſutum criticum jactitas, negligentem te prodis, & imperitum. An neſcis a viris doctis, veluti Petavio

[a]

[a] Ex. VI. §. 11 pag. 37.

[a] & expresse a PP. Benedictinis, tribui opusculum quod tu Athanasio tribuis, ignoto auctori, qui ab Athanasii ætate multum abesse creditur? *Epistolam de incarnatione Dei Verbi* [inquiunt Sapientissimi hi Monachi *(b)*] *Athanasii non esse, eruditi complures suspicantur, quorum opinioni ut assentiamur, haud levibus sane movemur argumentis. Illo namque ævo scripta est, quo hæretici duas esse in Christo personas aperte, & summa vi contendebant, ut fertur n. 2. quod certe ad Athanasii ætatem nemo doctus referat, sed potius ad tempora Nestorianorum, quorum hic hæresis confutatur.*

5. Alia quoque iidem doctissimi Monachi in eandem rem conferunt. Et sane, ut cum ipsis concludam: *Si Athanasii esset, a Cyrillo, vel a Synodo Ephesina laudata fuisset: aptior quippe ad Nestorianam confutandam hæresim, quam epistola ad Epictetum frequentissime ab iisdem laudata. In hac enim, uti diximus, ipsa Nestorii hæresis impugnatur, ut etiam Codicis Basileensis Scholiastes ad marginem annotavit.* Tu igitur, qui tuo quidem judicio, omnium hominum eruditissimus es, ideoque Poetas, Philosophos, Historicos sæpe exaggeras, ut te doctissimum præferas, tu qui severissimum censorem agis, tu qui magnum in Israel magistrum esse te jactitas [c], Athanasii librum profers adversus Trombellium, in cujus scriptis sane non paucis erratum tale nullum offendes?

6 At fac, Kieslingi, præclarissimi esse auctoris opusculum istud: Cur recte illud non recitasti? Tu ita de Samosateno loquentem Scriptorem istum facis: *Asseverat*, inquit, (Paulus Samosatenus) *genitum ex Virgine non nisi hominem esse*; Nullam tamen Samosateni ipsius mentionem facit hic Scriptor: sed tantum *Samosatenses*, quo quidem nomine non alios indicat, nisi, uti diximus, Nestorianos; tribuit autem *incredulitati* (idest Nestorianorum sectæ), quod tu Samosateno tribuis. Sine autem Kieslingi mi, eam interpretationem me adducere, quam ex Patribus Benedictinis accepimus, ex qua scilicet nosces me vera, te falsa loqui. *Quibus* (loca Scripturarum innuit, quæ antea allegarat) *suam ipsius deitatem aperte nos edocet, nec tamen aufert, quod secundum carnem assumpserat, sed se ipsum cum carne conjungit: quandoquidem juxta Paulum* in similitudinem hominum factus est, & habitu inventus ut homo. *Homo autem una persona, & unum animal est ex spiritu, & carne compositum, ad cujus similitudinem intelligendum est, Christum unam esse personam, & non duas, ut jam incredulitas magnitudine divinæ gratiæ destituta, & in Gentilium scandalum prolapsa, aperte & summa vi contendit. Cum eum non credat possibile esse Deum hominem fieri, juxta Joannis verba initio posita*

Ver-

(a) De Incarn. I 9. 4. *Sic apud Athanasium in libello de Incarnatione Verbi contra Paulum Samosatenum, qui mihi non esse videtur illius.*

(b) To. 2. pag. 33. (c) Præfatio. §. 21. pag. 37.

Verbum caro factum est; *ideo dicit, hominem quidem eum esse ex Virgine natum, & ex natura sua nihil divinum habere; Deum vero in hunc ipsum descendisse. Porro qui hæc dicunt, sibi ipsi adversa proferunt, quasi verbo contradicentes, dum ajunt filium hominis non è Cælo descendentem, sed e terra surgentem, Deum e Cælo descendentem in se recepisse. Nos itaque decet divinis inhærere verbis, nec ratiociniorum disputationibus illa prodere, quæ nobis ita manifeste prædicata sunt. Cum itaque Samosatenses sequaces nobis dixerint, alterum hominem dumtaxat, alterum Deum esse, ne illos admittamus. Immo etsi dixerint, Deum in homine inhabitare, ne recipiamus eos: inhabitat enim & in nobis, ut scriptum est*: inhabitabo in illis, & inambulabo. [*a*] *Ergo ex illorum sententia in nullo a nobis Christus differt; ita ut si hominem cum Deo Verbo simul adores propter inhabitationem, adora quoque Sanctos propter eum qui in illis inhabitat. Quomodo illud absurdum non fuerit? dicere autem hominem ante Spiritum Sanctum* (ideſt ante Deum) *glorificatum fuisse, extrema est impietatis. Nos itaque spiritu Deum, & carne hominem, Dominum nostrum esse credimus, etiamsi increduli illi generationem ex muliere irrideant; quia carnis generatio illa est, non deitatis.*

7. Quibus quidem positis, vides, quàm facile tua grandis argumentatio dissolvatur. Profecto nihil plane de invocatione habet hic auctor. Unde ergo eruis, Sanctos Athanasii tempore non fuisse invocatos? At neque, si sapis, erues hujusce Scriptoris, quisquis is est, tempore, sacrum illum honorem, quem nunc deferimus Sanctis, non fuisse iis delatum. Audi Kieslingi tui argumenti fallaciam. De adoratione *rigorose sumpta* loquitur Scriptor hic; quam quidem adorationem Nestoriani Christo tribuebant, tametsi docerent eum non esse ex *natura sua Deum*, sed tantum Deum in eum descendisse, ita vero in eum descendisse, uti descendit in justos, quos gratia infusa (*Deus inhabitans*) *divinæ consortes naturæ* efficit. Porro rectissima est hujusce Scriptoris argumentatio. Ostendit scilicet, Nestorianos non agere consentanee. Cur enim totius Ecclesiæ consuetudinem secuti Christum adorabant (*rigorose* scilicet, uti diximus, sumpta *adoratione*) quando quidem eum ratione hac adorare non poterant, nisi vere Deum esse faterentur? Num adorabant, quia Deus in eum descenderat, & in eo inhabitabat? Id scilicet insanum eorum dogma docebat. (*b*) Sed descendit etiam in justos, atque in iis per gratiam inhabitat [*Habitabo in eis &c.*] Hi itaque [Nestorianorum quidem sententia] ad eundem modum adorandi erunt. Quod cum facere recusarent, reliquum est, ut alia de causa Christus adorari debeat. Erit autem causa hæc illa ipsa, quam Catholica Ecclesia palam adducit, dum assumptæ a Christo Naturæ *hypostatice* unitum Divinum Verbum, verum Deum esse docet. Ineptissimam porro rationem afferebant Nestoriani, cur Christum adorarent, & non Sanctos; quia

[*a*] Levit. 26. 12. (*b*) Vide quæ tradit Petav. *de Incarnatione* I. 9.

ſcilicet, inquiebant, homo ille, qui Chriſtus ob eximiam ſanctitatem dictus eſt, antequam etiam Deus in eum deſcenderet, glorificatus jam erat. Adeo vero inepta hæc ratio eſt, ut eam ſcriptor iſte refutare recuſet manifeſtam impietatem appellans. *Dicere autem hominem ante Spiritum Sanctum, ideſt ante Deum* (illi unitum) *glorificatum fuiſſe, extrema eſt impietatis.*

8 Vides itaque, Kieslingi mi, verbis te ludere, & voce *adorationis* abuti. Ad cultum divinum denotandum eam adhibet Scriptor iſte, quem Athanaſium appellas, qui *adorationis* vocabulum *rigoroſe* ſumens, recte monet Sanctos adorari non poſſe: tu vero multo latius eum ſumpſiſſe fingis, quatenus ſcilicet interdum accipitur, & Sanctis etiam tribuitur a Catholicis.

9 Ceterum ſcito, Kieslingi, minime docere Catholicos cultum adhibendum eſſe Sanctis, quod in iis inhabitet Spiritus Sanctus ſed quod in iis veluti *in peculiari & ornatiſſimo templo permanſit, ſeque prodidit Spiritus Sanctus, qui ab hoc templo aut nunquam diſceſſit, aut ſi diſceſſit, rurſus illud peculiari ratione incoluit, egregiiſque virtutibus atque ornamentis ditavit, illuſtravitque, donec ſanctiſſimam vitam haud abſimili morte is clauderet, cujus animam incoluerat, ampliſſimiſque ditaverat donis idem Spiritus Sanctus.* Hæc verba, aliaque ad rem hanc valde apta vulgarat Trombellius anno 1741. (*a*), quæ proinde tu conſulere commode poteras. Quamquam, uti dixi, his non egeo, qui grande illud, &, ut tibi placet, indiſſolubile argumentum plane diſſolvi,

AD

[*a*] Diſſert. VIII cap. IX §. 4. pag. 340.

AD EXERCITATIONEM VII.

CAPUT I.

Priora Kieslingii argumenta afferuntur, ac dissolvuntur.

1. TAndem aliquando, Kieslingi, ad ea te vertis, quæ Trombellius principio statuerat, quæque proinde a te quoque principio expendenda erant, ut ordine progredereris. Sed nimium te angebat alienatio a sententiis Catholicorum, adeo ut te continere non potueris, quin statim effunderes quidquid eruditio tua jam collegerat. Sed hæc omittamus, aggrediamurque Exercitationem ipsam tuam. Dicis *crambem vel centies recoctam a Trombellio apponi, divisionemque latriæ, hyperdulia, & dulia innovari, vobisque obtrudi.* Sed quis, nisi Kieslingius is sit, *crambem recoctam* appellet Trombellii curam, qui, ut diffidiorum, quæ ex vocibus oriuntur non ea, qua convenit, claritate explicatis, causam tollat, & Catholicorum sensa perspicue aperiat, exhibet quid nominibus his *latria, dulia, & hyperdulia* intelligatur? Minime tamen miror te, qui *statum quæstionis* sæpe omittere consueviſti, qui ambiguitates, & æquivocationes, & mendacia ipsa adeo amas, & consectaris, ut æqualem honorem dicas a Catholicis Deo, & Sanctis tribui, licet hi sæpissime testentur diverso prorsus animo & voces quasdam, & nonnulla honoris argumenta adhiberi, adeo ut ab interiori intentione, interdum etiam a circumstantiis determinentur, vel ad protestandum obsequium erga supremam Dei excellentiam, vel ad longe minorem honorem quem Sanctis deferimus: minime, inquam, miror, si oderis summam illam diligentiam, quam adhibet Trombellius in ipsa nominum vi, ac significatione explicanda, illustrandaque. Noscis scilicet, quantum cautio ea ad ambiguitates evitandas, & lites componendas juvet. Sed reliqua prosequamur.

2 Non levis impudentiæ [*tam impudenter*] Trombellium deinceps accusas. Cur? obsecro. An Scripturas, an Patres, ac præcipuum Doctorem aliquem contempsit? Nihil minus. Cur itaque impudens est? Bonaventuram attulit summi nominis virum, Scholasticum antiquissimum, ingeniosum, pium, Scriptorem præterea, ut illis temporibus, valde doctum. Attulit vero, ut ostenderet jam dudum in Scholas fuisse invectam eam significationem, quam nunc adhibemus, vocum *latria, dulia, & hyperdulia*, utque certior fieret Lector vocem *hyperdulia* nunc omnino non sumi ad denotandam protestationem obsequii summi, quod Deo debemus, sed protestationem tantummodo honoris, excellentiæ Mariæ convenientis. Et hæc est im-

Digitized by Google

pudentia non levis? *Tam impudenter*. Utique, Kieslingio nimirum judice, non levis impudentia ea eſt. Audi Kieslingium ipſum, ne ſcilicet videar falſa eloqui. VII [ſubſtitue paragrapho] *aſſerit* [Trombellius] *ex Bonaventura tam impudenter. Ex hoc enim quod Mater Dei eſt, prælata eſt ceteris creaturis, & eam præ ceteris decens eſt honorare, & venerari: hic autem honor conſuevit a Magiſtris hyperdulia vocari. Et accipitur verbum illud de gloſſa ſuper II. Reg. ubi dicitur Dulia major, & Dulia minor.* Et mox. *Ad illud quod obiicitur, quod Chriſtus honoravit Matrem ſuam: dicendum quod verum eſt; ſed Chriſtus non adoravit eam adoratione latriæ, ſed hyperduliæ; Non enim adoravit eam ut Deam, ſed ut filius Matrem ſuam &c.* Si ita ſe habet res Kieslingi, malo impudens eſſe cum Bonaventura, & Trombellio, quam tecum *modeſtus eſſe*. Impudentia enim Bonaventuræ, & Trombellii non aliud eſt, niſi perſpicua explicatio ſignificationis vocum *dulia*, & *hyperdulia*, ideoque, uti loquuntur Scholaſtici, *clara explicatio terminorum*: tua vero modeſtia, jugis, & atrociſſima adverſus probos quoslibet calumnia eſt.

3 *At male applicat* (inquis Bonaventuræ dicta redarguens) *verbum adorare, quando Salomo matrem adoravit. Salomo honoris officium Matri præſtitit ſine omnis Religionis, aut ſaltem duliæ cultu. Chriſtum autem unquam Matrem cultu hyperduliæ adoraſſe inſulſum eſt, ſi de hoc cogitaveris adorationis obſequio. Hoc ſi feciſſet, idololatriæ non expers fuiſſet. Quod filium decebat, Matri abſolvit, pietatis ſtudium, ſeque ad mores, & mandata ipſius compoſuit Chriſtus, ut Luc. II. 51 legimus. Ex hoc obedientiæ ſigno, nulla apparet hyperdulia, alias ſequeretur omnes liberos, qui parentes honorant, & ipſis obtemperant, eos cultu hyperduliæ afficere. Sic itaque Chriſtus Maria matre longe eſt inferior, & Creator ſervit Creaturæ, quam tamen non una tantum vice caſtigavit.* [*a*] An neſcitis mihi agenda eſſe mei Patris negotia? [*b*] Mulier quid mihi tecum? *Quæ modeſta Jeſu Matris caſtigatio omnem hyperduliæ cultum reſpuit.*

4 Kieslingi mi erras ſane, & multum erras, ſi propterea Bonaventuram *impudenter* locutum facis. An ille impudens eſt, qui voce aliqua utitur in ſenſu non admodum uſitato, quod feciſſe tu vis Bonaventuram, qui vocem *adoravit* adhibuit ad denotandum eum honorem, quem Chriſtus adhibuit Mariæ, illamque ſubjectionem, quam illi proteſtus eſt? Minime vero: alioquin impudentiſſimos facies Philoſophos, Theologos, & Rhetores fere omnes, qui ſæpe voces adhibent in ſignificatione non admodum frequenti. At neque infrequens eſt ea acceptio, uti manifeſto oſtendit Trombellius Capite III Diſſertationis I, cujus exempla nec contemnenda ſane, nec pauca tu omittis, ut glorioſus apud tuos videaris. An magis in hujus

(*a*) Luc. II. 49. [*b*] Et Joan. II. 4.

jus vocis uſurpatione audax Bonaventura, quam aut Paulinus hæc elocutus :

Ecce Sacerdotis reditum ſatiatus adoro,

aut Leo, cujus ſunt notiſſima verba : *Ut doceant* (Manichæi) *in Sole & Luna colere Chriſtum, & jub nomine Spiritus Sancti, ipſum talium impietatum Magiſtrum adorare* [ideſt ſummo honore afficere] *Manichæum*. Ut porro ſcias Bonaventuram hoc in loco voci *hyperdulia* eam ipſam dediſſe ſignificationem, quam habent voces *reverentia*, *honor non levis*, aut *ſubjectio*, audi primo quidem objectionem, quam ſibi ſolvendam proponit, tum integram ejuſdem objectionis ſolutionem. Objectio hæc eſt. „ Item filius Dei exhibuit reverentiam & „ honorem ipſi Virgini ſicut ſuæ matri : Ergo ſi ſubiecit ſe, vult per „ conſequens, quod unuſquiſque eidem ſubiiciatur, & quod honor, „ qui ſibi impenditur, illi impendatur. Si ergo hujuſmodi eſt latria, videtur &c. „ Solutionem vero eidem argumento hanc adhibet. „ Ad illud quod objicitur, quod Chriſtus honoravit matrem „ ſuam, dicendum, quod verum : ſed Chriſtus non adoravit „ eam adoratione latriæ, ſed hyperduliæ ; non enim adoravit eam „ ut Deam, ſed ut filius Matrem ſuam : ideo bene ſequitur, quod „ Chriſtus vere Matrem ſuam debet adorare & venerari, *ſicut decet* „ *Matrem Dei* : ſed ex hoc non ſequitur, quod velit illum honorem „ matri exhiberi, quem vult exhiberi ſibi ; pro eo quod ita eſt ma„ ter quod (*a*) ancilla : & perſona matris in infinitum inferior eſt „ perſona filii : ideo etſi multum debeat adorari, & amari, in infi„ nitum tamen minus debet adorari, & amari ſecundum legem „ juſtitiæ, & rectum ordinem ; quia filius ejus eſt *Rex Regum*, & „ *Dominus dominantium*. „

5 Porro his poſitis, facile tua objectio diſſolvitur. Dum Chriſtus honoravit matrem, non eam matrem honoravit, quam naturali & communi lege ſortiuntur homines, ſed eam matrem quæ virtutibus ſuis habitaculum Verbo Dei ſe non indignum effecerat, eam matrem quæ viri expers, humilitate, & obedientia ex Spiritu Sancto concepit, quæ novem menſibus, quibus in ſacratiſſimo utero eum geſſit, ſe diſpoſuit, ut in partu eximia dona reciperet : quæ Deum aluit, enutrivitque : Matrem denique quæ in conceptione Verbi Dei *gratia plena*, eandem gratiam ſummum in modum auxit. Excellentiam itaque hanc, quæ decet Matrem Dei, honoravit Chriſtus. Porro hæc excellentia non modo ſacra erat, ideoque objectum *Dulia*, verum etiam in eo ipſo genere eminentiſſima ; ideoque digna, quæ *hyperdulia* honoraretur : dixit enim expreſſiſſime, præunte Vaſqueſio Trombellius : (*b*) *hyperduliam non eſſe virtutem diſtinctam a Dulia, ſed eximium opus illius*. An tu Kieslingi dum Matrem tuam honoraſti, hæc in ea merita, excellentiam hanc honorare poteras & revereri? Fatemur ita-

(*a*) ideſt, ut ſit. (*b*) Diſp. 2. cap. 2. §. 3. pag. 15.

itaque Christum nullam Duliam eam ob causam adhibuisse Mariæ Sanctissimæ, ob quam nos sæpe adhibemus, ita scilicet, ut subsidium, opemque ab ea posceret: erat enim ille fons bonitatis, habebatque in manu sua thesauros divinitatis & gratiæ: at negamus non adhibuisse aliam ob causam, & præsertim ut dona Dei, & excellentiam gratiæ in Maria agnosceret & honoraret. Neque vero Trombellii, immo potius Bonaventuræ, & sapientissimorum Virorum persuasioni quidquam officiunt duo ea Evangelii loca, quæ tu adducis. Ea scilicet explicabuntur a Trombellio in eo, quem parat de Maria Sanctissimæ tractatu, atque ad eum te allego.

6. Ludis porro operam, seu, ut clarius & verius dicam, insanis potius, Kieslingi Clarissime, dum hæc de Christo loqueris: *Hoc si fecisset* (idest si Matrem cultu hyperduliæ honorasset) *idololatriæ non expers fuisset*. Postquam millies testatus est Trombellius, immo postquam millies testati sunt Catholici omnes, infinito intervallo differre Latriam a Dulia, illiusque genere præstantissimo, quale *hyperdulian* diximus: postquam objectum illi infinite distans asseguaverunt; Latriæ scilicet infinitam excellentiam, Duliæ creatam & finitam: postquam sacrificium, & quæcunque ad sacrificium *per se* ducunt, Latriæ reservaverunt, Duliæ ademerunt; tu dicis Idololatriam commissurum fuisse Christum, si Mariæ hyperduliam adhibuisset: O quam apte tibi conveniunt Kieslingi Clariss. illa Augustini verba (*a*) *Tantam cæcitatem cordis tibi potuisse contingere quis credit, nisi qui hæc legit?*

7. Audite porro, quomodo excipiat Kieslingius noster ea quæ §. 2 capitis II Trombellius ad hunc modum tradidit (*b*): *Fateor equidem a veteribus multo diversam significationem tributam esse vocibus Latriæ ac Duliæ, ac nos tribuimus. Sed Augustini, aliorumque Scriptorum e quibus nonnullos nuper citavimus, auctoritas non levem purgationem nobis subministrat, si significatione nonnihil a veteri remota adhibeamus. Eorum nimirum exemplum animum nobis addidit, ut paulo aliter, ac consueverint prisci Scriptores, Duliæ vocem, aliasque similes adhibeamus. Scilicet si nostris jam dudum licuit Latriæ vocem a priori significatione aliquantum abducere, & ad aliam deflectere, cur non licebit nobis Duliæ vocem ab antiquissima significatione aliquantum abducere, & ad aliam deflectere, quam non profanorum auctoritas, sed Ecclesiastica consuetudo dedit? Quod si profanas, immo & Poetarum auctoritates cum grammaticis præsertim agenti adhibere licet, præclare sane Horatius cecinit.*

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Plurimaque extant exempla, quibus certiores efficimur a Doctoribus nostris immutatas fuisse quandoque antiquas vocum significationes, ut eas sacro usui

---

[*a*] Operis imper. contra Julia. lib. 4. cap. 112. (*b*) Pag. 14.

uſui accommodarent; quod palam demonſtrant notiſſima exempla vocum Perſona, *&* Hypoſtaſis, *quæ quum adhibentur, ubi de Trinitate Sanctiſſima agitur, ab Eccleſiaſtica auctoritate ſignificationem obtinent multum ab ea diverſam, quam antea obtinebant. Eadem vero Eccleſiaſtica auctoritas* Hyperduliæ *vocem in Theologiam invexit; uſi ſunt nempe Doctores noſtri jure ſuo, atque imitati ſunt exemplum Clariſſimorum illorum, ac Sanctiſſimorum Patrum, qui in Niceno Concilio in fidei confeſſionem* Homouſion, *a paucis antea adhibitam, in Eccleſiam introduxerunt, & ut ita loquar, ſanctificaverunt.*

8 Ad primum quidem hæc reponit Kieslingius (*a*) „ Nihil nobis „ hac ipſa Vene. Trombellii confeſſione accidere poſſet optatius, nec „ ille primus eſt, qui in re tam perplexa veritatem confeſſus eſt, „ ſed ſuæ Confeſſionis teſtem habet jam Bellarminum.... Facile „ his figmentis ſuperſedere poterant Romanenſes, ſi recta incedere „ voluiſſent via, & cultum qui ſoli Deo debetur, ipſi integrum con„ ſervare. Entia enim præter neceſſitatem non ſunt multiplicanda. „ Solus Deus eſt colendus; proinde inter voces Latria, & Dulia, „ quæ non raro conjunguntur, aut poſterior priori ſubſtituitur, nul„ lum prorſus eſt diſcrimen.

9 Alterum vero Trombellii monitum ad hunc modum primo quidem immutat plane & deformat: [*b*] *Doctores Eccleſiæ has voces, ut olim Patres Eccleſiæ vocabula Perſona, Hypoſtaſis, & Homouſion introduxerunt, & ut ita dicam ſanctificaverunt.* Tum ad hunc modum teſtatur. „ Hæc mihi ne quidem per ſomnium incidiſſet excuſa„ tio. Obtuſioris Eccleſiæ noſtræ Viros putat eſſe ingenii, quando „ hæc talia fingit. Aut ſe ipſum decipit, aut nos decipere „ ſtudet. Verum eſt recepiſſe Patres Eccleſiæ Verbum, perſona, „ ut exprimerent vocem, hypoſtaſis, & ſignificarent, Jeſum Dei „ filium unigenitum eſſe perſonam per ſe ſubſiſtentem, imaginem „ Patris ſeu characterem hypoſtaſeos. *Heb. I. v.* 3. Fecerunt hoc ob „ unam eandemque, quam cum Patre habet, eſſentiam. Et ſic ſe „ res habet cum voce ὁμοίσιος, quam Patres Concilii Nicæni primi „ contra Arianos ad evincendam filii cum patre eſſentiam ſeu con„ ſubſtantialitatem, adhibuerunt. Videbatur ipſis hoc verbum ap„ poſitum ad ſignificandam Jeſu Chriſti divinitatem, &, ut cum Ce„ leb. *Georgio Bullo* loquar, conſubſtantialitatem. Non imaginarium „ fuit vocabulum, ſed in re ipſa fundatum. Excitatus Cel. *Bullus*, „ illuſtre Angliæ decus, ex antiquiſſimis patribus, ab ætate Igna„ tii, & Clementis Romani uſque ad ipſum Concilii tempus fuſe „ demonſtravit, voces, hypoſtaſis, & ὁμοίσιος, non eſſe campanam „ ſine piſtillo, ſed eas graviſſimum & firmiſſimum habere argumen„ tum, firmamentumque; quia omnes Eccleſiæ quotquot vixerunt „ Patres, Jeſu Chriſti divinitatem, & conſubſtantialitatem, jam an-

te

[*a*] Exercit. VII pag. 40. (*b*) pag. 40. ut ſupra.

„ te hoc Concilium ſunt profeſſi. Inde optime huic argumento, quod „ prolixius tractavit, his verbis coronidem imponit. *Itaque tandem „ luculentiſſimis teſtimoniis e ſingulis Scriptoribus Ante-Nicænis, quorum „ vel integra ſcripta, vel fragmenta ſaltem aliqua reperire potuimus, „ adductis, Theſin noſtram ſecundam abunde comprobavimus, quæ hæc „ ſunt: Filium Dei Deo Patri ὁμοούσιον ſive conjubſtantialem, hoc eſt, „ non creatæ alicujus, aut mutabilis eſſentiæ, ſed ejuſdem prorſus cum „ Patre ſuo naturæ divinæ, & incommutabilis, proinde Deum verum ex „ Deo vero eſſe, Catholicorum Doctorum, qui tribus primis ſeculis flo- „ ruerunt, conſtans, concorſque fuit ſententia.* Vocem hoc in ſenſu re- ſte & bene eſſe adhibitam, Romanæ Eccleſiæ Doctores affirmant. „ Ven. *Natalem Alexandrum* Pariſienſem ſententiæ vindicem adduco, „ qui ad propoſitionem: *Utrum vox ὁμοούσιον, appoſite & prudenter in- „ ſerta fuerit Symbolo Nicæni Concilii?* rem probat. *Nicæni patres,* „ inquit, *ὁμοούσιον Patri filium rectè ſunt profeſſi, eamque vocem fidei „ Symbolo appoſite & prudenter addiderunt.* Nec excitaſſe pœnitet. „ *Henricum Spondanum* Mauleoſolenſem, qui ita judicat: *Cæterum, „ quod calumniarentur Ariani vocem eſſe exoticam, nec reperiri in ſacris „ Scripturis:* Athanaſius *pluribus docet ejus ſignificationem ex iiſdem „ divinis eſſe litteris, nomenclaturamque non nuper inventum, ſed a „ Sanctiſſimis quoque Patribus uſurpatam, ab ipſis præſertim SS. Diony- „ ſiis, Romano, & Alexandrino Epiſcopis, & ante hos, a Theognoſto „ antiquiſſimo Theologo.* Quæ licet ſatis certa ſint, & evicta; nihil tamen juvant Ven. *Trombellium*. Nam alia plane eſt Duliæ & hy- perduliæ ratio. Hic habes arenam ſine auro. Deus Pater quidem Filio communicavit eſſentiam, & adorationis cultum, etiam qua humanam naturam *Philipp. II* 9. ob unionem perſonalem; ſed communiori em religioſæ adorationis eſſe Deum inter, & Sanctos ſtatuendam, nullibi extat. Nulla, ſi vel minutiſſimam finxeris, ad eos glorioſi cultus nota redit. Audi quæſo cultus ſui, & adorationis vindicem lon- ge potentiſſimum, ita ediſſerentem: *Meam gloriam alteri non dabo.* „ *Iſaï. XLII* 8. Rectè omnino Cel. *Henricus Morus*, Anglicanus Theo- logus, hoc diſtinctionis genus deridet, & fuſius explanat, cultum Religioſum non eſſe niſi unum. Externum autem cultum Religio- ſum, ſi vel in minimis gradibus devotionis ſeu internæ intentio- nis conſiſtat, in idololatriam deviare. *Futilis*, inquit, *& vana „ ſunt ad quæ recurritur in voculis recens excuſis, Dulia, Hyperdulia, „ & Latriæ ſubterfugia: quibus ſignificare volunt certas quaſdam diffe- „ rentias, & gradus cultus Religioſi, imo diſtinctas ejuſdem ſpecies, „ cum tamen non ſit niſi unus cultus Religioſus.*

10 Sed quod ad primum attinet: non video cur hac Trombel- lii, atque adeo Bellarmini, immo potius Catholicorum omnium con- feſſione glorieris, Kieslingi mi. Ipſi alibi & diligenter, & copioſiſ- ſime, & veraciter probant ſacro honore afficiendos eſſe Sanctos, & Mariam Sanctiſſimam in primis, quæ ſicut reliquis Sanctis meritis

præ-

Digitized by Google

præſtat, & excellentia; ita majori honore digna eſt. Porro hunc honorem, ut millies dixi, *Duliam* vocant, præeuntibus e minus antiquis Bonaventura, & reliquis omnibus, qui *Famulatum* appellavere obſequium, quod Sanctis adhibemus. Hæc non omiſerat Trombellius, cujus tu, pro more, (tam candidus es, ſinceruſque accuſator) probationes quoque & vindicias prorſus omittis. An erant prætermittenda quæ Capite XVII Diſſertationis IV ille tradiderat; quæque hic non repeto, quia nec pauca illa ſunt, nec obſcura? *Dominos* ſane, ut ex Patrum locis ibi allegatis conſtat, appellarunt Sanctos Paulinus Nolanus, & vetuſtus ille auctor, qui *Evodius* eſt appellatus, & cui debemus libros, qui *de Miraculis S. Stephani* inſcribuntur. Vide verba ipſa horum Scriptorum eodem Capite XVII deſcripta. An non etiam *famulatum*, quod vel ipſiſſimum eſt, ac *Dulia*, aut illi prorſus affine: an non, inquam, *famulatum* appellarunt vetuſti, iidemque probatiſſimi Patres illud obſequium, quod Sanctis adhibemus? An non antiquus, idemque valde probabilis ſcriptor eſt is, cui debemus homiliam *in SS. Epipodium*, (ſeu Ephipodium) & *Alexandrum*, [a] qui Scriptor ab aliquibus *Euſebius Emiſſenus*, ſeu potius *Gallicanus*, ab aliis *Eucherius* dicitur? Is tamen hæc ait: *Convenit in eorum* (Sanctorum) *celebritate fervere ſtudio, excubare famulatu*. An non vetuſtus, idemque valde probabilis ſcriptor eſt Auguſtinus? Is tamen perinde atque Eucherius *ſervitutem* appellat honorem Sanctis Martyribus in eorum celebritate delatum. Etenim enarrationem in Pſalmum XLIII ſic exorditur: *Paſſionis Sanctorum Martyrum diem hodie feſtum habentes, in eorum recordatione gaudeamus. Hunc itaque Pſalmum pro ipſa ſolemnitate curramus. Heſterno enim die multa audivit Caritas veſtra, nec hodie tamen huic feſtivitati negare potuimus noſtram ſervitutem.* An non denique vetuſtus [Ambroſii quippe Mediolanenſis æqualis] idemque valde probabilis ſcriptor Victricius eſt? At is in eo ſermone, qui *de laude Sanctorum* inſcriptus eſt, edituſque ab egregio Abbate le Beuf, hæc ait (*b*): *Ecce omnis ætas in veſtrum* (o Martyres) *funditur famulatum . . . . Hinc Presbyteri, & Diaconi, & omnis vobis cotidiano famulatu cognitus Miniſter occurrit.* Cur ergo in Trombellio, Kieslingi, reprehendis, quod Patres vetuſtiſſimi, & præſtantiſſimi tradidere?

11 Ineptiſſimum eſt porro quod tu ſubjungis, & quod antea ex te retuli: *Facile his figmentis &c.* (*c*) Scilicet tum antiquiores Catholici demonſtrarunt, tum certe Trombellius oſtendit, & Patrum auctoritate, & Theologica ratione, atque adeo Scriptura etiam eos inniti, qui Sanctos eo honore afficiunt, quo Catholica Eccleſia illos afficit: ac tu quidem apertiſſime oſtendis Veterum teſtimonia illis favere, quoniam ſæpe Trombellium irrides Patrum teſtimoniis fidentem. Porro

[a] To. VI Biblio. Lugdu. SS. Patrum pag. 668. (*b*) To. II Colle. n. 2. pag. xix. (*c*) n. 8.

ro his demonſtratur *figmenta* non eſſe ea, quæ de adhibito Sanctis cultu docent Catholici: nec per ipſum cultum adimi honorem eum, qui Deo debetur, neque enim tam imperitos, aut a pietate alienos arbitrari poſſumus probatiſſimos hos Doctores. An jubes me hic exſcribere integros Trombellii libros, ut tibi obſequar? Sed certe hac de veritate perſuadebitur ille, qui ipſos Trombellii libros, tuaſque exercitationes legerit: quamquam firmitatem fortaſſe nonnullam adducent meæ ipſe objectorum tuorum ſolutiones.

12 Quod ſi, uti valida probatiſſimaque ſunt argumenta, ita *figmenta* forent quæ Catholici adducunt, an propterea *Dulia*, atque *Hyperdulia* nomina reprehendenda? Minime vero. Figmentis ipſis, mendaciis, dolis, fallaciis quibuſcunque ſua nomina appoſite tribuuntur, ſic ut errari hic quoque ſummum in modum poſſit, ſi nempe aut nomina apta his denegentur, aut pervertantur, tribuaturque uni, quod alteri tribuendum erat. Sed tu, Kieslingi, metuis, ne nominibus ipſis apte explicatis tui mali doli detegantur, ideoque caves, ne apud veſtrates nomina ipſa audiantur, & explicentur. Et de prima tua ſolutione hactenus.

13 Quod itaque ad alteram attinet; quæ ſcilicet incipit: *Doctores Eccleſia has voces ut olim &c:* hæc ſua verba eſſe pernegat Trombellius, qui de te queritur, quod peſſime fidem ſolvas grandium tuorum promiſſorum, quibus te devinxeras, dum pollicitus es, nullam te prorſus Trombellii vocem immutaturum. An eos, quos appellat ille *Doctores noſtros* (a), *Eccleſiæ Doctores* appellavit? An docuit a Scholaſticis etiam [*Doctoribus noſtris*] introductas has voces *Perſona*, *Hypoſtaſis*, & *Homouſion*: quum apud omnes compertiſſimum ſit ante Nicænos ipſos eas fuiſſe in uſu? Hæc & reliqua, quæ tu illum dixiſſe ais, minime dixit Trombellius, ut pote valde cautus, & verax. Hinc quæ reprehendis, ea ſunt, quæ tu Trombellii verbis temere ſubſtituiſti, non ea quæ ille tradiderat, apta ſane ad id oſtendendum, quod ſibi ille propoſuerat. Ea vero quibus ipſum impetis, ad hunc modum repello. Nullum in Trombellii libris locum invenies, in quo hebetes tardique ingenii Proteſtantes appellet: immo ſcit, fateturque plurimos extra Catholicam Eccleſiam poſitos, ingenii & eruditionis laude gloriam non levem ſibi comparaſſe. De his loquebatur, cum exempla ea attulit, quæ tibi diſplicent. Neque vero opus erat, ut paginas impleres multa colligens, quibus oſtenderes rectiſſime fuiſſe adhibitam a Nicænis vocem *Homouſion*. An id negavit Trombellius, an non potius id veluti compertiſſimum exemplum adhibuit ad argumentum illud illuſtrandum, de quo diſſerebat? Hæc itaque omittere pla-

---

[a] *Uſi ſunt nempe Doctores noſtri* (quibus quidem vocibus non modo vetuſtos Patres, verum etiam Scholaſticos complectitur) *jure ſuo, atque imitati &c.*

Digitized by Google

plane poteras, niſi tibi ineſſet vehemens deſiderium, ut te omnium hominum eruditiſſimum tui putarent.

14 Veniamus igitur ad ea, quæ ad Trombellium pertinent: ad ea ſcilicet, *quæ*, te judice, *licet ſatis certa ſint, & evicta, nihil tamen juvant Venerabilem Trombellium &c.*(a) Sed hęc ipſa Trombellium minime impetunt, quæ diſſolvuntur plane iis monitis, quæ diximus. Derideat porro, quantum voluerit, Morus diſtinctionem hanc noſtram, illius irriſionem minime curamus. Poſtquam Catholici manifeſto oſtenderunt diſtinctionem hanc non temere, ſed rectiſſime introductam, exceptamque a Scholaſticis, ſi eam irridebit, in eorum numero erit, in quo tu es, Kieslingi: in numero ſcilicet eorum, *qui ea quæ ignorant, blaſphemant*.

15 At nefas ſit eum præterire locum, quem tu obiicis. (b) „ Iſaiæ 42. 8. ait Dominus: *Gloriam meam alteri non dabo*. „ Egregie dictum, Kieslingi. Periit hoc tuo argumento Trombellius, atque adeo periere Catholici omnes. Repete quæſo ſublime hoc argumentum, quo quidem ſe tua eruditio atque ingenii vis prodat. „ Hæc ait Dominus: *Gloriam meam alteri non dabo*: Temere itaque Catholici „ ſacrum honorem dividunt in Latriam, & Duliam, & hanc rurſus „ in Duliam communem, &, ſi loqui ita licet, minorem, & in Duliam excellentiorem, & Deiparæ propriam. „ Ne meos tamen omittam ſcrupulos, Kieslingi mi, tuum hoc argumentum ineptiſſimum ad id quod agis eſſe videtur, & tam aptum, quam foret iſtud. Hæc ait Dominus: *Honorem meum alteri non dabo*: Principes itaque, Magiſtratus, ac parentes honorandi non ſunt; aut, ſi vis, nemini adhibere honorem poſſumus. An non rideres, ſi quis ad hunc modum argumentaretur, moneresque, loqui Deum de ea gloria, deque honore eo, quem ſibi reſervavit, qui ſcilicet ſit *proteſtatio ſupremi dominii*: quem quidem vetat Dominus Deus ne alteri tribuamus; ſed præſertim vetat ne tribuamus Idolis, quibus eum honorem tribuebant Hebræi ii qui tum a Domino reprehendebantur: quippe Diis gentium & ſimulacris ſublime Domini nomen, & divinitatem ipſam impie, ac temere communicabant, eadem ſimulacra adorantes: ad hunc enim modum ſe habet integer verſiculus. *Ego Dominus: hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus*: qui quidem affinis eſt alteri Iſaiæ 48. 11. *Gloriam meam alteri non dabo. Audi me Jacob, & Iſrael, quem ego voco: ego ipſe, ego primus, & ego noviſſimus*. Sed non propterea vetat Dominus, ne conveniens honor tribuatur iis, qui eundem honorem merentur. Vide, obſecro, quæ ad affinem Scripturæ locum copioſe Trombellius tradidit capite VI Diſſertationis IV; quæ ſi tu inſcius prætereas, ſocors es, ac negligens; ſi de induſtria, vafre agis & malitioſe. Proba itaque, Kieslingi mi, proba a Catholicis veluti Deos fieri Sanctos, proba hos *Gentium*

(a) §. IV. pag. 41. (b) Ibidem.

Digitized by Google

Deos esse; ac simulacra. Hæc si probabis, tum denique fatebor, apte a te afferri eum, quem allegasti Isaiæ locum. Dum id non probas, neque tu, neque Morus tuus, neque alius quispiam negotium Catholicis faceſſet.

16 At præclariſſimus Trombellii, immo potius Catholicorum omnium Cenſor, & eximius accuſator his non movetur, duoque ſtatim monet: primum quidem: Nos adverſus Scripturarum auctoritatem voce *Dulia* uti ad ſignificandum eum ſacrum honorem, quem Sanctis deferimus; etenim Scriptura vocem eam adhibet ad denotandam eam ſervitutem, quam Deo præſtare debemus. „ Facile hoc „ labore (inquit Kieslingius [a].) ſuperſedere potuiſſent Romanenſes, „ quo novas voces contra Scripturam ſacram e ſuo cogitant cerebello. „ Auctores novi inſtrumenti hoc Pontificiorum diſcrimen ignorant, & vo„ ces λατρεύειν, & δουλεύειν promiſcue ponunt, & de cultu Religioſo, qui „ ſoli Deo debetur, uſurpant. Ita Servator aſſerit: *Non poteſtis Deo & „ Mammoni, ſcilicet opibus*, ſervire. Matth. VI. 24. δουλεύειν. Acce„ dit planus verbi ſervire usu, qui proprie ſervire eſt, ut vel „ ſexcentis probare poſſem exemplis: Chriſtus tamen verba Deu„ teronomii VI. 13. adhibens, ſervire λατρεύειν ſubſtituit, atque hoc „ ipſo edocuit utrumque verbum & λατρεύειν & δουλεύειν de cultu Re„ ligioſo ſumi Matth. VI. 10. Nec hoc inficiantur *Bellarminus*, & „ *Trombellius*. Nam vox *ſervire*, de cultu religioſo, qui Diis gen„ tilium præſtatur, legitur Exod. XXIII. 33. *Si ſerviveris Diis eo„ rum* δουλεύσουσι, & ad Epiſt. ad Galat. IV. 8. *Servivi ſtis eis, qui na„ tura Dii non ſunt*. Circa hæc verba obſervat Auguſtinus: *β ſer„ viveris Diis eorum, erunt tibi offendiculum. Hic Græcus habet ſer„ vire, non* λατρεύσεις. *Unde intelligitur, quia & δουλεία debetur tan„ quam Domino,* λατρεία *niſi Deo, tanquam Deo.* Noverit Ven. Abbas, „ vel me tacente, fictitium inter Latriam, & Duliam diſcrimen „ jam dudum eſſe exploſum. Probavit enim vir magnus ille Bata„ vus Fridericus Spanhemius, ex communi uſu vocum apud Scri„ ptores, & Scripturæ ſacræ lectione ſatis evidenter has voces *La„ tria*, & *Dulia* promiſcue de cultu Divino ſumi. Cui adiicio *Svi„ cerum*. Male igitur vox *Dulia* de cultu Sanctis præſtando a Roma„ nenſibus explicatur.

17 Argumentum alterum hoc eſt: Dum Dulia præſtatur Sanctis, vel iis præſtatur, ut Diis, vel ut Dominis. *Utrumque autem*, [inquit Kieslingius] *legi divinæ contrariatur. Sancti neque Dii, neque Domini noſtri* (ſubſtitue *ſunt*): *Nam unus nobis eſt Deus, Pater ille, a quo omnia, & in quem nos: item eſt unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & per quem nos.* Cor. VIII. 5.

18 Quoniam porro Catholici locum illum Apoſtoli Pauli Gal. V. 13. afferunt: *per caritatem ſervite invicem* [δουλεύετε], quo quidem lo-

[a] Pag. 43.

loco conſtat vocem *Dulia* adhiberi poſſe ad denotandum obſequium longe inferius illo, quod Deo debemus, ſeu, ut verbis Bellarmini utamur: *accipi etiam poſſe pro honoraria ſubjectione*: a quibus monitis non abeſt Trombellius, dum docuit vocem *Dulia* ſumi poſſe [*a*] *ad demiſſionem quamlibet, tametſi ingenuam, denotandam*: Kieslingius noſter id ſe diſſolvere poſſe confidit his verbis (*b*). *Humanitatis officium, ad quod præſtandum D. Paulus Galatas excitat cap. V. 13. nullum Romanenſibus ſuppeditat patrocinium. Neque hæc, quæ vivi ſibimetipſis invicem ſuggerunt, ſtudia ad mortuos ſunt trahenda. Quale enim officium præter piam recordationem, & ſempiternæ beatitatis votum, Sanctis præſtabis defunctis? Nullum omnino. Nec erubeſcimus hæc palam Romanenſibus objicere, eos non Dulia, ſed Latria Sanctos colere. Colunt enim eadem fere ratione ſuos Sanctos, qua Deum Optimum Maximum devenerari mortales decet. Dulia, de qua D. Paulus Apoſtolus excitato loco agit, & quam ſuam faciunt Pontificii, non involvit aliquam vel corporis, vel mentis erga alios homines ſubmiſſionem, nullam ſpem, fiduciamque, quam in ipſis ponimus, nullam adorationem, & invocationem, nullam ipſorum imaginum venerationem & oſculationem, nullam votorum ſponſionem, nullam denique Sacrificiorum, donorumque oblationem. Hæc autem omnia in cultu Romanenſium dulico, ut loqui ſolent, offendimus: Proinde ſummo jure concludimus, eos non Dulia, ſed revera Latria ſuos colere Sanctos, & cultui, qui ſoli Deo debetur, divino injuriam inferre. Non erraverimus, ſi dixerimus, hoc novo diſtinctionis genere Romanenſes veluti una fidelia duos vel tres dealbare parietes. Tametſi res adeo plana ſit, & perſpicua, ut facile aliis argumentorum & teſtimoniorum nervis ad firmandam noſtram ſententiam carere poſſit; placet tamen Romanenſibus hoc, quod de illo argumento jam dudum tulit, opponere Auguſtini judicium, ſane appoſitum. Videtur* Auguſtinus *non contra* Fauſtum, *ſed contra* Bellarminum, Trombellium, *omneſque Sanctorum cultores ſcribere, & omne Duliæ figmentum penitus deſtruere.* Colimus, *inquit*, ergo Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro euangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus. Sed illos tanto devotius, quanto ſecurius poſt certamina ſuperata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quam in iſta adhuc uſque pugnantes. At illo cultu qui Latria Græce [λατρεία] dicitur, latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit proprie quædam divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendos docemus, niſi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificii, unde Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam Sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo; & quiſquis in hunc

(*a*) Pag. 12. (*b*) Pag. 44.

hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſive ut corrigatur, ſive ut caveatur. *Perpulcre hæc ab Auguſtino ſunt dicta, quæ facile Romanenſibus bilem movent. Primo affirmat, nullum, niſi dilectionis, & ſocietatis cultum Sanctis eſſe offerendum; ſunt enim adhuc Eccleſiæ, ſed triumphantis Socii. Et quo majores & feliciores ſunt nobis, qui per varia rerum diſcrimina ad cœleſtem tendimus metam; eo ardentiori ſtudio eos amari, & complecti fas eſt. Ne vero quis ex his Auguſtini verbis:* Illi tanto devotius ſunt colendi, quanto ſecurius ſunt poſt certamina ſeparata, *cultum extorqueat dulcium; ſtatim in excitato loco omnem adorationem, & invocationem removet, aſſerens:* Etiam ipſi Sancti, vel homines, vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo, & Barnaba; apparuit & in Angelis, ſicut in Apocalypſi legimus. *Nullum igitur in his verbis, quæ nimis alte dicta videntur, Romanenſes inveniunt præſidium. Secundo monet, ſacrificia, & hujus generis alia, ad Latriam, quæ ſoli Deo debetur, ſpectare, & hoc ipſo illos, qui talia Sanctis præſtant, ſe idololatriæ crimine conſpurcare.*

19 Tum vero Trombellium quaſi devictum, proſtratumque ad hunc modum animoſe, ſibique blandiens compellat Kieslingius. *Dic quæſo, Ven. Trombelli, qua ratione ſine ſuperſtitionis macula, ſacrificia, & alia hujus cultus genera, quæ ſupra adduxi, in cultu Sanctorum defendere poſſis? Neceſſe habes, niſi omnem depoſueris pudorem, ingenue profiteri: Vos Sanctos non Dulia, ſed Latria colere, & hoc modo in Deum eſſe injuriosos, & gravi cenſura notandos. Falleris, ſi contrarium nobis perſuadere conaris. Fallere vero credentem, & ſtupidam Romanæ Eccleſiæ plebem, non operoſa eſt gloria. Tertio urget* Auguſtinus: *purioris doctrinæ cultores nulli Martyri, Animæ, aut Angelo offerre aliquod Sacrificium, quia ſana doctrina hoc inſtitutum corrigit, & corripit. Excellens hoc eſt nobis fidei Chriſtianæ, quam primitiva Eccleſia eſt profeſſa, teſtimonium, egregiumque ſane, quam in Lutherana Eccleſia conſervamus, doctrinæ documentum. Apparet ex hoc effato: Romanam Eccleſiam non habere ſanam doctrinam Apoſtolicam, quam nos cum primitiva Eccleſia tuemur. Primo ſtatim intuitu intelligimus S. Auguſtinum ad verba divi Apoſtoli Pauli reſpicere, qui veram Jeſu doctrinam ſanam, & ad pietatem excolendam imprimis proficuam appellavit his verbis:* Si quis, *inquit*, diverſam ſequitur doctrinam, neque ſanis Domini Noſtri Jeſu Chriſti dictis, pietatiſque doctrinæ accedit, is inflatus nihil intelligit 1. Timoth. VI 3. 4. *Cui divi Apoſtoli effato* com. 10. 1. Timoth. I & com. 9. Epiſtol. ad Tit. cap. I. *optime adjunxeris. Libra nunc veritatis expenſat* Venerabilis Abbas, *num hic Sanctorum Cultus ſanam Jeſu Chriſti doctrinam habeat amicam? Declaret hanc Romanæ Eccleſiæ de Sanctis perſuaſionem, verum de Deo ſejunctum, & vitæ ſanctimoniam promovere? Ecquis æquus rerum æſtimator dubitaverit, hanc Romanenſium opinionem a ſana Jeſu doctrina longius recedere? Nemo viros in dijudicanda Religionis veritate acutos, & juſtos vitii accuſaverit, qui ſpiſſis ſatis libris, Romanam Ec-*

Eccleſiam a ſana Jeſu doctrina receſſiſſe ad oculum demonſtrarunt. Nemo forte B. noſtrum Hunnium, *qui Romanam Eccleſiam Apoſtaſiæ ream fecit, jure reprehenderit?* Hactenus Kieslingius.

20 *O admiranda atque ſectanda doctrina! Quis dedignetur talem habere doctorem?* [a] mihi te diſputantem audienti liceat cum Auguſtino reponere. Ita ne vero Kieslingi Clariſſime? Itane Trombellium revincis? At ſcito Theologos non in ea eſſe ſententia, ut putent præcepto ſe adigi, ut ita in ea ipſa ſignificatione, qua aliquando acceptæ ſunt voces in Scriptura, conſtanter ſumant, ut nullam illis aliam tribuere ſignificationem poſſint. Dic mihi Kieslingi, an putas quando *Perſonas* dicimus Sanctiſſimæ Trinitatis, in ea ſignificatione vocem *Perſona* nos ſumere, qua ſumpſit aut Auctor *Sapientiæ* [quem librum contemnas, ut libet, Sacer eſt ſane], quum dixit cap. 17. v. 4. *& perſonæ triſtes illis apparentes pavorem illis præſtabant*? aut in ea qua dixit Apoſtolus Paulus [b] *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti?* Aut in ea qua ſumpſit Judas Apoſtolus, quum hæc dixit [c] *& os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas queſtus cauſa?* Aut quum ſæpiſſime monemur, *Deum non eſſe acceptorem perſonarum?* Nihil minus. Conſtat itaque poſſe Theologos ſumere voces a Scriptura adhibitas, in ſenſu longe diverſo ab eo, quo Sacri Scriptores adhibuere: idque confirmare poſſumus vocibus *Tiara, Bracce, Mitra, Calceus*, aliiſque plurimis, quas adhibere facile poſſumus in ſenſu longe diverſo ab eo, quo ſumpſere ſacri Scriptores. Sed quid ſi negem auctores novi Teſtamenti diſcrimen hoc ignorare? & voces λατρεύειν, & δουλεύειν promiſcue ſumere, & de *cultu Religioſo, qui ſoli debetur Deo*, uſurpare? Tu adducis quidem verba illa Domini Jeſu: (d) *Non poteſtis Deo, & Mammoni*, (ſcilicet opibus) *ſervire*. Matth. VI. 24. atque hæc adjungis. *Accedit planus verbi uſus, qui proprie ſervire eſt, ut vel ſexcentis probare poſſem exemplis: Chriſtus tamen verba Deuteronomii VI. 13. adhibens, ſervire* λατρεύειν *ſubſtituit, atque hoc ipſo edocuit utrumque verbum & λατρεύειν, & δουλεύειν de cultu religioſo ſumi Matth. IV. 10.* tum reliqua adjicis, quæ cum numero 16 retulerim, hic repetere non eſt neceſſe.

21 Sed quid proficis Kieslingi mi? Excipio porro, quod profers ex Evangelio monitum: *Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ* (ſeu, ut tu vis, *Mammoni*); ſcilicet opibus. Sed quid tum denique? An propterea ex albo Sacrorum auctorum novi Teſtamenti deles Paulum, qui non *de cultu religioſo*, & qui *ſoli Deo debetur*, adhibuit vocem δουλεύειν, ſed eam adhibuit pro *honoraria ſubjectione* aut obſequio alio longe minore illo, quod Deo debemus: quum Gal. v. 13. hæc ait: *Sed per caritatem ſervite* [δουλεύετε] *invicem*? Satis eſt autem locus hic, ut nobis perſuadeatur *Sacros novi Teſtamenti auctores* diſcri-

(a) Aug. lib. 2. de Orig. Ani. cap. 9. n. 13. [b] 2. Cor. 2. 10. [c] v. 16.
(d) pag. 43.

ſcrimen hoc; quod a Catholicis agnoſcitur & adhibetur, minime ignoraſſe, & voces λατρεύειν, & δουλεύειν promiſcue non ſumpſiſſe, nec de cultu religioſo, qui ſoli debetur Deo, perpetuo uſurpaſſe, ideoque non minus intemperanter atque immodeſte, quam falſo a te proferri arrogantia illa verba: (*a*) *Romanenſes novas voces contra Scripturam Sacram e ſuo excogitant cerebello*? Conſtat itaque vocem λατρεία, & ab ea derivatas jugiter ad cultum divinum, & conſtanter ſumi, non item δουλεία, quæ, uti diximus, multo ampliorem ſignificationem aſſequitur. Cur tu Kieslingi, contra omne fas, præteris monitum Auguſtini, quod tamen attulit Trombellius? (*b*) An hunc quoque Sanctum Doctorem in eorum numero pones, in quo Trombellium, & reliquos Catholicos ponis, qui ſcilicet, ſi te audimus, *novas voces contra Scripturam Sacram e ſuo excogitant cerebello*? Sed præſtat ad vindicandam calumniam, quam adverſus Catholicos ſtruxiſti, Auguſtini verba recolere, & integrum referre locum, ex quo nonnulla verba, ad id tamen quod agimus demonſtrandum aptiſſima, allegata ſunt a Trombellio. Ait ille, & merito ait: [*c*] *Spiritum Sanctum eſſe Patri, & Filio prorſus æqualem, & in Trinitatis unitate conſubſtantialem, & coæternum*: tum hæc ſubjungit. *Maxime vero illo loco ſatis claret, quod Spiritus Sanctus non ſit Creatura, ubi jubemur non ſervire Creaturæ, ſed Creatori: non eo modo quo jubemur per caritatem ſervire invicem, quod eſt græce δουλεύειν, ſed eo modo quo tantum Deo ſervitur, quod eſt græce λατρεύειν. Unde idololatræ dicuntur qui ſimulacris eam ſervitutem exhibent quæ debetur Deo. Secundum hanc enim ſervitutem dictum eſt*, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies: *Nam & hoc diſtinctius in græca Scriptura invenitur; λατρεύσεις enim habet. Porro ſi tali ſervitute creaturæ ſervire prohibemur, quando quidem dictum eſt*, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies; *unde & Apoſtolus deteſtatur eos qui coluerunt, & ſervierunt creaturæ, potius quam Creatori: non eſt utique creatura Spiritus Sanctus, cui ab omnibus Sanctis talis ſervitus exhibetur dicente Apoſtolo*: Nos enim ſumus circumciſio, Spiritui Dei ſervientes, *quod eſt in græco*, λατρεύοντες. *Plures enim codices etiam latini ſic habent*, qui Spiritui Dei ſervimus: *græci autem omnes, aut penè omnes. In nonnullis autem exemplaribus latinis invenimus non* Spiritui Dei ſervimus, *ſed* Spiritu Deo ſervimus. *Sed qui in hoc errant, & auctoritati graviori cedere detrectant, nunquid & illud varium in Codicibus reperiunt*? Neſcitis quia corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritus Sancti, quem habetis a Deo? *Quid autem injanius magiſque ſacrilegum eſt, quam ut quiſquam dicere audeat membra Chriſti templum eſſe creaturæ minoris ſecundum ipſos, quam Chriſtus eſt? Alio enim loco dicit*, Corpora veſtra membra ſunt Chriſti. *Si autem quæ membra ſunt Chriſti, templum eſt Spiritus Sancti, non eſt creatura Spiritus Sancti: quia cui corpus*

(*a*) Pag. 43. [*b*] Cap. I. n. 4. pag. 12. (*c*) lib. 1. de Trin. cap. VI. n. 13.

pus noſtrum templum exhibemus, neceſſe eſt, ut huic eam ſervitutem debeamus, qua non niſi Deo ſerviendum eſt, quæ græce appellatur λατρεία. Unde conſequenter dicit: Glorificate ergo Deum in corpore veſtro.

22 Porro apertiſſime hic docet Auguſtinus vocem hanc λατρία (*latria*) eſſe quidem determinatam ad divinum cultum ſignificandum, non item δουλία: hinc ſpiritum Sanctum Deum eſſe probat, quod Scriptura illud genus adorationis illi adhibendum jubet, quod eſt *latria*, non illud tantum, quod *Dulia* eſt. Judice itaque Auguſtino vox Dulia determinata non eſt [quod tu ais Kieslingi] ad divinum cultum ſignificandum.

23 Hinc grande tuum argumentum ad hunc modum diſſolvo. Locus deſumptus ex Matthæi 4. 10. ad id quod nunc agimus, non recte affertur: etenim habet λατρεύσεις. Et nos non de *Latria*, ſed de *Dulia* diſputamus. Fateor porro in reliquis tribus locis quæ tu adduxiſti, nempe Matthæi 12. 24; Exod. 23. 33; Gal. 4. 8, haberi voces quæ a δουλία proveniant: At loca hæc Exodi, & Epiſtolæ ad Galatas non id evincunt, quod tu vis: poſſunt enim explicari pro *honore*, & ſummam adhuc habere vim: neque enim [quod alibi dixi] tantummodo prohibemur adorare, ſeu colere Deos gentium, verum etiam prohibemur genus quodlibet honoris iis adhibere: In loco autem Matthæi VI. ea ſervitus verti facile poteſt in obſequium, & obedientiam quandam Dei juſſibus monitiſque obſiſtentem, adeo ut explicari ſic poſſit. *Non poteſtis ſimul obſequi Dei juſſibus, & inſpirationibus, & conſiliis illis, quæ nobis ſuggerit cupiditas, & prudentia ſeculi, amorque divitiarum; alter enim horum amorum alterum excludit.*

24 Sed fac, Kieslingi, in iis locis omnibus, quos tu allegaſti, vocem δουλία, & affines alias accipi pro vera ſervitute, immo pro cultu divino ſtricte ſumpto, quid tum demum conſequeris? Nihil plane, quod tibi faveat; fatetur enim Trombellius, [a] quod tu ſcis, ſed pro more diſſimulas, immo fatentur Catholici omnes, *Duliam* per ſe ſignificare *ſervitutem*. Sed adhuc tibi duo incumbunt: horum alterum eſt; & in hac tantummodo ſignificatione adhibitas eſſe voces has *Dulia*, & reliquas ab ea derivatas; hoc enim tibi pernego, Kieslingi mi (nec temere pernego: ut enim millies dixi, Apoſtolus Paulus voce δουλόυτε utitur ad denotanda obſequia illa, & caritatis officia, quæ Chriſtiani ſibi invicem præſtare debent): alterum, cogi Chriſtianos, voces a Scriptura aliquando adhibitas, in eadem prorſus ſignificatione conſtanter ſumere, adeo ut nobis non liceat ab ea tantiſper recedere. Porro hoc ipſum non probabis, tametſi ad plura ſecula vixeris.

25 His conſtitutis, facile diſſolvimus quod dicis de verbo *ſervire* (b). Kieslingi mi, tot exemplis non opus eſt, ut tuam effun-

(a) pag. 12. [b] pag. 42. *Accedit planus verbi ſervire . . . uſus, qui proprie ſervire eſt, ut vel ſexcentis probare poſſem exemplis.*

das eruditionem, & in rebus grammaticis peritiam: Si tanta illa in Hebraicis rebus eſt, quanta eſt in latinis, profecto Kieslingi, non multa eſt: ſed hæc omittamus, & in argumento propoſito conſiſtamus. Verbum *ſervio*, & affinia alia ſæpe æquivoca ſunt tam in Hebraico, quam in Græco, & Latino ſermone; hinc jure meritoque adhibere ea poſſumus ad denotandum illud obſequium quod Sanctis adhibemus. Vide quæ dixi paragraphis 20. & 21.

26 Quibus poſitis, clare perſpicies ad Duliam Sanctis adhibendam non eſſe neceſſe, ut eos veluti totidem Deos agnoſcamus, aut noſtros Dominos *rigoroſe* ſumptos: ſed ſatis eſt, ſi eos eſſe noverimus, de quibus hæc dixit Dominus Deus (*a*): *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus*. Hæc aliaque plura ad rem præſentem aptiſſima, quæ copioſiſſime executus eſt Trombellius Capite XVII. & XXIII Diſſertationis IV [*b*], quæque tu pro more retices, Kieslingi, ne videaris cauſa cadere, manifeſto oſtendunt, poſſe Catholicos Sanctos *venerari*, ideoque illis honorem illum præſtare, quem *Duliam* vocent.

27 Sed te, Kieslingi audiamus, locum Apoſtoli Pauli ad Gal. IV. 8. Catholicis obiicientem. Tua verba, cum jam attulerim, (*c*) hic repetere non eſt neceſſe. An tu hæc obiicis, qui ſtatim [*d*] fateris Apoſtolum Paulum eandem vocem in eadem ipſa epiſtola V. 13. adhibuiſſe *ad excitandos Galatas ad humanitatis officium*? Cur tam cito ſententiam mutas, & tuæ ipſius reprehenſionis obliviſceris?

28 Sed tuæ ipſi objectioni reſpondeamus. Duo autem complectitur: grammaticum unum, theologicum alterum. Grammaticum id eſt, quod ex male a Catholicis adhibita voce *Dulia* deſumis; longe ſcilicet aliter, te quidem judice, atque uſurparit Apoſtolus Paulus, ſumunt iſti. Theologicum vero, in quo eos ſuperſtitionis, atque idololatriæ accuſas. Quis enim idololatriam non appellabit cultum divinum delatum Sanctis? *Proinde ſummo jure concludimus* (ea tua verba Kieslingi) *eos non Dulia, ſed revera Latria ſuos colere Sanctos, & cultui qui ſoli Deo debetur, injuriam inferre*.

29 Hæc tamen haud difficile diſſolvo. Ac primum quidem hoc modo. Fateor, ſi vis, in loco hoc ſervitutem rigoroſe acceptam indicari. Dixi *ſi vis*: etenim [quod antea notavi (*c*) [poteſt & locus iſte *honorem* tantummodo indicare. Sed dum non probas conſtanter voces *Dulia* & ab ea derivatas eſſe accipiendas pro honore, qui Deo defertur, nihil proficis. Recole quæ dixi n. 23. & 24. Cetcrum argumentum, quod Scho-

(*a*) Apoca. 3. v. 21. (*b*) Pag. 291. [*c*] n. 16.
(*d*) §. VII. pag. 440. Verba porro Kieslingii allata ſunt n. 18.
[*e*] n. 23.

Digitized by Google

Scholaſticus *a fortiori* appellabit, præbet *Dulia* illa, quam Paulus Gal. V. 3. Fidelibus præcipit. Si enim *Dulia* appellari rectiſſime poteſt ea, quæ ibi memoratur, quæque minora officia atque obſequia efflagitat, cur non *Dulia* appellabitur illa, quæ majora expoſcet, pio merito ſcilicet majori eorum, quibus eam deferimus: quippe eos cum Chriſto *reguantes in Celis* novimus?

30 Alterum vero diſſolvimus, monendo, dici a te quidem ea quæ præſtamus Sanctis honoris argumenta, Latriæ eſſe argumenta: ſed id denegari a Catholicis. Nec vero temere id negant: cum enim oſtenderint alii, tum copioſiſſime oſtendit Trombellius totis Diſſertationibus IV, V, VI, VIII item & X, a Latria longe abeſſe, quæ Sanctis adhibemus obſequia. Id porro tu (quæ tua eſt ſinceritas) pro more diſſimulas.

31 Quod adducis ex Auguſtino contra Fauſtum, a Trombellio diſſimulatum non eſt, ſed cum aliis teſtimoniis ſibi objectum Capite XII Diſſertationis IV (*a*), explicatum autem cap. 16. ejuſdem Diſſertationis [*b*]: ideoque tam audacter, quam falſò a te dicitur, *hæc Auguſtini dicta nobis bilem movere*. (*c*) Bilem ſane non movent, ſed ſi quid movent, miſerationem adverſus te movent, Kieslingi, qui locum a Trombellio copioſe illuſtratum hic diſſimulas, quaſi ille præteriiſſet, ſic ut pudere te debeat diſſimulationis hujuſce tuæ, quæ plane oſtendit, quàm felix, quàm ingenioſus, quàm candidus etiam ſis diſputator. Ea vero quæ eodem in capite XVI tradidit Trombellius, nonnulla diſſolvunt ex iis quæ tu objeciſti, reliqua vero, uti nuper dixi, diſſolvuntur penitiſſime Diſſertationibus V, VI, VIII, & X, adeo ut nihil plane attuleris, quod a Trombellio, atque adeo a Catholicis aliis Doctoribus ante Trombellium, non ſit uberrime diſſolutum. Profecto Capite 13. Diſſertationis IV expreſſiſſime tradidit Trombellius, cur Paulus & Barnabas ſe coli recuſarint, idque tu ipſe ſcis, & alibi tacite fateris, licet hic diſſimules. Capite vero decimo ejuſdem IV Diſſertationis, (quod pariter ſcis, & hic quoque diſſimulas,) rationem affert, qua permotus Angelus fuit, ut Joannis coram ſe genua flectentis recuſarit obſequia.

32 Quod porro a Trombellio expoſcis iis præclariſſimis verbis: *Dic quæſo Vener. Trombelli qua ratione*, & reliquis, quæ antea attulimus, (*d*) reſponſionem hanc habet. Pudorem deponere non compellitur, qui nullam erubeſcendi cauſam habet. Neque vero fallimur ipſi, neque fallimus alios, Kieslingi mi, ſed & tu falleris, & fallis incautos: Sacrificia quippe non offerimus Sanctis, ſed Deo offerimus,

(*a*) Pag. 279. [*b*] Pag. 288. & 289.
(*c*) Perpulcre hæc ab Auguſtino ſunt dicta, quæ facile Romanenſibus bilem movent §. VIII. pag. 45. (*d*) n. 29.

vetuſque calumnia eſt quidem, jam dudum tamen repulſa: In Eccleſia Catholica *Sanctos* Sacrificiis coli. An non ea legiſti, quæ ad eam diluendam Capite XXIII Diſſertationis IV copioſiſſime Trombellius attulit? [a] Tu accuſatoris quidem partes perpetuo agis; ſed ita agis, ut defenſiones Catholicorum prorſus omittas. An hæc probitas, an hæc ſinceritas patitur? Sed tibi ſatis eſt, Kieslingi, ut Lectori imponas, plauſumque excites apud tuos; qui tamen ſi animadverterent, quàm crebro dum declamationibus indulges, ſolutiones Proteſtantium argumentis adhibitas prorſus prætereas, minus tibi faverent. Et de Dulia hactenus.

CAPUT II.

De argumentis, quibus Hyperduliam impetit Kieslingius.

ARgumenta, quibus *Hyperduliam* impetit Kieslingius, ad tria capita facile revocantur, ſcilicet ad deficientiam probationum: ad novitatem; erat enim veteribus ignota; ad incommoda denique ad quæ deducit: quippe eo judice ad ſuperſtitionem inducit, immo potius ad Idololatriam expreſſiſſimam: Quis enim Idololatriam non fatebitur Mariæ nomen Deæ tribuere, & templa ipſa dicare? Sed præſtat Kieslingium ipſum hęc docentem audire. *Quo demum hyperdulia*, [b] *haud levis cultus religioſi umbra, nitatur firmamento, ignoramus; neque hujus rei invenimus rationem. Hoc diſtinctionis genus primitivæ Eccleſiæ prorſus eſt ignotum, & gentilium moribus, inſtitutiſque debetur. Illi gradu honoris maxime diverſo ſuos amarunt Deos, & pro diverſa ipſorum conditione, & meritis, vel majus, vel minus pietatis, & honoris genus iis adhibendum decreverunt. Veteres migrarunt Coloni, Ethnicorum Dii, quorum locum nunc occupant Romanenſium Sancti, Sanctæque, quibus eadem officia, merita, & auxilia, qualia olim gentiles ſuis Diis attribuerunt, in ſua nunc Eccleſia aſſignant. Id Pontificii non inficiari poſſunt. Nam quæ in templis, & imaginibus leguntur inſcriptiones, edocent, gentilium Deos a Romanenſibus quidem expulſos, ſed novos in ipſorum locum ſubvectos eſſe Sanctos. Templum vetuſtate & ſplendore inſigne, quod* Pantheon *vocatur, & olim Jovi Deorum præſidi, cæteriſque Diis fuit ſacrum, jam Mariæ Virgini, & omnibus Sanctis Chriſti Martyribus eſt dicatum, & ſumme eſt, experteque Sanctitatis auctoritatiſque. Quæ conſpicitur, meam Sententiam confirmat inſcriptio, quæ integra ita legitur:*

PAN-

(a) Pag. 309. (b) §. IX. pag. 46.

Digitized by Google

PANTHEON
AB AGRIPPA AUGUSTI GENERO IMPIE JOVI CÆTERISQUE MENDACIBUS DIIS A BONIFACIO IIII. PONTIFICE DEIPARÆ ET SS. CHRISTI MARTYRIBUS PIE DICATUM.

Venerabilis Montfaucon *hæc nobis de Pantheo tradit.* Pantheon, *inquit*, illud magnum Romanum ab Agrippa, ut vulgaris fert opinio, conſtructum eſt, vel reſtauratum tantum, & ornatum porticu, ut eſt aliorum ſententia: hoc, inquam, Pantheon hodieque integrum eſt. Lux ſuperne a magno foramine intrat, in fornicis medio conſtituto, in circuitu templi interius ſex magnæ apſides ſunt, idque ut totidem Deorum ſtatuæ collocarentur; puto namque ex Deorum multitudine ortum, quod Pantheon nominaretur, non autem, ut habet Plinius, quod forma ejus convexa ſaſtigiatam Cæli ſimilitudinem oſtenderet. *Ne hujus vitii Romanenſes iniquius infimulare, aut præpedito animo hæc ſcribere videar, ipſorum marmora, monumenta, & templa, ut invictiſſima veritatis, quam aſſero, documenta illis oppono. Pauca hujus rei teſtimonia afferenda ſtatuo, ut de argumento diſceptationis conſtet. Solemne fuit apud gentiles* Bonæ Deæ *nomen, ad cujus altaria, & Sacra undique confluxerunt mortales, eximia ſibimetipſis a* Bona Dea *promittentes præmia. Summo pietatis affectu, & honore præ ceteris Deabus culta, & ipſi quædam hyperdulia fuit olim præſtita. Revivixit* Bonæ Deæ *nomen, & cultus in* Maria, *quæ Pontificiis eſt* Bona Dea, *omnis, uti jam adduximus, bonitatis, & proſperitatis fons, & origo. Eamque ob cauſam Mariæ præ omnibus, quas devenerantur Romanenſes, Sanctis fœmellis, & Virginibus, excellentius aliquod cultus genus, quod hyperdulia appellatur, ſumma animi pietate præſtant. Hæc non ex nobis ut araneas fingimus, ſed ex Romæ moderna autore ediſcimus, qui hæc tradit:* Si fideles, ſeu Chriſtiani, quum gentilium cultum in purum, & Sanctum Eccleſiæ Chriſtianæ mutarunt, certas regulas, & proportiones obſervarunt; certe ſecundum rei veritatem & conformitatem inſtituerunt, ut templum olim Bonæ Deæ ſacrum, Mariæ Sanctæ Virgini conſecrarent. *Quod etiam hujus autoris teſtimonio de Theodoro, cujus tutelæ infantes, & pueruli ſunt traditi, aſſeritur. Hic patronus jam Romuli vices ſuſtinet. Alluſerunt quoque Romanenſes in ſtabiliendo Sanctorum cultu ad nomina, quorum ſimilitudinem, & conformitatem adu-*

marunt, ut ex templis S. Apollinaris, & S. Martinæ intelligitur. Utrumque posſederunt gentilium Dii, unum Apollo, alterum Mars. Nec hoc inficiantur Romanenſes. De Marte ſatis rem declarat inſcriptio:

Martyrii geſtans Virgo Martina Coronam
Ejecto hinc Martis Numine Templa tenet.

2 Sed haud difficile eſt hæc tua argumenta, Kieslingi, diſſolvere. Nolo vero in grammaticis immoremur: quæ ſi vellem perſequi, neſcio quam laudem ex prioribus ipſis verbis conſequereris: *hyperdulia haud levis cultus religioſi umbra*. Si hyperdulia *Religioſi cultus umbra eſt*, cur nos veluti Idololatras accuſas, quod eam Mariæ deferamus? *Umbram vero non levem* dum hyperduliam facis, rem mirabilem narras; quis enim umbras graves & ponderoſas audivit? Sed hæc, & hujus generis plurima, ut dixi, omittamus, ſiſtamuſque in Theologicis. Tu ignoras quo fundamento hyperdulia nitatur. Sed Trombellius apertiſſime id tradidit, dum monuit vocem hanc *reſtringi ad denotandum peculiarem illum cultum, venerationemque illam, quam Virgini Deiparæ adhibemus, propter eximias illius virtutes & merita, quibus multo elatior eſt Angelis, & Sanctis reliquis, & peculiare venerationis genus promerita eſt*. Virtutes itaque, & merita Mariæ Sanctiſſimæ fundamentum illud ſunt, quo hyperdulia innititur. Num primitivæ Eccleſiæ hæc eſſent ignota, an potius notiſſima, ediſſeret Trombellius in eo tractatu, quem de Deipara inſtituit.

3 Vetuſtam querelam de Gentilium Diis in Sanctos immutatis expoſuit, eamque copioſiſſime, & graviſſime diluit Trombellius Capite XXIV Diſſertationis IV [a], quamquam id pro more tu retices. Ad eum itaque locum te allego, Kieslingi. Templa uni Deo dicamus: quanam vero ſignificatione ea Sanctorum nomine appellemus, uberrime dudum oſtendit Trombellius Capitibus 40, 41, 42, & 43 Diſſertationis VI [b]. Et tu hæc noſti, & præteris plane? O vere mirabilem Kieslingii ſinceritatem! Atque ea quidem ſatis illuſtrant inſcriptionem vetuſto templo quod *Pantheon* appellamus, appoſitam. Gratulor vero tibi Kieslingi, quod novum eruditionis genus attuleris: *Bonam* ſcilicet *Deam* a mortalibus omnibus fuiſſe olim cultam; cultam, inquam, a mortalibus *præ ceteris Deabus*: & quod mirandum eſt magis, hyperdulia etiam cultam. (c)

4 Bonam Deam fuiſſea Romanis cultam novi quidem; at a *mortalibus omnibus* fuiſſe cultam, nemo præter, te, dicet. Immo a fœminis tantummodo videtur fuiſſe culta, quandoquidem ab illius ſacris mares arcebantur. An tu qui tam ſæpe vetuſtos Poetas allegas, ut eruditus appareas, notiſſimos Tibulli verſus ignoras? [d]

Seu viſere dicet
Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

Num

(a) n. 6. pag. 315. (b) pag. 285. & ſeq. partis II. tomi I. (c) *& ipſi quidem hyperdulia fuit olim præſtita.* (d) Lib. I. Elegia VI.

Num tibi videtur a mortalibus omnibus cultam docere Cicero, dum hæc ait? [a] *Sacra Bona Deæ quæ viri oculis ne impudentis quidem aſpici fas eſt* : & deinceps : (b) *Fit ei Deæ* [ſacrificium] *cujus ne nomen quidem viros ſcire fas eſt, quam iſte idcirco Bonam dicit, quod in tanto ſibi ſcelere ignoverit.*

5 Sed dic mihi (id autem & jure, & vehementer efflagito) dic, inquam, unde ſcis hanc, quæcumque ea demum Dea ſit, cultu *hyperdulia* fuiſſe honeſtatam? Scriptores allega Kieslingi mi, monumenta ſaltem, & veteſtos lapides. Sed tu ſiles Kieslingi, & nihil horum affers. An putas, tantam eſſe apud eruditos nominis tui exiſtimationem, ut ad faciendam fidem tua dicta ſufficiant? An *hyperduliam* delatam vis, quod eximia quædam, aut plurima tuæ *Bonæ Deæ* fierent ſacrificia, vel plura templa ac ſumptuoſiora erigerentur? Sed ſacrificia, qui offert, procul dubio *latriam* deferre intendit illi, cui ſacrificia offert. Ceterum nihil horum tu dicis, ſed neque Scriptorum loca indicas, unde hæc poſſimus diſcere. Dum ita porro retices, merito ſuſpicamur, ea quæ de *Bona Dea a mortalibus omnibus eximie culta* narras, a te fuiſſe conficta, atque iſta præſertim : *Summo pietatis affectu, & honore præ ceteris Deabus culta, & ipſi quædam hyperdulia fuit olim præſtita* : eo vero conſilio a te fuiſſe conficta, ut invidiam adverſus Catholicos conciliares : veluti hi, dum Mariam colunt, vetuſtum idololatriæ genus innovarint. At temere agis, & imprudenter, Kieslingi. Si ea, quæ de tua *Bona Dea hyperdulia* honoribus affecta perperam apud imperitum vulgus ſpargis, famam tibi obtinent apud tuos, riſum, contemptumque excitant apud doctos, videntes ſcilicet cogi te ad fabellas confugere, & futiles ſtrophas, ut Catholicorum ritus, & Mariæ delatos honores carpas. An non mera fabella (quid non & impudentiſſimum mendacium?) eſt, quod iis verbis tradis? *Revivixit* (c) *Bonæ Deæ nomen & cultus in Maria, quæ Pontificiis eſt Bona Dea, omnis, ut jam adduximus* (d), *proſperitatis fons & origo.* Quis e Catholicis *Bonam Deam Mariam* appellavit? Concilia, Pontifices, aut ſaltem Theologos indica, ex quibus diſcamus hoc titulo honeſtandam eſſe Mariam. Tu tamen omnes accuſas, generali ea voce *Pontificiis* [*quæ Pontificiis eſt Bona Dea*]. At dum omnes accuſas, neminem deſignans, haud obſcure ſignificas, neminem te habere, quem indices.

6 Sed cui illudent quæ ſequuntur? *Omnis, ut jam adduximus, bonitatis & proſperitatis fons eſt, & origo.* Nimirum, ſi vis (uti velle videris), tradere Catholicos, Mariam eſſe beneficiorum, quæ recipiunt, *vere ac proprie* dictam largitricem, falſa tradis. Oſtendere tum alii multi, tum certe Trombellius, adverſus quem te ſcribere dictitas, *Beneficia nobis impetrari a Sanctis*, non ea ab iis veluti auctoribus conferri, (e) adeo

(a) De *Aruſpi.* 8. (b) De *Aruſpi.* 37. (c) Revixit, ut puto.
(d) Ideſt *diximus*, ut puto, quid enim adduxiſti?
(e) Capite 28. Diſſertationis III. pag. 286.

Digitized by Google

adeo ut expreſſiſſima hæc verba adhibuerit: *Certum reor a Deo Sanctos impetrare, obtinereque beneficia, quæ fideles a Sanctis expoſcunt: neque enim auctores ipſi ſunt, ſed deprecatores, & impetratores.* Tum ne imprudenter locutus exiſtimaretur: hæc adjecit: *Hoc apertiſſime intelligimus ex Auguſtino, qui num. 7. ſermonis ſexti de S. Stephano hæc eloquitur (a)* „ Ille tanquam ſervus orat ..... non ergo credamus ſuper„ bum eſſe Stephanum, cum putamus, quia virtute ſua facit, quod „ facit. Per confervum beneficia ſumamus, honorem & gloriam Do„ mino demus ;„ *Canales itaque, ut ita loquamur Sancti ſunt, fons beneficiorum Deus ipſe eſt. Idem quoque nos edocet Tridentinum hiſce verbis:* (*b*) „ Docentes eos Sanctos una cum Chriſto regnantes orationes „ ſuas pro hominibus Deo offerre... ob beneficia impetranda a Deo „ per filium ejus Dominum noſtrum... per quæ [corpora Sanctorum] „ multa beneficia a Deo hominibus præſtantur &c.„ Alia multa eodem de argumento ibi propoſuit Trombellius, quæ non modo ſuam, verum etiam Catholicorum omnium ſententiam illuſtrant. Veritus autem, ne alicui Kieslingii ſimili hæc ſatis eſſent, capite XXV. Diſſertationis V. [c] rem eamdem rurſus inculcavit, oſtenditque a Catholicis agnoſci quidem interceſſores Sanctos, & apud Deum ſuffragatores, minime vero auctores beneficiorum, quæ poſcimus. Ea vero ſæpe non per Deiparæ tantummodo, ſed per aliorum etiam Sanctorum ſuffragationem poſcimus, ſic ut ex hoc ipſo etiam conſtet, quam vere dixeris, Virginem Deiparam a Pontificiis coli, veluti *Bonam Deam, omniſque bonitatis, & proſperitatis fontem & originem.*

7 Quibus poſitis, facile diſſolvimus reliqua, quæ adjunxiſti. Cultum a Gentilibus olim falſis ruminibus delatum mutari poſſe, & nonnullis demptis, quæ ſuperſtitioſa ſunt plane, adhiberi Sanctis, nemo eſt, qui neget: Idque copioſe oſtendit Vir eruditiſſimus Joannes Marangenius Cap. I, II, IV, XI, XII, XXIII, XXVI, XXX, aliiſque etiam libri illius, quem ad hunc modum inſcripſit. *Coſe Gentileſche, e profane traſportate ad uſo, e ornamento delle Chieſe:* vetuſtumque eſt, & rei noſtræ aptiſſimum Hieronymi monitum [*d*] *Illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt; hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum.* Quanam vero ſignificatione Templa Sanctorum nominibus appellentur, Trombellius copioſe tradidit; capitibus ſcilicet 40, 41, 42, & 43; Diſſertationis VI. Ea porro diſſolvunt, quæ de Templis obiicis, quæ S. Theodori, S. Apollinaris, & Martinæ nominibus appellantur: neque vero ritum hunc aliunde bonum inficit vetuſta earum ædium conſtructio, & profanus olim uſus: immo potius laudari Catholici debent, quod templa falſis Numinibus olim ædificata ſacrarint, & coegerint loca ipſa impia & ſuperſtitioſiſſima veri Dei cultui, Sanctorumque honori inſervire. An non imitamur ea re Davidem ſanctificantem Gentilium ſpolia? [*e*] AD

[*a*] In ſerie 319. (*b*) Seſſ. 25. ſub titulo de *Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & eorum Imaginibus.* (*c*) Pag. 79. part. II. Tom. I. [*d*] Contra Vigilantium n. 8. (*e*) II. Reg. 8; Para. I. 18. & 28.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM VIII.

Quam Kieslingius inſcribit:

De uſu vocis ADORATIO.

CAPUT I.

1 NOn ſatis ea ſunt Kieslingio, quæ de voce *adoratio* in priore Exercitatione tradidit: Idem argumentum hic retractat, fateturque, vocem hanc ambiguam eſſe: ſic ut conſultius foret, adorationem dividere in *Religioſam*, & *Civilem*. Sed quod ad diviſionem hanc attinet, aliaque Kieslingii monita, quid Trombellius ſentiat, quidque ego Trombellium ſecutus cenſeam, facile aſſequeris tum ex III. capite prioris Diſſertationis Trombellii, tum etiam ex iis, quæ ego ipſe ſuperioribus capitibus docui. Illud ſane conſtat, pleraque eorum, quæ tu copioſiſſime, Kieslingi, exſequeris, id ipſum comprobare, quod tradiderat Trombellius in eo ipſo capite tertio, quod nuper allegavimus. Itaque potuiſſes ab ea longa exemplorum ſerie, in qua tuam virtutem effundis, ſuperſedere, niſi aliquid tibi cordi fuiſſet, quod Lectori traderes. Quidnam porro iſtud erit? Ut noſcat Lector, ſi Catholicorum ritus ſervamus [*a*], *in cultu Sanctorum, eorumque reliquiarum, & imaginum non eſſe meram externam, & civilem, ſed religioſam adorationem: quod non ſolum ex his figuris externis, ſed ſpe, fiducia, fideque in imaginibus, Sanctiſque, quos exhibent, collocata, imo votis, ac deſideriis coram imaginibus effuſis, ſatis appareret.* Ut etiam noſcat, (*b*) *Venerabilem Auguſtinum Calmetum Societatis Jeſu Profeſſorem, accurata mentis indagine de ſenſu verbi* Adorare *indicare, & externum officii & honoris ſignum intelligere*; & hæc tradere: *verbum* Adorare, *aliquando in Scripturis uſurpatur, ut ſimplex exterior obſervantia ſignificetur, quod fit, corpus magis, minuſve inclinando pro illorum merito, & qualitate, qui hunc honorem vel recipiunt, vel reddunt. Actus exterior, quo Deum adoramus, alius prorſus non erat ab eo, quo homines excipiebantur, ſed interiori duntaxat animi ſenſu diſtinguebatur.*

2 At ſine, Kieslingi, me verbis Auguſtini tantisper uti. [*c*] *Inaniter omnino laboraſti, ut ad iſtam concluſionem falſam atque ridiculam longis, & tortuoſis, fallacibus, & fugacibus anfractibus pervenires.* Non ne vides, Kieslingi, te cuncta miſcere? multa etiam manifeſto falſa tradere? Miſces cultum delatum Sanctis cum cultu eorum reliquiis, & imaginibus tradito, cum certum ſit diverſi generis eſſe eos cultus, & cultum quidem delatum Sanctis eſſe abſolutum, & delatum ipſis; cultum vero Reliquiis, & imaginibus Sanctorum delatum, re-

(*a*) n. 3 pag. 51. (*b*) n. 4 pag. 52. [*c*] Oper. imperf. contra Julia. lib. 4. cap. 119. pag. 1204. tom. 10.

Digitized by Google

lativum esse, & non terminantem in iisdem reliquiis, & imaginibus, sed ascendentem ad Sanctos ipsos. Misces etiam duo genera spei, quæ plane sejunxit Trombellius, qui ne id temere finxisse videretur, multa valde apta attulit ad ostendendum duo esse genera hujusce virtutis, ac primum spei genus illud esse, quo supremum beneficiorum auctorem agnoscimus, fatemurque in Deo tantummodo collocari: alterum quo aliquem impetratorem agnoscimus: quod quidem postremum spei genus asserit idem Trombellius ad Sanctos dirigi posse. Allegavit autem Prudentium, Philonem Carpathium aut alium, quisquis is est, cui tribuis *Commentaria in Canticum Canticorum*, quæ præposito Philonis Carpathii nomine prodiere, alioſque præclaros Viros, quorum auctoritate comprobavit quæ tradidit. Et tu qui hæc scis (hæc enim habet Trombellius Capite XXV Dissertationis V. [*a*]) præteris tamen, & veterem cantilenam insusurras, spem scilicet collocari a Catholicis non in Deo, sed in Sanctis.

3 Misces etiam, nec sincere exponis quæstionis statum, dum non de *Religioso* cultu agitur Catholicos inter & Protestantes, sed de *Sacro*, quem nos quidem Sanctis, eorumque reliquiis, & imaginibus deferri posse asserimus, tu vero negas. Misces quoque genera cultus, dum hæc ais: *Non est mera externa & civilis, sed religiosa adoratio.* Fac legendum esse *mere externa*, ut puto legendum esse; num propterea aut idem erit *sacer* cultus, ac religiosus? aut cultus religiosus idem erit, ac cultus uni Deo adhibendus, seu, ut dicere merito possumus, cultus *latreuticus*? Minime vero. Neque enim Theologi omnes fatebuntur ad *Religionem* spectare cultum eum quem Sanctis deferimus, sed ad aliud virtutis genus revocare facile poterunt: hinc merito inter concertationes, quæ adhuc Catholicas scholas exercent, reposuit Trombellius (*b*) quæstiones has: *ad quam virtutem revocari debeat cultus adhibitus Sanctis. Num religiosus is appellari debeat, an tantum sacer. Cultus* quoque *Religiosus* multo latius atque uberius accipitur, quam cultus *latreuticus*, qui uni Deo adhibendus est: & quum etiam accipitur pro supremo cultu uni Deo adhibendo, suas excipit divisiones: nam ut verbis Hugonis Grotii utar [*c*], *& religiosus est bonos, qui soli Deo defertur, & Religiosus est, qui ob Deum defertur Angelis & Apostolis*: Quæ quidem omnia non modo monuerat, verum etiam adductis præstantibus exemplis vera esse ostenderat Trombellius (*d*), quem tu (tanta est tua humanitas ac sinceritas) ne allegas quidem.

4 His porro positis, facile patet, quam multa tradideris falsa. Sed quis non etiam falsa agnoscat ea, quæ de *Spe* collocata non modo in reliquiis, verum etiam in imaginibus dicis? Nemo nostrum, *si proprie loqui volumus*, in Reliquiis, aut in imaginibus spem ullam collocat; sed illud ipsum spei genus, quod nuper dixi collocari in Sanctis

[*a*] Pag. 79. (*b*) Diss. I. cap. 4. §. 9. pag. 30. (*c*) In Animad. Rivet. ad ar. 20. (*d*) Diss. IV. cap. 22. pag. 306.

Digitized by Google

ſis poſſe, in Sanctis quidem collocamus, ſed non in eorum reliquiis & imaginibus; quippe hæc, utpote inanimata, per ſe ipſa nos adjuvare minime poſſunt: ſed ideo Sanctorum reliquias, & imagines perquiro, vel quia, monente Nicæno II, novi eas Dæmones formidare: vel quia me ad Sanctorum memoriam, atque adeo ad pietatem & devotionem excitant: quod cum copioſe oſtenderit Trombellius (a), hinc ab ea re fuſius explicanda ſuperſedeo.

5 Sed quam mire ſe produnt tua eruditio, ſinceritas, ac diligentia, Kieslingi Clariſſime, dum ea ſcribis, quæ nuper ex te allegavi, ſed hic repetere operæ pretium arbitror! [b] *Venerabilis Auguſtinus Calmetus Societatis Jeſu Profeſſor, accurata mentis indagine de ſenſu verbi adorare indicat, & externum officii & honoris intelligit ſignum.... Verbum adorare aliquando in Scripturis uſurpatur, ut ſimplex exterior obſervantia ſignificetur, quod fit, corpus magis, minuſve inclinando pro illorum merito & qualitate, qui hunc honorem vel recipiunt vel reddunt. Actus exterior, quo Deum adoramus, alius prorſus non erat ab eo quo homines recipiebantur, ſed interiori dumtaxat animi ſenſu diſtinguebatur.*

6 An Auguſtinus Calmetus Societatis Jeſu profeſſor eſt, qui ſe ubique Benedictinum appellat, illique Congregationi adſcriptum, quæ *SS. Vitonis, & Hidulphi* appellatur? Malus es cenſor, Kieslingi, qui te tam indiligentem in re cuique notiſſima manifeſtas. Sed hæc ipſa omittamus, in quæ ſi incidiſſet Trombellius, victum, proſtratumque, atque adeo jam confoſſum diceres.

7 At *ridicula* etiam tua *concluſio* eſt. Dic mihi, Kieslingi, cur tot & tam præclaras laudes hic meretur Calmetus ille, qui, te quidem judice, *ſemper titubat*, Calmetus ille, cujus interpretationes ſæpe derides, cujus monita in Exercitatione ipſa prima vehementiſſime exagitaſti? quia ſcilicet docuit verbum *adorare aliquando in Scripturis uſurpari, ut ſimplex exterior obſervantia ſignificetur, quod fit, corpus magis, minuſve inclinando, pro illorum merito & qualitate, qui hunc honorem vel recipiunt, vel reddunt*: quia etiam hæc docuit: *Actus exterior quo Deum adoramus, alius prorſus non erat ab eo quo homines excipiebantur, ſed interiori dumtaxat animi ſenſu diſtinguebatur.*

8 Si ita res habet Kieslingi, *accurata mentis indagine de ſenſu verbi adorare indicat* quoque Trombellius, & *externum officii & honoris intelligit ſignum*. Nonne hæc protulit Trombellius? (c) *Hebræos adorationis nomine non illud tantummodo ſummum obſequium intelleziſſe quod Deo adhibetur in argumentum ſupremi dominii, quod in nos habet, verum etiam minora illa obſequia, quæ Creaturis præſtantibus deferimus, quum illarum excellentiam, aut præclara erga nos merita teſtificamur: veluti cum populum terræ adoravit Abrahamus, cum Saulem adoravit David, cum Davidem Nathan Propheta adoravit.* Id autem confirmavit idem

(a) Diſſer. VIII. cap. 36. pag. 419. & Diſſer. IX. cap. 76. n. 14. pag. 562. & 568. (b) Pag. 32. (c) Diſſ. I. cap. 3. n. 4. pag. 17.

Digitized by Google

Trombellius auctoritate Auguſtini, Petri Cluniacenſis, aliorumque valde probabilium Scriptorum monitis & argumentis. Nonne etiam idem Trombellius hæc protulerat Calmeti monitis valde affinia? [*a*] *Indubitatum eſt tamen* (quod jam innui) *vocabulum hoc* cultus *ſive* adoratio *fere adhiberi conſueviſſe ad denotandum illud obſequium, quod corporis demiſſione præſtatur, tametſi animus a demiſſione abſit.* Id autem verum eſſe Hieronymi verbis oſtendit. Nonne denique docuit etiam (*b*) *ambiguas eſſe voces* adoro, colo *& reliquas hujus generis, eaſque facile deduci, tum ad ſignificandum ſupremum eum cultum, qui Deo adhibendus eſt, tum etiam ad denotandum minorem illum quem Sanctis præſtamus?* Scilicet non exteriora attendi debent, inſpicique honoris argumenta quæ ementita eſſe poſſunt, ſed animus præſertim attendendus eſt, interiorque directio eorundem argumentorum. Hæc aliaque plura in eandem rem profert Trombellius, eaque auctoritate præclariſſimorum Doctorum comprobat. Et tamen hæc, quæ adeo laudas in Calmeto, vel in Trombellio reprehendis [*c*], vel præteris plane (*d*), ne ſcilicet tecum aliquando ſentientem fatearis.

9 Reliqua, quæ in eodem capite affers, omitto: neque enim ſumma quæſtionis nos inter, & Proteſtantes inſtitutæ in eo vertitur, num *aptius vertatur verſiculus V Pſalm. 99.* [98. in vulgata] *his verbis, quæ habet vulgata: EXALTATE DOMINUM DEUM NOSTRUM, ET ADORATE SCABELLUM PEDUM EJUS, QUONIAM SANCTUM EST*: an potius per hæc alia, quæ Kieslingius ex Lutheranorum Verſione ſubſtituit: *LAUDATE CORAM DOMINO NOSTRO, ET INCURVATE VOS CORAM SCABELLO EJUS PEDUM; SANCTUS EST.* Ea interpretatio, quam Vulgata proponit, vetuſtiſſima eſt procul dubio, & a pluribus ſæculis propoſita, ideoque diu antequam Lutherus naſceretur; quamobrem nemo ſuſpicari recte poterit, eam ideo fuiſſe propoſitam, ut Lutheranorum difficultates eluderentur: & facile noſtri admittunt verſiculum illum V poſſe ad hunc modum reddi: *Adorate ad arcam, unde reſponſa dat Deus, velut ſedens ſuper Cherubim.* Præter Emmanuelem Sa, quem tu allegas, etiam Cajetanus (*e*) eam tradit, & alii multi, nec ideo ad Lutheranorum partes accedunt, aut quidquam Catholicæ veritati detractum putant.

AD

[*a*] Ibidem n. 18. pag. 22. (*b*) Diſſ. IV. cap. 23. n. 1. pag. 309.

[*c*] Exerci. I. (*d*) Præterit prorſus Kieslingius quæ tradidit Trombellius Capite XXIII. Diſſertationis IV. cui quidem capiti hic eſt præpoſitus titulus: *Expenduntur ea, quæ ex communibus Deo, & Sanctis delati cultus argumentis obiiciunt, amoventurque ſi qui in ea extant ſcrupuli.* (*e*) In Commentariis in Pſalmos *juxta Hebraum.*

Digitized by Google

AD EXERCITATIONES

Adverſus Secundam Trombellii Diſſertationem a Kieslingio conſcriptas.

AD EXERC. I.

PErſtitimus hactenus in liminaribus [ſi loqui ita licet] diſputationum illarum, quæ circa Sanctorum cultum inſtitui conſueverunt; quamvis enim plurima, quæ dogma reſpiciunt, intermiſcere voluerit Kieslingius, revera tamen ad grammaticam majori ex parte ſpectant quæſtiones illæ, quæ priori diſſertatione concluduntur. Ingredimur itaque penitiora; ac primo quidem expendenda ſunt, quæ adverſus enumerationem eorum, qui ſe ſe Sanctorum cultui adverſos præbuerunt, a Trombellio factam Kieſlingius adducit. *Præliminarem*, ut ipſe appellat, Exercitationem præire vult, quæ tamen *prima* omnino vocanda eſt, nam eam ſequitur ſecunda, & deinceps tertia, & eo ordine reliquæ. Pauca circa hanc notanda ſunt. Duo tamen referre hic placet, quorum primum commendo, reprehendo alterum. Commendo ſcilicet, quod *inſaniam & rabiem* deteſteris eorum, Kieslingi mi, *qui Sanctorum reliquiis, & imaginibus violentas iniecerunt manus*; ideoque execreris furorem eorum, qui veneranda Sanctorum cadavera, & Sacras Imagines concremarunt: Reprehendo vero, quæ his verbis narras: (*a*) *Sed hoc dubio carere mihi videtur omni, nonnullos Patres nimias in Sanctos profudiſſe laudes, nec modum in Sanctorum cultu ſervaſſe, ſed ultra citraque deviaſſe, adeo quidem ut rectum vix conſiſtere potuerit.* Cur non allegas, Kieslingi mi, eos Patres, qui [ut tuis ipſis elegantiſſimis verbis utar] *citra deviarunt*? quos quidem ſi allegare poſſes, non omiſiſſes: quippe hi tuam mirum in modum adjuvarent cauſam, cum Trombellium inter, & te diſputetur, num Catholici nimio plus colant Sanctos: tuis autem partibus ii ſuffragarentur, qui, ut tecum loquar, *citra deviantes*, limites jam dudum injeciſſent Sanctorum cultui a quarto [ut tu quidem ipſe alibi fateris] ſeculo Eccleſiam univerſam occupanti. Cur etiam *nonnullos Patres* appellas, quos Trombellius protulit? Nonne meminiſti, cepiſſe illum, Eccleſiaſtica monumenta in rem tuam allegare a primis ipſis Eccleſiæ temporibus, atque illa ad ſubſequentes ætates, & ad proxima nobis tempora produxiſſe? An pauci ſunt hi Patres? Totidem numera, ſi potes, Kieslingi, qui tibi faveant: tum vero fatebitur Trombellius, *nonnullos* tantum a ſe fuiſſe prolatos. Sed hoc de argumento copioſius deinceps.

AD

(*a*) Pag. 56.

AD EXERCITATIONEM II.

Quam de Porphyrio, & Juliano *Kieslingius inſcribit.*

CAPUT I.

1 ERuditionem tuam, Kieslingi, commendo, quam in Porphyrii hiſtoria profers, nec mihi diſplicet, quod loco fortaſſe non apto ea tradideris quæ tradis; neque enim vis diſputationis noſtræ Porphyrii ortum & mores reſpicit, ſed num in Sanctorum cultu reprobando convenerint Chriſtianæ fidei hoſtes, non modica pars vetuſtorum hæreticorum, & Proteſtantes, uti revera convenire oſtendit Trombellius: reliqua minutiora, quæque in libris paſſim invenimus, omittens. Cordi ſcilicet illi jugiter fuit, ne per vagas quæſtiones a propoſito ſcopo aberraret, neve illa intermiſceret, quæ parum ad rem eſſe videbantur. Sed quis te laudet, quod Trombellium negligentiæ accuſes, quaſi Hieronymi verba, quibus adhibiti Sanctis cultus hoſtis Porphyrius declaratur, omiſiſſet? *Vigilantium* (inquis) [*a*] *maleſanorum a Porphyrio hauſtorum accuſat errorum* (Hieronymus) *hæc in verba, quæ præteriit Vener: Trombellius, erumpens. Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpe hoc viliſſimo tortus eſt pulvere, immo hodieque torquetur, & qui in te plagas diſſimulat, in cæteris confitetur, niſi forte in morem Gentilium, impiorumque Porphyrii & Eunomii, has præſtigias Dæmonum eſſe confingas, & non vere clamare Dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta.* Dic Kieslingi ubi eras, quando hæc ſcribebas? An Hieronymi verba præteriit Trombellius? Id pernego, tu affirmas, & propterea Trombellium, uti dixi, negligentiæ accuſas. At temere, immo audeo dicere *mendaciter* accuſas. Nonne Trombellius in ipſo fere limine Diſſertationis II, numero ſcilicet ſecundo capitis I. [*b*] hæc ait? *Porphyrius, teſte Hieronymo, Martyrum miracula, & interceſſionem irrifit*: in margine vero ad oram verborum iſtorum hæc appoſuit: *Contra Vigilantium n.* 11. Conſule itaque numerum XI libri *contra Vigilantium* ſcripti, invenieſque uti alia multa ad rem pertinentia, ita verba illa omnia, quæ tu præteriiſſe Trombellium ais: *Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere &c.* ideoque perſpicue videbis, quam præclarus, quam verax, quam formidandus es accuſator. Dum tamen in eo te redarguo, Kieslingi, quod temere, immo mendaciter Trombellium negligentiæ accuſas, te minime redarguo, quod Lectoris oculis expreſſius ſubiecceris cauſas, ob quas Porphyrium cultus Sanctis delati, atque adeo Sanctorum ipſorum hoſtem declararit Hieronymus. An non, dum propterea Porphyrium, Eunomiumque re-

[*a*] Pag. 58. [*b*] pag. 31.

reprehendis, quod miracula per Sanctorum Reliquias peracta irriderent, & præſtigiis accenſerent, te quoque, tuoſque aſſeclas perſtringis, quippe qui miracula per Sanctorum reliquias peracta irridetis, & præſtigiis annumeratis? Sed reliqua proſequamur.

2 Mirabile eſt porro, quod de eodem Porphyrio ais his verbis: *Miracula quæ per Sanctorum reliquias hac ætate edita creduntur, Porphyrius non negavit, ſed Dæmonibus, iiſque bonis, quos libamine carnium delectari, immoque fumigatione vivere, & pingueſcere ſtatuit, male adſcripſit, & hæc ſuorum Dæmonum reſponſa, quibus divinitatem attribuit, ſummo ſtudio collegit, Chriſtianiſque ad eludenda divina oracula & placita oppoſuit.* Dic mihi, Kieslingi cariſſime. Sciſne de quibus miraculis ibi loquatur Hieronymus? An de iis quæ noſtris temporibus (*hæc ætate*) fiunt? Sed undenam noſſe poterat Hieronymus tot ſæculis nos præcedens, miracula, quæ noſtra ætate fiunt? ſupereſt itaque, ut de iis miraculis loquatur, quæ ſua ætate fiebant. Ad hunc itaque modum ſcribere debueras Kieslingi; *Miracula, quæ per Sanctorum reliquias ea ætate edita credebantur, Porphyrius non negavit.* Quoniam vero miracula plurima ad Martyrum ſepulcra ea ætate fiebant, ſciſne, de quibuſnam miraculis expreſſe loquatur? Minime, uti video. Audi itaque. Hieronymus de ea confeſſione loquitur, quam invitis Dæmonibus exprimebat Sanctorum poteſtas & excellentia per eorum reliquias præſertim manifeſtata: fatebantur ſcilicet ſe a Sanctis ipſis cruciari, & expelli a corporibus. Atque id, ne cunctos afferam, teſtatur Hieronymi æqualis Ambroſius: *Et nunc audiſtis clamantes Dæmones* (inquit (*a*) ipſe) *& confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non poſſunt, & dicentes*: Quid veniſtis, ut nos tam graviter torqueatis? *Et Ariani dicunt: Non ſunt iſti Martyres, nec torquere Diabolum poſſunt, nec aliquem liberare, cum tormenta Dæmonum ipſorum voce probentur, & beneficia Martyrum remediis ſanatorum, & abſolutorum indiciis declarantur.* Et deinceps [*b*]: *dicit Diabolus: Sic torqueatur quem ad modum ipſe a Martyribus torquebatur, qui Spiritus Sancti Deitatem negaret. Non accipio a Diabolo teſtimonium, ſed confeſſionem. Invitus dixit Diabolus, ſed exactus, & tortus: Quod nequitia ſupprimit, extorquet injuria.* Alia multa hanc in rem aptiſſima attulit Trombellius, (*c*) quem ſi conſuluiſſes Keislingi mi, non eam dediſſes Hieronymi verbis explicationem, quam das. Nonne Hieronymus ipſe in eo ipſo, quem allegas, loco palam declarat, de quibus (*d*) miraculis loquatur, dum Porphyrium & Eunomium, quos ipſe refellit, aſſerere ait, *non vere clamare Dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta?* Antea etiam hæc tradiderat [*e*]: *Conſtantius Imperator Sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim.*

---

a) Epiſt. 22. claſſis I. n. 16. In Baſileenſi Frobeniana edi. ſerm. 91. [*b*] ideſt n. 21. (*c*) Diſſer. VII. cap. 23. §. 4. & ſequen. & Diſſer. VIII. cap. XV. §. 12. & 13. (*d*) contra Vigil. n. 11. (*e*) n. 5.

nopolim? apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur. Alibi vero hæc adiicit: [a] *Ibi siti sunt Elisæus & Abdias Propheta ..... ubi multis intremuit consternata* [Paula] *mirabilibus: namque cernebat variis Dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulcra Sanctorum ululare homines more luporum.* Quid hæc cum tuis illis monitis? *Miracula non negavit Porphyrius, sed Dæmonibus iisque bonis, quos libamine carnium delectari, immoque fumigatione vivere, & pingue scere statuit, male adscripsit.* Immo hęc negavit [Hieronymo teste] Porphyrius, dum *præstigias Dæmonum esse contendit, & non vere clamare Dæmones, sed sua simulare tormenta.* Negat enim miracula, qui ea præstigias Dæmonum esse confingit, & eosdem Dæmones non vere clamare, sed sua simulare tormenta affirmat.

3 Nec aliquid ad id, quod agimus, conferunt, quæ de Dæmonibus libamine carnium oblectatis, atque adeo nutritis & pinguescentibus ais. Quamvis enim hæc alibi a Porphyrio narrata esse dicam, nihil tamen juvant ad ea explicanda, quæ Hieronymus docet, tuque ipse refers.

4 Quæ deinceps fuse de eodem Porphyrio, deque Plotino narras, non sunt ad rem nostram: neque enim Porphyrii, Plotinive errores singulos recensere propositum Trombellio fuit, qui, uti cordatum scriptorem decet, in argumento consistit, neque huc illuc que, quo libet, evagatur, quod tu facis, ut erudituli famam apud tuos captes, illud jam consecutus, ut de te merito dicatur:

Bellus Grammaticus, bellus es historicus.

5 Ceterum quod animose pronuncias de Porphyrio, vetuisse eum scilicet, malis geniis, seu Dæmonibus sacrificia offerri, minus animose pronunciandum est, Kieslingi mi. Lege, obsecro, eam ipsam Eusebii Præparationem, ad quam tu allegas, videbisque ea de Porphyrio, seu, si vis, Apolline Porphyrii duce, & magistro ab Eusebio tradi, ex quibus plane constet non recusasse aliquando eos, qui Apollini obsequebantur (in quorum numero collocandus est sane Porphyrius) Dæmonibus ipsis malis sacrificia offerre. Capite V illius ipsius libri IV, quem tu allegas, hæc de Græcorum Theologis (idest Platonicis & Gentilibus) tradit. *Cælestes Deos in primis, deinde bonos Dæmones, tertio Heroum animas colere: postremo malos etiam improbosque Dæmones placare ac delinire oportere docent.* Capite vero IX eiusdem libri, in quo capite Apollinis dicta hac de re recenset, hæc occurrunt.

Atque Diis Erebi terra sepelito sub alta,
Fumantemque cavis scrobibus demitte cruorem.

Et expressius capite XX. = *Vati*, inquit, *suis numen ipsum oculis intueri studiosus, ac vehementius cupienti Apollo respondit, fieri hoc nullo modo posse, donec sacrificii justo quasi precio, sactum improbo Dæmoni satis esset. Responsum autem sic habet:*

Tu

(a) Epist. olim 27. in Veron. edit. 108. n. 13.

Tu Patriæ indigeti pretium ſacra ferre memento
Libamenta, deinde pyram, nigrumque eruorem,
Purpureumque merum, atque ouium ſpumantia lacte
Pocula.

Atque iterum hac ipſa de re clarius:

Vinum, lacque ſimul fundens, lymphamque nitentem;
Ilignaſque nuces Jove nata ex arbore mittens,
Rite ſolo poſita, & pingui perfuſa liquore
Viſcera libato.

Hæc Deus egregius, vel potius Dæmon fraudis ac doli architectus: quibus plane contraria naturalis ratio ſtatuit, dum & animum purgare jubet, & ſacrificiis improborum Dæmonum gratiam opemque captare vetat, quod puram illi, ſynceramque mentem aggredi propter morum diſſenſionem minime ſoleant. Quod ſi prudentem eum, ſi æquæ mentis hominem eſſe merito judicarunt, qui a Dæmonum ſacrificio religioſe abſtineret: qui ſuis oraculis ad improbis etiam litandum hortatur, qui tandem, & qualis haberi debeat, tibi ſtatuendum relinquo.

6 Alibi vero, ideſt capite VIII, idem Euſebius monet vetuiſſe Porphyrium, ſeu potius Oraculum, cujus monitis Porphyrius parebat, vetuiſſe, inquam, omnia ſacrificia animantum fieri Diis ipſis. *Nam qui libris iis* [en verba Euſebii Vigero interprete] *quos DE PHILOSOPHIA ex Oraculis haurienda ſcripſit, Apollinis reſponſa commemorat, quibus ſacrificia cæſis animantibus fieri jubet, idque non Dæmonibus ſolum, aut vicinioribus terræ Virtutibus, ſed etiam ætheriis Cæleſtibuſque Diis; idem alio quodam in opere non Deos, ſed Dæmones eos omnes agnoſcens, quibus Græci cæſis pecudibus faciebant, nec oportere, nec vero fas eſſe, Diis animantes immolare pronunciat.* Adeo ſibimet conſtans Porphyrius eſt, ſeu Dæmon ille, quem ducem ſequebatur Porphyrius. Et de Porphyrio Platonico hactenus.

7 Cur porro, Kieslingi mi, ſuperiori Porphyrio jungis Porphyrium alterum, eum ſcilicet, qui Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus vixit, ut tua ipſa recitem verba (a), *Circa initium ſeculi IV. ad annum* 404? Non ego te quidem reprehendo, aut quod adverſus Chronologorum Canones appellaris ſeculum IV. ſeculum illud quod annum quater centeſimum ſubſecutum eſt [quintum enim appellandum eſt], aut quod *ad Annum* 404 ſcripſeris, cum ſcribere debuiſſes, *Anno circiter* 404. Non propterea, inquam, te reprehendo: te potius reprehendo, quod Trombellium negligentiæ accuſas, quaſi præterierit rem memoratu dignam, neque inter hoſtes cultus Sanctis adhibiti, immo potius Sanctorum ipſorum, recenſuerit Porphyrium iſtum. Etenim cum neminem vadem proferas ſententiæ tuæ, ideoque accuſationis adverſus Trombellium latæ, cur tibi credi vis, dum hæc ais: *Inique de San-*

[a] §. 4. pag. 60.

tis ſenſiſſe fertur (Porphyrius Antiochenus). At quis hæc ſcriptis tradidit? Quem tantæ accuſationis auctorem allegas? Neminem prorſus, ut dixi. Cur ergo hoſtibus cultus Sanctis adhibiti, atque adeo Sanctorum ipſorum, eum annumeras? An tibi, quem toties deceptum & deceptorem agnovimus, credendum eſt, tam etſi nullum vetuſtum auctorem proferas, quo tua dicta innitantur?

8 Legi equidem quæ de eodem Porphyrio Theodoretus, legi item quæ Palladius veteres Scriptores, ea quoque, quæ Baronius (*a*), & Bollandiani ſocii minus antiqui ſcriptores literis tradidere; nec quidquam in iis reperi quod *inique de Sanctis eum ſenſiſſe* declaret. Non ego quidem in eorum ſum ſententia qui putant laudabilem undique fuiſſe Porphyrii vitam, & mores: opiniones quoque prorſus orthodoxas: quamvis enim id indicet Theodoretus, dum ſummis laudibus Porphyrium hunc ornat, tamen me ab hujuſmodi opinione deterret, retrahitque Palladius, a quo diſcimus multa ab eodem Porphyrio crimina fuiſſe commiſſa, atque illud præ ceteris, quod in populari tumultu *Crucis ſignum pedibus conculcavit*: atque [niſi male ſuſpicor] id denique eſt, quod te compulit, ut Porphyrium *de Sanctis inique ſenſiſſe* cenſeres. At ſi id eſt, levis tua eſt ſuſpicio, Kieslingi. Conculcare, ſcilicet crucem is adhuc poteſt, qui *de Sanctis rectiſſime ſentit*. Fac hominem eſſe, qui fallaci perſuaſione ductus putet, conculcanda eſſe omnia, quæcumque ea ſint, quæ Judæorum perfidiam prodant. Is Crucem conculcare adhuc poterit, tametſi Sanctorum invocationi, & cultui, qui invocationi affinis eſt, adverſum ſe non præbeat. Revera tamen in tam abſona opinione non fuit Porphyrius, nec Crucem execratus ex animo eſt: ſed caſu, & invitus eam conculcavit, non advertens ſcilicet quid conculcaret, ſed populi tumultu veluti coactus, invituſque. Hunc itaque Porphyrium, quem tu inique de Sanctis ſenſiſſe cenſes, hujus erroris expertem facio, faciamque uſque dum præſtantiora argumenta attuleris, quibus tua perſuaſio innitatur, & inepta adverſus Trombellium accuſatio.

9 Sed jam aggredi oportet, quod de Juliano a Trombellio inter hoſtes cultus Sanctis adhibiti merito adſcripto, narras. Mones primo (*b*) *quidquid Plato de divinatione, magia, & Dæmonibus tradidit, id avide arripuiſſe Julianum, & hoc telo Religionis Chriſtianæ capita infeliciſſime petiiſſe, ut bene annotavit* (inquis Kieslingi) *quem ſupra appellavi, Cel. Baltus*. Lectorem porro allegas ad pag. 285 illius libri, quem inſcripſit *Defenſe des SS. Peres*.

10 At quis te, Kieslingi, docuit, quæ de Platone divinationis, Magiæ, & pravi Dæmonum cultus magiſtro profers: ſic ut ab eo hæc didicerit Julianus Apoſtata? An a Tullio, qui a magicis artibus alieniſſimus, his verbis Platonem celebrat (*c*)? *Ille non linguæ ſolum, verum etiam*

(*a*) Ad An. 104. (*b*) §. V. pag. 61. (*c*) lib. 3. de Ora. 139.

etiam animi ac virtutis magiſter. Alibi etiam (*a*) *virum doctiſſimum eundemque graviſſimum philoſophorum omnium* appellat. Quid? quod aperte in eodem libro teſtatur, vetuiſſe Platonem, *ne agri conſecrarentur* (*b*)? Solebant autem Diis Erebi agri conſecrari, iiſque ſacrificia litari. An ab Auguſtino, qui Platonem ſæpe commendat, & illius dogmata Chriſtianæ Religioni valde affinia celebrat? [*c*] Quem ergo denique profers tuę accuſationis ducem, aut ſocium? Nullum plane ex veteribus, ſed tantum Baltum, ut dixi, allegas. Baltus tamen nihil horum dicit, ſed tantum Platonicos commemorat, ſeu potius illos, qui, ut magno nomine ſuampravitatem obtegerent, Platonicorum vocabulo aſſumpto ſe plane Magię, & impiiſſimę ſuperſtitioni dederant. [*d*] Non Platonis, quem ceteroquin in Dęmonum poteſtate ac muneribus deſcribendis erraſſe fateor (*e*), ſed eorum, quos nuper dixi, Platonicorum libris atque ope utebatur Julianus Apoſtata, ut Chriſtiana religione everſa, veteres Græcorum fabulas, impia dogmata, rituſque ſuperſtitioſos & ſceleratos reſtitueret: hinc quum Maximus, & reliqui hujus generis Platonici, qui imperante Juliano ſummam laudem divinationibus, aliiſque pravis artibus ſibi comparaverant, id quoque Valente imperante agere ſtuderent, ſucceſſoremque Valenti prænunciarent, comprehenſi ſunt, & capitis damnati, eorumque libri diligentiſſime perquiſiti, & flammis traditi, nulla interea Platonis nomini, aut libris inuſta nota. Vide obſecro quæ tradit Ammianus Marcellinus hiſtoriar. lib. XXX, quem merito citat Baltus. At tu, quod nuper monui, ad Baltum provocas, & veluti certum dictorum tuorum vadem daturus, lectorem reiicis ad pag. 286 libri illius, quem, ut dixi, *Defenſionem Sanctorum Patrum Platonismi accuſatorum* inſcripſit. Tamen ea, quæ tu dicis, non ait Baltus: ſed tantum ait, docuiſſe Platonem: *Religionem divinationi unice inſervire: Animam ſua natura divina habere in ſe rerum futurarum imagines: quas ipſas, ſi anima forte non habet, Dii imprimunt. Hac de cauſa Dii eandem animam* (in viſceribus ſcilicet reſidentem, ipſaque viſcera in quibus reſidet) *ex ſubſtantia quadam dura tenacique effingere, levem illi ſuperficiem addentes, ſpeculoque ſimillimam adjungentes.* Allegat autem Baltus verba quædam Platonis ex Timæo, quæ utpote multa ad paginæ

[*a*] De legib. 2.
(*b*) N. 45.
[*c*] Conſule librum de *vera Religione* cap. III; Epiſtolam ad Dioſcorum olim 66. nunc 218, n. 20, & 21; *de Civit.* VIII. 2; Confeſſio. l. VII. cap. 20 n. 26; & contra Julian. Pelagia. IV. 76.
(*d*) Vide quæ tradit Baltus in eo libro quem inſcripſit *Defenſe des SS. Peres*, pag. 285, & ſequentibus.
(*e*) Auguſt. lib. X de *Civit.* cap. X. XII. XVI. XVII. XVIII. Adde Euſeb. lib. XIII. de *Prepara. Evang.* cap. XV.

Digitized by Google

calcem rejicio. [a]

rr At-

[a] Quum autem nossent quod ipsa neque ratione intellectura esset, etsi forte etiam alicujus sensus particeps fieret, non hoc ei a natura insitum esset, ut aliquarum rationum curam haberet, sed a simulacris ac spectris, & noctu, & interdiu maxime abduceretur: ad hoc sane Deus hepatis ideam istic constituit, & in illius habitationem posuit, densam & lęvem, & splendidam, & dulcem, & ut amaritudinem haberet machinatus, ut in ipso hepate cogitationum ex mente allata vis, velut in speculo formas suscipiente, & simulachra spectanda exhibente, terreat illam, si quando amaritudinis parte cognata utens, graviter illi minas intentet, & derepente per totum hepar se ammiscens, biliosos colores inducat: & totum contrahens, rugosum ac asperum efficiat: Apicem vero & agmen & portas ipsius partim ex recto inflectens ac contrahens, partim obturans & concludens, dolores & anxietates exhibeat. Et si quando rursus mansueta aliqua mentis cogitatio contraria spectra depingat, amaritudinis quidem quietem inducens, eo quod neque movere, neque attingere contrariam sibi naturam velit: dulcedine vero ipsi hepati insita ad ipsum utens, & omnes ipsius partes rectas & leves & liberas dirigens, placidam & sanam efficit animæ partem circa hepar habitantem, ut & in nocte converfationem moderatam habeat, & vaticinatione per somnium utatur, postquam rationis & sapientiæ particeps non est. Memores etiam paterni præcepti hi qui nos composuerunt, quando præcepit ipsis ut mortale genus pro viribus optimum facerent, sic sane hoc perpetrantes, ut etiam vilis in nobis pars alicubi veritatem attingeret, in hac vaticinium constituerunt. Satis magnum autem signum est quod vaticinationem Deus dederit humanæ insipientiæ, quod nemo sapiens vaticinationem Divinam ac veram attingit, sed aut per somnum sapientiæ facultate impedita, aut per morbum, aut aliquam numinis afflationem mente motus. At sapientis est intelligere & quæ dicta ac in memoriam revocata sunt sive per somnium, sive per vigilias a vaticinatrice, & numine afflata natura & quæ spectra visa sunt omnia, ratiocinatione distinguere, quatenus quid, & cui significet futuri, aut præteriti, aut præsentis mali, aut boni. Infani vero & adhuc in furore manentis opus non est judicare ea quæ visa, aut dicta sunt a se ipso: verum bene vetus hoc dictum habet sua agere, & seipsum cognoscere soli sapienti convenire. Unde etiam lex est Prophetarum genus in numine afflatis vaticinationibus judices constituere, quos aliqui vates cognominant totius rei ignari, quod hi responsorum, ac spectrorum obscurorum sint judices & non vates, justissime vero prophetæ eorum qui vaticinantur nominari possint. Hepatis igitur natura ob hæc talis, & in eo quo diximus loco producta est vaticinationis gratia. Et dum quidem adhuc vivit singulorum talium signa evidentiora habet. At vita privatum sit cæcum & vaticinatio languidior efficitur, ad hoc ut quid clare significet. Ceterum visceris ipsi vicini constitutio, ac sedes ex sinistra facta est illius gratia ut ipsum semper clarum, ac purum reddat velut speculo præparatam & in promptu semper appositum mantile. Quapropter etiam ubi aliquæ sordes circa hepar per corporis morbum fiunt, splenis raritas omnes illas purgans suscipit, ut qui cauus, & exanguis contextus sit. Unde dum his, quæ repurgantur, expletur, magnus, & sanie plenus augescit, & rursus quum purgatum fuerit corpus, humiliatur, & in idem considit. *Plato in Timæo interprete Jano Cornario pag. 753. Editio Basilea Frobenii.*

Digitized by Google

11 Atque eo quidem Platonis loco utebantur ii, qui generatim præſagia, & futurorum prædictiones inſinuabant, quotquot Magiæ & viſcerum inſpectioni dediti erant, ex quibus ſcilicet ventura præſagirent, qui ut celebri magnoque ſe nomine obtegerent, *Platonicos* ſe appellabant. Maximus ſcilicet, Chryſantus, aliique per ea tempora ſummi nominis impoſtores, quibus ſe plane erudiendum dedit infelix Imperator Julianus. Vides igitur Kieslingi mi, quantum erras, dum Platonem magiæ accuſas.

12 At non minus erras, dum Trombellium accuſas, quaſi præterierit celebrem Cyrilli Alexandrini locum (*a*). An putas id ſibi propoſuiſſe Trombellium, quod tibi propoſuiſti, Kieslingi, ut collectis undique Scriptorum dictis (apte ne, an inepte, non multum tua intereſt) magna volumina infarciret, ut eruditi famam ſibi conquireret? Minime vero: immo potius hoc ſibi propoſuit, ut pauca, ſed ea aptiſſima ſeligeret, quibus Lectorem erudiret, non fatigaret. Dic mihi Kieslingi. An non a præſenti argumento valde aliena attuliſſet, ſi ea attuliſſet, quæ adverſus Crucis ſignum effutiebat Julianus? An non poteſt quis Crucis ſignum odiſſe, & tamen Sanctos colere? Vide quæ nuper diximus [*b*]. An non etiam poteſt quis cultum Sanctorum imaginibus, atque adeo Sanctis ipſis adhibitum reprobare, & tamen Crucem habere in honore? Sane Iconoclaſtæ Crucem venerabantur, Sanctorum tamen imagines oderant, quin etiam non pauci inter eos odiſſe viſi ſunt Sanctos ipſos, quos procul dubio deſpiciebant. Vide quæ de Leone Imperatore tradit Trombellius capite VI Diſſertationis II. Vide rurſus quæ de iiſdem Iconoclaſtis docet ipſe Trombellius Sectione I Appendicis *de Cruce* n. 4. Ceterum, Kieslingi mi, ea quæ tu ex Cyrillo edidiciſti, non omiſit Trombellius, ſed apto loco, quod ſolet, docuit. Nonne Sectione I Appendicis *de Cruce* inter hoſtes Crucis Chriſti primo quidem Ethnicos recenſuit? At quis neſcit Julianum Imperatorem eiurata Chriſtiana Religione veterem Romanorum, Græcorumque ſuperſtitionem fuiſſe profeſſum, eamque ob rem *Apoſtatam* dictum? Quin etiam adeo Juliani geſta novit Trombellius, ut Capite V Sectionis IV ejuſdem Appendicis (*c*) tres vetuſtos Scriptores attulerit, Prudentium, Nazianzenum, & Theodoretum, ex quibus diſces eumdem Julianum, tametſi Crucis inimicum, & veneficiis deditiſſimum, aliquando tamen terribili Dæmonum aſpectu territum, ad Crucis ſignum, quo eoſdem Dæmones pelleret, confugiſſe. An non demum diſces, Kieslingi mi, tuis monitis non egere Trombellium, cunctaque, quæ cordatum Scriptorem decent, peregiſſe diu antequam tua cedro digna ſcripta lucem vidiſſent?

AD

(*a*) *Alterum quod prætexit Vener. Abbas, teſtimonium Crucis ſignum potiſſimum concernit.* §. v. pag. 62. (*b*) n. 8. (*c*) pag. 404.

AD EXERCITATIONEM III.

Quæ ſic inſcribitur a Kieslingio:

De Mahumetanis, Sanctis Romanenſium infenſis, ſed cultui Mahumeti prorſus addictis.

CAPUT I.

I. TRombellio ſuccenſes, Kieslingi Clariſſime, quod Mahumeto Lutherum junxerit, eaque de cauſa hæc adverſus eum ſcribis. *Ut Leonem ex unguibus, ſic Vener. Abbatem nunc ex ſuis ſcriptis cognoſces, eum minus candidum & moderatum in Lutheranos fovere animum, dum B. Lutherum cum Mahumeto ſatis audaciter conjungit.* Sed cur accuſationis querelæque tuę adverſus Trombellium momenta non affers? Quid denique Trombellius, quod tibi adeo diſplicuit, ſcripſit? [*a*] *Ex Prateolo novimus, in eo convenire cum Mahomete Lutherum, quod Sanctis delatas preces, & cultum uterque reprobet.* An non conveniunt? An non tam Mahometes, quam Lutherus (te quidem judice) nos Mariam venerari & colere vetant? Ac de Mahomete quidem id certum eſt, neque ſolus id docet Prateolus a Trombellio allegatus [*b*], ſed tu ipſe fateris iis verbis: *Non quidem Mariam, & Sanctos, ſed ſuum Mahomedem impoſtorem ſingulari afficiunt cultu* [*c*]. De Luthero vero id certiſſimum eſt: Neque vero neceſſe eſt hic ea afferre Lutheri loca, quæ Trombellius [*d*] ex Caniſio allegavit, cum tu ipſe id fatearis, & animoſiſſime doceas. Cur ergo ais, *Trombellium minus candidum, & moderatum in Lutheranos fovere animum, dum B. Lutherum cum Mahumeto ſatis audaciter conjungit?* Si Trombellius in eo Lutherum Mahometi junxiſſet, in quo uterque non convenit, eum merito reprehenderes, ſed dum in eo jungit, in quo uterque convenit, eum injuſte carpis, *nec minus candidus & moderatus* is erit, quam antea fuit.

2 Reliqua, quæ tu Kieslingi mi de Turcarum religione ac ritibus affers, detrita ſunt prorſus, habenturque apud Auctores omnes, qui Orientalium mores deſcribunt, neque aptum hic habent locum. Quid enim cum enumeratione hoſtium cultus Sanctis delati, quæ tu affers de illa Turcarum invocatione in peregrinatione Meccana [*e*]? O *Deus, nos invocamus tuam prophetam, & nos imploramus jam, ut*

(*a*) pag. 34.
(*b*) *Unde & Mariæ, omniumque Chriſti Martyrum cultum omnem abrogavit.*
[*c*] pag. 65. (*d*) pag. 65. [*e*] pag. 65.

Digitized by Google

ut per ejus intercessionem obtineamus remissionem peccatorum nostrorum : & alia plurima quæ hic effundis. Sed dummodo librum suum grandem Kieslingius noster efficiat, reliqua non curat, ideoque nec curat, si in hac ipsa exercitatione apertissime sibi contradicat, summis laudibus eum ipsum Maraccium extollens (*a*), quem paulo ante per contemptum *boni* vocabulo denotavit [*b*].

AD

(*a*) *Diſſorta hæc, qua SURA II de peregrinatione Meccana traduntur, egregie enodarunt Hadrianus Relandus, & laudatiſſimus Maraccius, vir in hoc litterarum genere facile princeps* (pag. 66.) Deinceps etiam crebro Maraccium dictorum ſuorum teſtem allegat.

(*b*) *Hoc autem male, habet Prateolum & bonum Maraccium, Mahumetum omnem imaginum cultum lege prohibuiſſe.* pag. 64.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM IV.

Quæ inſcribitur:

De Judæis Sanctorum hoſtibus.

CAPUT I.

1. QUantum tibi debemus, Kieslingi clariſſime, Trombellius, & ego, dum tandem aliquando eum *recte argumentatum* fateris [*a*]. Non levis hæc laus eſt, quæ ab adverſario, & oh quali! provenit. Vellem ego ſane vicem tibi rependere, tuaque argumenta celebrare, ſi poſſem. Sed ea quæ hic affers quis commendare poſſit, niſi inſipientiſſimus, aut mendaciſſimus is ſit? Tu quidem probare vis Judæos a Sanctorum cultu abhorruiſſe, quod Sanctos colere, & eorum imagines habere prohiberentur. (*b*) *Prima eſt religio*, (inquis) *quæ ipſos* (Judæos) *cultu Sanctorum, eorumque imaginum uſu prorſus prohibet. Animis ipſorum altius defixum eſt illud ſummi numinis mandatum*: Non facies tibi imaginem. Exod. XX. 4. *Summam Hebræorum majores adhibuerunt ſollicitudinem, ut ſuus, quem Deo deferrent, cultus, omnium imaginum, præter Cherubinos, quos Deus ipſe effingendos præceperat, eſſet expers. Gravi enim prò piaculo habuerunt formam Dei immortalis rebus vilioribus exprimere, quod ex Statio optime obſervat Cel. Banagius*:

Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo,
Forma Dei.

Delapſi in Gentilium ſuperſtitionem, ad ſaniora redierunt principia, bujus mandati Divini memores. Ne quidem Dei immortalis, quem deseneverantur, imaginem in ipſorum offendes templo. Quod religioſum cultus divini ſtudium feliciſſimus, & acutiſſimus Annalium conditor Tacitus *his verbis poſteritati commendavit.* „ *Ægyptii*, inquit, *pleraque animalia*, „ *effigieſque compoſitas venerantur. Judæi mente ſola, unumque Numen in-* „ *telligunt. Profanos, qui Deorum imagines, mortalibus materiis in ſpe-* „ *cies hominum effingunt: Nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum Templis* „ *ſunt. Non Regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor.* „ *Pulcre hæc Tacitus de moribus Judæorum obſervavit, cujus auctoritatem amplector, & magni æſtimo.*

2 Sed dic mihi Kieslingi Clariſſime, recta ne hæc tibi videtur tua argumentatio? Quomodo probas Judæis interdictum fuiſſe divina lege, ne Sanctos colerent? Nullam quidem probationem affers. Trombel-

(*a*) *Id facile probatur ex rebus cum S. Polycarpo geſtis, quas infra exponam. Inde recte Venerabilis Abbas argumentatur &c.*
(*b*) pag. 69.

Bellius porro non contemnenda affert argumenta, quibus oſtendat, valde probabilem eorum eſſe ſententiam, qui putant nullo præcepto prohibitos fuiſſe Judæos, ne bonos Angelos colerent, aut Sanctos invocarent, immo is, veriſſimillimum cenſuit, fuiſſe re vera a Judæis cultu aliquo affectos Sanctos (*a*). An vis validiſſimæ probationis loco eſſe *quod dixeris*?

3 Quod vero attinet ad id quod ſtatim ais: *Imaginum ſcilicet uſu prohibitos fuiſſe Judæos*, id utique minime probas. Primus locus deſumptus ex Exodi XX. 4. quem tu ita vertis: *Non facies tibi imaginem*: ſic fere vertitur: *Non facies tibi ſculptile*, ſeu *Idolum*. Sed de loci hujus intelligentia vide Kieslingi mi, quæ tradidit Trombellius cap. V, & VI Diſſertationis IX. Reliqua duo loca, ſi validiſſima ea eſſe fatear, quid demum probant? Prohibitos fuiſſe Judæos, ne Dei imaginem facerent. Sed adhuc Sanctorum Imagines formare ii poterant; etenim Cherubinorum imagines efformare adhuc poterant, tametſi Dei imaginem formare non poterant. Ea enim, quæ Deum movebant, ne ullas ſui imagines efformari ſineret ab Hebræis, non eum movebant, ne ullas Sanctorum imagines ab Hebræis fineret efformari. Sane Eccleſia diu vetuit Æterni Patris imaginem efformari, & noſtris ipſis temporibus Symbolicam tantum illius imaginem formari ſinit: An propterea Sanctorum, aut Angelorum imagines formari vetat? Nihil minus.

4 At fac Kieslingi mi, interdictas fuiſſe Hebræis imagines quaſlibet: an propterea Sanctos colere prohibebantur? Minime vero. Nonne oſtendit (uti dixi), Trombellius, valde probabilem eſſe eorum ſententiam, qui bonos Angelos, & Sanctos etiam cultos fuiſſe a Judæis affirmant? & tamen idem Trombellius [*b*] adductis Joſephi, Philonis, aliorumque etiam veterum Scriptorum locis oſtendit, a formandis imaginibus caviſſe poſtremis ſynagogæ temporibus Hebræos. An putas neceſſarias eſſe ad cultum imagines? Falleris, Kieslingi mi. Poſſumus ſcilicet animo eos nobis exhibere quos colimus, ideoque imagines, quamquam valde utiles eſſe dicimus, neceſſarias tamen eſſe nolumus. Ut reliqua omittam, nonne Auguſtinus, quem tu ipſe affers, Varronis auctoritate innixus Romanos diu ſine ſimulacris fuiſſe affirmat? [*c*] Tamen novimus falſos Deos per ea ipſa tempora fuiſſe ab iis cultos. Nonne etiam tu ipſe Plutarchum adducis hæc tradentem? (*d*) *Numa vetuit Romanis, hominis, vel beſtiæ formam tribuere Deo, neque fuit ulla apud eos ante vel picta, vel ficta imago Dei, ſed primos centum ſexaginta annos templa extruxerunt,*

(*a*) Vide Caput I Diſſertationis IV, & loca in eo capite indicata.
[*b*] Diſſer. IX Cap. VI §. VII pag. 27.
[*c*] Lib. IV *de Civit.* cap. 31.
(*d*) *In Vita Numa.*

Digitized by Google

vel cellas Diis: ſimulacrum per id tempus nullum habuerunt, nefas putantes, auguſtiora exprimere humilioribus, neque aſpirari aliter ad Deum, quam mente poſſe. Hæc dixi, Kieslingi, mitiſſime, atque adeo amice tecum agens. Ceterum cave, ne in ſubiratum hominem incidas. Irridebit ille probationes tuas, primamque vehementer refutabit iis argumentis, quæ facile præbebit Trombellius iis ipſis Capite V, & VI Diſſertationis IX, quæ modo allegavimus.

5 Altera porro probatio ex Statio deducta ineptiſſima eſt. An Statium legiſti? an ea expendiſti quæ ex eo allegas? Haud ſane. Scito itaque Kieslingi mi, ſcito doctiſſime Trombellii, adeoque Catholicorum omnium cenſor & doctor, Scito, inquam, nullam prorſus de Judæis in eo quem allegaſti loco, mentionem haberi a Statio, ſed de Athenienſibus, nec de vero Deo illa dici, ſed de Numine Miſericordiæ. An fallor? En Kieslingi mi ipſamet Statii verba, quæ ego utique in Statio ipſo legi, tametſi locum Statii non indices. Ecce itaque illa [a]

Parca ſuperſtitio: non thuſea flamma, nec altus
Accipitur ſanguis: lacrymis altaria ſudant.
Maſtarumque ſuper libamina ſerta comarum
Pendent, & veſtes mutata ſorte relictæ
Mite nemus circa: cultuque inſigne verendo.
Vittata laurus, & ſupplicis arbor olivæ:
Nulla autem effigies, &c.

6 An nunc negas, vocem illam *Dei*, quam Statius adhibet [*forma Dei*] *Miſericordiæ* numen indicare, cujus apud Athenienſes Ara extabat, non Deum verum, qualis eſt procul dubio Judæorum, idemque noſter Deus?

7 At me decepit [inquies] Baſnagius. Et tu Kieslingi tam præclarus es cenſor, ut libros ex aliena auctoritate alleges, non quos ipſe per te conſulueris? An neſcis ſæpiſſime errare Scriptores, dum alios allegant, ſic ut, ſi diligens es, perſpicere per te debeas, nec aliis fidere. Tamen, ut verum fatear, non Baſnagius erravit, ſed tu erraſti, Kieslingi, tu inquam Kieslingi, qui tuam diligentiam tam ſæpe, & tam magniloque jactitas. Accipe quid Baſnagius habeat: *Les Juifs ont eu plus de peine a graver des figures humaines a cauſe du peril de l'idolatrie.*

Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo
Forma Dei.

Comme Stace le dit des Athenien, qui avoient au milieu de leur ville un autel conſacré à la Miſericorde ſans aucune figure humaine. Viſne e Gallica in Latinam linguam hæc verti? Neque vero tua injuria id fiet, quamvis enim non modo gallicam, verum etiam anglicam

(a) Theba. XII.

cam, græcam, hebraicam linguam callere te fingas, gallicam sane prorsus ignoras, dum sic male hic Basnagium, deinceps vero pessime Bossuetium vertis. Ad hunc itaque modum verba illa vertimus: „ cavebant porro multo vehementius Judæi ab efformanda homi„ minis specie, & figura: evitandi scilicet periculi idololatriæ cau„ sa: Hinc versiculos illos:

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei.

„ quibus Statius *Misericordiæ* numen humana forma prorsus carens „ in media Athenarum urbe positum describit, ad eos transferre „ facile possumus.

8 Vide itaque Kieslingi mi, quam accuratus es interpres & scriptor, & disce denique te, qui Bellarminum, Gottum, Trombellium, Clericum, & Hugonem Grotium despicis, te qui Catholicos omnes omnium hominum inscientissimos esse ais, non tanti æstimari debere a nobis, quanti æstimari tu vis: quippe in ea laberis, quæ ferri omnino non possunt.

9 At reliqua prosequamur. Tu de Judæorum ritibus agens Tacitum citas, eumque *felicissimum & acutissimum annalium conditorem* appellas. Sed dic, amabo, cur felicissimum, & acutissimum Annalium conditorem Tacitum appellas? Fuerit, si libet, dum Romanorum gesta recenset. Sane felicissimus & acutissimus minime est, dum Judæorum historias narrat. Tu porro Kieslingi Tacitum vadem eorum allegas, quæ ad Judæorum mores rituſque pertinent. An non potius infelicissimum eum dicemus, qui in Annalibus ipsis, quos tu citas, hæc ait? [a] *Judæos Creta insula profugos, novissima Lybiæ insedisse memorant, qua tempestate Saturnus, vi Jovis pulsus, cesserit regnis. Argumentum e nomine petitur. Inclytum in Creta Idam montem, accolas Judæos, audio in Barbarum cognomento, Judæos vocitari, quasi Idæos: quidam regnante Iside exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Juda proximas in terras exoneratam. Plerique Æthiopum prolem, quos rege Cepheo metus atque odium mutare sedes perpulerit. Sunt qui tradant Assyrios convenas indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, ac mox propriis urbes Hebræasque terras, & propiora Syriæ coluisse. Clara aliis Judæorum initia: Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, condita urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse. Plurimi autores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Bocchorim adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut invisum Diis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrymas torpentibus, Mosen unum exulum monuisse, ne quam Deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet ut duci cælesti crederent, pri-*

(a) Lib. XXI. Annal. cap. I.

mo cujus auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent: Assenere: atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant, cum grex Asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, conjecturâ herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Id levamen, & continuum sex dierum iter emensi, septimo pulsis cultoribus, obtinuere terras, in quibus urbs, & templum dicata sunt. Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem, sitimque depulerant, penetrali sacravere, cæso ariete velut in contumeliam Hammonis. Eos quoque immolatur, quem Ægyptii Apin colunt. Sue abstinent, memoria cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis Judaicus nullo fermento detinctus. Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit: dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviæ datum. Alii honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Judæis quos cum Saturno pulsos, & conditores gentis accepimus: seu quod e septem syderibus, queis mortales reguntur, altissimo orbe & præcipua potentia, Stella Saturni feratur, ac pleraque cœlestium vi sua & cursu septimos per numeros commeare. Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur, cætera instituta siniſtra, fœda pravitate valuere. Nam pessimus quisque spretis Religionibus patriis, tributa & stipes illuc congerebant. Unde auctæ Judæorum res: & quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium. Separati epulis, discreti cubilibus, proiectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent. Inter se nihil illicitum. Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum idem usurpant. Nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos, exuere patriam: parentes, liberos, fratres vilia habere.

10 An is, qui de Judæis hæc narrat, *felicissimus*, & *acutissimus* appellabitur? Oh quam prudentius egisses Kieslingi, si ea consuluisses, & quod in aliis auctoribus interdum facis, exscripsisses etiam, quæ tradit Trombellius Capitibus III. IV. V. VI. XII. & XIII Dissertationis IX. Vidisses scilicet quid hac in controversia probatissimi Scriptores tradant: quidque verisimilius judicari a nobis possit. Quod si Tacitum allegare voluisses, nec solum allegare debebas, nec præpositis amplissimis illis (quid non & falsis?) laudibus, quibus illum extollis.

11 Et hæc quidem ad tuam IV Exercitationem dicta sint satis; nam quæ deinceps copiose exsequeris, vel nuper expensa sunt, veluti sunt illa, quæ ex Augustino & Plutarcho affers, vel multo copiosius, & diligentius allata sunt a Trombellio iis Dissertationis IX locis, quæ nuper citavimus, vel demum plane inopportuna sunt. Quid enim

nim cum Sanctorum cultu, & alienatione quam adverſus eundem cultum Hebræi profitentur, ea quæſtio quam proponis, num vera ea ſint, quæ de imagine Chriſti Domini ab Hebræis Berythi Cruci affixa in Niceno II ſunt recitata? Excuſationem aliquam utcunque haberes, ſi aliquando hiſtoriam eam Trombellius allegaſſet: ſed is omnino non allegavit. Neque vero ipſe cogitur, ut ea vendicet, quæ aut Scheleſtrates, aut alii Catholici per ſe dixerunt, neque enim aliquid Eccleſia eo ſuper argumento credendum nobis propoſuit. Perperam itaque hæc ſubdis, quæ tu ipſe videris quam elegantia ſint, & quam cum præſenti argumento conjuncta: (a) *Difficulter Scheleſtratenius noſtros commovebit animos, ut hæc credamus; non tam ob irreverentiam in Jeſum odium, quam potius momenta quædam alia, quæ hujus rei fidem labefactant. Et ſi res eſſet certa, ad confirmandum Sanctorum cultum nondum ſufficeret.*

AD

(a) Exerc. IV. pag. 73.

AD EXERCITATIONEM V.

Quę ſic inſcribitur:

De Baſilidianis impuriſſimis Idolorum, & Imaginum cultoribus Romanæ Eccleſiæ facile donandis.

CAP. I.

1 NIhil præfari libet *Kieslingi* cariſſime, ut ſtatim te alloquar: teque moneam, ideo Trombellium Baſilidianorum errores omnes minime recenſuiſſe, quia id ab argumento, quod ſibi ille pertractandum propoſuerat, valde aberat. Cavet porro Trombellius ne a ſcopo ſibi conſtituto aberret, teque ſinit pro libito evagari, & dum de iis diſputamus, qui Sanctorum cultum oppugnaverunt, Baſilidianorum hiſtoriam texere, tuamque vere mirabilem & peregrinam eruditionem prodere, & Crabium allegare, & Baſnagium, & de vocabulis *Abraxas*, & *Chaulochau*, ſeu *Caulacau* multa proferre. Non hæc tibi Trombellius invidet, id ſcilicet perſequens, quod unice illi propoſitum eſt.

2 At ſine Kieslingi, ut quoniam Trombellium vehementer redarguis, accuſationes tuas adverſus eundem Trombellium recenſeam, quas pagina 77 ad hunc modum urges. *At enim vero* (inquis) *Venec Abbas operam dat ut Baſilidianorum emolliat errores, & demonſtret, eos nentiquam fuiſſe Sanctiis adverſos, ſed Sanctorum cultum aliqua ex parte adiuiſſe. Miror ſane qua fide Baſilidianos, & alios hujus furoris hæreticos, in præſidium cultus Sanctorum ſtabiliendi vocare poſſit. Non erubeſcit Baſilidi hanc ablucre maculam, & auctoritatem, in qua tantopere innititur, Patrum infirmare.*

3 Dicta porro tua his Trombellii verbis comprobare te putas: *Neque Baſilidem neque eos Gnoſticos quos reprehendit Irenæus, neque Cainos, ſeu Caianos, neque denique Manichæos omnes a cultu Sanctiis adhibendo abhorruiſſe, probabilibus argumentis evincimus. Baſilidi demo non modo inventionis laudem, verum etiam errorem hunc. Nimirum Auguſtinus, aliique veteres ſtulta Baſilidis dogmata deſcribentes, errorem hunc ſilentio premunt, minime prætermiſſuri, ſi re vera Sanctorum cultum reprobaſſet ..... Baſilidem quidem Chriſtianos a Martyrio arcuiſſe, quia nec Jeſum, ſed Simonem ſupplicia ſuſtinuiſſe putavit, propterea tamen illum hoſtibus Sanctorum non eſſe accenſendum: Sed ſi propterea cum vis inter hoſtes cultus Sanctis adhibiti recenſere, eos omnes recenſeas eſt opus, qui auctores ſunt, ne quis Martyr, aut Sanctus fiat, ideoque ne aliquando colatur.*

4 Sic autem rurſum Trombellium exagitas: *Non opus erat ut tan-*

to ſtudio Baſilidis ageret cauſam, quin parum gloriæ inde ad Romanenſes redundat, ſi ex his fœtidis ſuperſtitionis lacunis veritatem religionis catholicæ evicerit. Leve ſatis eſt argumentum, Baſilidianorum ſuperſtitione, qua vix ulla hæreſis deteſtabilior, & impurior extitit, Sanctorum probare cultum. Quinam, Ven. Trombelli, fuerunt illi, quos venerati ſunt Baſilidiani, Sancti? An Maria? Polycarpus? Januarius? Quoſnam quæſo Sanctulos ſua veneratione judicarunt dignos? Pudet ne dicere: illos fuiſſe Ægyptiorum Deos, Iſidem, Oſiridem, Serapidem, Harpocratem, Scarabæum, & omne fere Idolum, quod ſupina Ægyptiorum ſuperſtitio excogitavit. Quem ſæpe, ſæpiuſque excitat, Venerabilem Montfauconium, vellem & optarem ut legiſſet, & in hoc potiſſimum de Baſilidianis incidiſſet argumentum, forte ne verbulo quidem horum hæreticorum inieciſſet mentionem. O ſi accuratius Baſilidianorum perluſtraſſet errores, hos futiles, & inſulſos hæreticos minime vocaſſet in præſidium. Eorum enim, ut recte obſervat Ven. Aug. Calmetus, doctrina tam abſona, & eorum vita ſceleſta fuit, ut mortem eſſe ultimam rerum lineam, credidiſſe viderentur. Statim vero Montfauconii verba adducis, hæc ſubdens: *Placet itaque hoc meis argumentis, ſed acutiſſimis immortalis apud eruditos plane memoriæ Montfauconii telis hunc Ven. Abbatis errorem ſubvertere, & illum ipſum dare in pudorem. Ita vero hic Ven: Pater de Baſilidianis ſentit.* „ Quis putaret [inquit] por„ tentoſam illam Ægyptiorum Religionem, a viris Chriſtianam Re„ ligionem profitentibus adoptandam, & cum ſacris ejus myſteriis „ commiſcendam fore? &c.

5 At age Kieslingi. Quanam ratione comprobas Baſilidianorum errores a Trombellio emolliri? quanam ratione pariter comprobas *demonſtraſſe Trombellium ab iiſdem Baſilidianis Sanctorum cultum aliqua ex parte fuiſſe admiſſum?* Rurſus quanam ratione comprobas: *Baſilidianos, & alios hujus furfuris hæreticos in præſidium cultus Sanctorum ſtabiliendi ab eodem Trombellio fuiſſe vocatos? Non erubuiſſe* quoque eundem Trombellium *hanc Baſilidi maculam abluere & auctoritatem Patrum, in qua tantopere innititur, infirmare?* Plane nulla: ſic ut vel mera mendacia ſint tua hæc dicta, vel certe exclamationes, ac declamationes leviſſimæ ac pueriles, quibus mirum in modum oblectaris. Diſce itaque, quo denique ſpectent, & quid virium habeant Trombellii dicta: Scito, Trombellium, ut veritati inſerviret, nullique appingeret errores, quos is non admiſit, docuiſſe: minime conſtare, aut *Baſilidem*, [neque enim de Baſilidianis ſermonem inſtituit, ſed tantum de Baſilide: ſæpe vero evenit, ut priſcis Magiſtri erroribus alios diſcipuli adjungant] aut *Cajanos* in eorum numero eſſe collocandos, qui Sanctos venerari recuſarunt. Opinionem hanc ſuam de Baſilide firmavit auctoritate *Auguſtini, aliorumque Veterum*, [quos tu, neſcio qua audacia, ſed certe falſo ais a Trombellio contemni] firmavit, inquam, Trombellius opinionem ſuam *auctoritate Auguſtini, aliorumque veterum, qui Baſilidis dogmata deſcribentes, errorem hunc ſi-lentio premunt: minime prætermiſſuri ſi revera Sanctorum cultum is re-*

pro-

probasset: Solutione quoque illius argumenti, quo maxime Rutlandus innititur. Negat scilicet Trombellius inter hostes cultus Sanctis adhibiti poni a Hieronymo Basilidem; modum pariter explicat, quo illi Martyrium displicere potuerit, tametsi Sanctorum cultum non aversaretur. Recole obsecro quæ tradidit ille numero ipso primo Capitis III.

6 An vero propterea Basilidianorum errores emollire cupiit Trombellius? Minime vero, cum [nullum, quod jam dixi, de Basilidianis sermonem instituerit, sed tantummodo de Basilide, nec ullam errorum, quos Basilidiani revera professi sunt, defensionem aut purgationem texuerit. Cur itaque jubes Trombellium indicare quos Basilidiani coluerint? An *Mariam*, an *Polycarpum* & *Januarium*? Quosnam vero *Sanctulos sua veneratione judicarunt dignos*? (*a*) Nimirum Kieslingi mi, dum hæc profers, quam male in Sanctos sis animatus profers quidem, dum Mariam, Polycarpum & Januarium *Sanctulis* annumeras: sed insciti am tuam ostendis etiam. An Basilides, illiusque discipuli vetustissimi hæretici *Januarium* venerari potuerunt, qui multis post annis Martyrium subiit, Diocletiano scilicet imperante? An non etiam novisti aliud esse minime probari aliquem Sanctorum cultui minime adversum, aliud ostendi eidem cultui expresse faventem? Inter hæc medius quidam est status, quem *indifferentiæ* Logici appellant: qua scilicet voce indicetur minime constare quid de aliquo sit judicandum. An nescis in judiciis sæpe evenire, ut neque appareat errans is qui accusatur, neque convincatur reus? Basilidiani (quoniam tu de iis disputare vis, tametsi de iis nullam disputationem Trombellius instituerit) non convincuntur rei cultus Sanctis expresse denegati. Sed non propterea novimus Sanctos coluisse, multo vero minus novimus quos coluerint: sic ut immerito plane hæc primo pronuncies: „ *Ut Ven. Abbas intelligat*, „ *quantum sit lucrum, quod ex Basilidianis ad Romanenses profluit*, tum Exercitationem hanc ampullaribus jactationibus concludas, „ *Si Sanctorum cultus idolorum superstitione est probandus, non deerunt innumeræ* „ *fere, & antiquissima hujus argumenti documenta. Quam, si placuerit*, „ *indagandi, & veritatem Ecclesiæ Romanæ probandi gloriam lubens Ven.* „ *Abbati concedo, & ipsi abjectissimos hæreticos, ut egregios Ecclesiæ* „ *Romanæ testes & ornamenta, facile donabo.*

7 At Trombellii sententiam repellere te putas auctoritate Montfauconii, & persuasionem hanc tuam adeo commendas, ut confossum, & jam exanimem Trombellium pronuncies. „ *Placet itaque* [en tuas ce- „ dro dignas ac vere præclarissimas voces] „ *Placet itaque non meis* „ *argumentis, sed acutissimis immortalis apud eruditos plane memoriæ*, „ *Montfauconii telis hunc Ven. Abbatis errorem subvertere, & illum ipsum* „ *dare in pudorem. Ita vero hic Ven. Pater de Basilidianis sentit*: Quis „ pu-

(*a*) Pag. 77.

„ putaret, *inquit*, portentoſam illam Ægyptiorum Religionem, a viris Chriſtianam religionem profitentibus adoptandam, & cum Sacris ejus myſteriis commiſcendam fore? Quis illam de Diis ineptam, monſtroſamque opinionem nationis ſuperſtitioſiſſimæ, cum arcanis ſanctiſſimiſque veræ religionis myſteriis conjungendam unquam crediderit? Illud tamen ſecundo Eccleſiæ ſeculo fecere Gnoſtici, Baſilidiani, & Valentiniani. Irenæus, Epiphanius, Hieronymus, aliique Patres hæreticæ hujuſmodi impietatis ceu ſpecimen tantum dederunt; monumenta ab illis hæreticis relicta, quæ ad uſque noſtram ætatem pervenerunt, multa nos docent, quæ iis indiciis deſtituta, in æternam inducta oblivionem fuiſſent. *Adducit laudatiſſimus Pater Hadriani Epiſtolam.* Verum, *inquit*, hanc religionum commixtionem ediſcimus ex epiſtola Hadriani Imperatoris per Vopiſcum in Vita Saturnini Tyranni, cujus Epiſtolæ hæc verba ſunt: „ Hadrianus Auguſtus Severiano Cos. Salutem. Ægyptum, quam mihi laudabas, Severiane cariſſime, totam didici levem, pendulam, & omnia famæ momenta volitantem. Illi, qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt, & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt. Nemo illic Archiſynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum Presbyter, non Mathematicus, non Aruſpex, non Aliptes. Ille ipſe Patriarcha, cum in Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chriſtum. Genus hominum ſeditioſiſſimum, vaniſſimum, injurioſiſſimum, „ *Si plura deſiderat ediſcere de hac Baſilidianorum ſuperſtitione, audiat porro Ven. Montfauconium, qui ſatis edocet, hos Pſeudo-Chriſtianos Solem, ſeu Mithram adoraſſe, & ſimul Chriſtum hoc nomine coluiſſe.* „ Certum videtur, *inquit Ven. Pater*, illos Pſeudo-Chriſtianos Solem adoraſſe hiſce nominibus Abraxas, & Mythras, putaſſeque Jeſum Chriſtum Solem juſtitiæ, eſſe Solem hunc materialem, quandoquidem hæretici quidam erant hoc infecti errore. Lapilli certe quidam, quos infra proponemus, idem planum faciunt, eorum ſaltem plurimos, Chriſtum pro Sole habuiſſe. Quæ intercedebat ſimilitudo inter Mythræ, & Chriſtianorum Myſteria, argumentum erat, iſtam Religionem cum Chriſtiana mixtam fuiſſe.

8 At re vera Trombellium minime impetis. Fateor inſcitiam meam Kieslingi cariſſime. Subtilem hanc tuam argumentandi rationem minime aſſequor, quam utique non aſſequetur, niſi qui ſit tui ſimilis. Fuerint, ut libet, Baſilidiani hæreticorum omnium ſuperſtitioſiſſimi: fuerint Ægyptiorum Numinum cultores. Ergo ne Sanctos, quos Catholica colit Eccleſia, colere non potuerunt? Minime vero. Potuerunt ſcilicet, ſicut & Diſcipuli Carpocratis potuere (a), *Imagines quaſdam quidem depictas, quaſdam autem & de reliqua materia fabricatas habere . . . . & has coronare, & proponere eas cum imaginibus*

L *Mun-*

(a) Iren. contra hæreſes 1. cap. 25, olim 24.

Mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum: & reliquam observationem circa eas similiter, ut gentes fecere; adeo ut, si Epiphanio fidimus (*a*), sacrificium iis offerrent, aliosque Gentilium ritus circa eas adhiberent. Quid? quod nos Irenæus, & Epiphanius docuere magnam partem veterum hæreticorum studuisse Gentilium mores, & profanos ritus, Christianorum moribus, & ritibus jungere, atque ex iis unam nescio quam perditissimam sane, & a christiana alienissimam sectam constituere. Alia hujus generis exempla ex optimis Scriptoribus desumpta tibi præbebit Trombellius (*b*), cujus monita si consules, tua argumenta, qualiacunque ea sint, plane dissoluta conspicies.

9 Quamquam hoc necesse non est, *Kieslingi* mi. Nonne tu ipse, Montfauconio duce, Ophitarum exemplum adducis, (*c*) ideoque hæreticorum valde antiquorum, qui *Serpentem magno in honore habuere, ipsumque velut Christum suum respexere*? Hi tamen Christianam legem, item ut Basilidiani profitebantur, tametsi eam re vera & impio dogmate, & profanis ritibus fœdatam pollutamque. Sicut itaque hi & verum Christianorum Deum, & Creaturam, fortasse etiam Dæmonem in serpente venerabantur, ita Basilidiani & Sanctos, & Ægyptiorum numina venerari commode poterant. Et en quo denique desinit, *Kieslingi* mi, grandis illa argumentatio ex Montfauconio desumpta, & quibus *veluti acutissimis telis* Abbatis Trombellii *errorem subvertas, & illum ipsum* [ut tuis utar elegantissimis, & Apulejo inserendis verbis] *des in pudorem*.

10 Gratias itaque immortales tibi ago *Kieslingi*, quod tu ipse responsionem nobis aptissimam minacibus dictis tuis præbuisti, rationemque indicasti, qua comminationes tuas eluderemus. Sed cur etiam non plurimas tibi gratias agimus, propterea quia denegatum Sanctis cultum *errorem* vocas & *maculam* (*d*)? Noli conqueri *Kieslingi* mi, si deinceps Catholici *errorem* & *maculam* id appellent quod tu ipse *maculam* & *errorem* esse ais.

11 Gratias pariter tibi agimus, quod Basilidianos, Trombellio silente, &, ut tu quidem pronuncias, invito, in eorum numero colloças, qui Sanctos colere recusarunt. Id dum agis *Kieslingi*, quid aliud agis, nisi causæ tuæ eos patronos adscisscere, quos tu ipse *iniquissimos*, ac *scelestissimos* esse pronuncias?

AD

(*a*) Hæresi VII. alias 27. (*b*) Disser. 8. cap. 9. (*c*) Pag. 79.

(*d*) *Venerabilis Abbas operam dat, ut Basilidianorum emolliat errores, & demonstret eos neutiquam fuisse Sanctis adversos, sed Sanctorum cultum aliqua ex parte admisisse* pag. 77. *Non erubescit Basilidi hanc abluere maculam*. pag. 71.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM VI.

Quæ *de Cainis, seu Cajanis* inſcribitur.

CAPUT I.

1 NOn ſatis Kieslingio fuit ſe peſſimum Logicum ſuperiori Exercitatione declarare, id rurſus hic agit, ſeque plane in argumentandi ratione imperitum pronunciat, dum in ipſo Exercitationis limine hæc ait: *deperditis plane hæreticis, quos Cainos, ſeu Cajanos appellamus, contingit Ven. Trombellio, peſſimæ ſuæ cauſæ gaudere patrono.* . . . . . Exercitationem vero ipſam ad hunc modum concludit,, *Nullum ego e Romanæ Eccleſiæ Scriptoribus vidi, qui hæc ſpurciſſima libidinis & idololatriæ monſtra, ad probandum Sanctorum cultum in auxilium vocaverit. Legat Vener. Abbas, quem ſæpius excitat, Tillemontium, qui Cajanorum Theologiam & Dogmaticam, & Moralem valde impiam eſſe dicit. Evolvat quæ Natalis Alexander loco ſupra excitato de his Cajanis ſentiat; forte ipſum hos hæreticos allegaſſe pœnitebit.*

2 Quantum erras Kieslingi mi, ſi putas Trombellium Cajanorum ſuſcepiſſe patrocinium: Rurſus ſi putas eundem Trombellium *ad probandum Sanctorum cultum eos in auxilium vocaſſe*: Denique ſi putas *hos hæreticos* ab eo fuiſſe allegatos. Nihil horum egit Trombellius, tuque (pace tua dixerim Kieslingi) aut non legiſti, aut certe minime intelligis, quæ Trombellius dixit, tametſi ea perſpicua ſint, & minime ambigua. Hoc tantum monet, minime conſtare ſive ex Hieronymi verbis, ſive aliunde, num Cajani Sanctos colere recuſarint; commodamque explicationem excipere, quæ de contempto a Cajanis Martyrio diſcimus ex Hieronymo [a]. Errores vero Cajanorum tantum abeſt ut excuſet, ut ne memoret quidem. Cur enim memorare neceſſe erat, cum id a propoſito ſuo remotiſſimum foret? An hoc eſt, Kieslingi, patrocinium *peſſimæ cauſæ a Cajanis* ſuſcipere? An hoc eſt Cajanos *ad probandum Sanctorum cultum in auxilium vocare*? *An hoc eſt hos hæreticos allegare*? Nihil minus. Oh quantum tibi Kieslingi præclara illa Auguſtini monita conveniunt? (b) *An hic tua lumina aciem perdiderunt? Noli eſſe præceps: melius eſt attendere quid dicas, quam contendere ut contradicas.*

[a] *Quo ſpectent ea Hieronymi verba, in quibus Cajanos videtur facere auctores hujus hæreſeos &c.* Trombellius pag. 41.

[b] Operis imperfecti contra Julia. lib. 4. cap. 101.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM VII.

Quæ inſcribitur:

De Euſtatio, & Concilii Gangrenſis Decreto.

CAP. I.

1 QUam vere pronuncies illa, Kieslingi mi, *Nullum aptiorem, felicioremque invenit Euſthatius, in quem Concilium Gangrenſe detonuit, noſtro Ven. Trombellio cauſæ ſuæ defenſorem*, diſcat is qui Trombellii dicta perpenderit. Duo quærit Trombellius, nempe quis fuerit Euſthatius ille, cujus errores damnavit Gangrenſis Synodus: & num, quiſquis is fuit, re vera Sanctorum cultum fuerit averſatus. Porro quod ad primum pertinet, quoniam minime conſentientes hac in re Scriptores videt, ea quidem rationum momenta recenſet, quibus unaquæque ſententia innititur, tamen ſinit unumquemque ſentire quod libet. Quod vero ad alterum attinet, hæc illius demum ſententia eſt: (*a*) *Conjecturas, quæ adduci conſuevere, minime nos cogere, ut Euſthatium a Gangrenſi damnatum delati Sanctis cultus hoſtem fuiſſe dicamus*: tum hæc adjungit: *Fateor, ſi vis, eos Sanctos, quos ſuis erroribus adverſantes noverat, minime coluiſſe; at reliquos, quos virginitas, pauperiesque laudabiles, interdum etiam Martyres effecerat, colere poterat, & generatim eos, quos a ſua doctrina minime abhorruiſſe credebat.*

2 Tu vero quid ad hæc Kieslingi? Cauſæ quidem Euſthatii, uti dixi, patronum vis eſſe Trombellium: & deinceps addis: [*b*] *hoc ſtare pro certo, a Trombellio Sebaſtenum Epiſcopum excuſari, eundemque* Trombellium *pro more titubare, incertumque aliquem ſubſtituere.* At ſi recte accurateque legiſſes Trombellium Kieslingi, apertiſſime vidiſſes Euſthatium Sebaſtenum ab eo non excuſari, ſed tantum dubitari, num Sebaſtenus Euſthatius is ſit, quem damnavit Gangrenſis Synodus. Sane te ipſo judice [*c*] *Non ſine cauſa gravis hiſtoricus* (Samuel Baſnagius) diverſum a Sebaſteno *fuiſſe* putat *Euſthatium illum, quem Synodus Gangrenſis damnavit.* Socratis quidem, & Sozomeni auctoritatem tu urges: ſed apertiſſime oſtendit Trombellius non eſſe admodum fidendum hac in narratione Sozomeno & Socrati. Ne vero id temere dixiſſe videatur, & manifeſto horum Scriptorum errore prolato, & Tillemontii auctoritate confirmat (*d*): quæ tamen omnia tu pro more diſſimulas, tibique blan-

(*a*) Pag. 51. (*b*) Pag. 82. [*c*] Pag. 84. (*d*) Videatur n. V. cap. IV. pag. 43. *Neque flecti te ſinat ab auctoritate Socratis, & Sozomeni &c.*

Digitized by Google

blandiris, & veluti proſtrato Trombellio plaudis. Sed cur illius verba, rationumque momenta ab eo allata retices Kieslingi? Cur etiam retices interpretationem, quam Concilii Gangrenſis Canoni adhibet, ſed hoc tantum enuntias, *Canonem Concilii Gangrenſis eum pertinaciter introvertere, & pro lubitu explicare.* Kieslingi mi, tibi ſæpe mendaci, tam gravis criminis Trombellium accuſanti, minime credimus, niſi rationum momenta afferas, quibus id nobis perſuadeas. Tu tamen præter clamores tuos, & Bellarmini aliter interpretantis auctoritatem non aliud obiicis.

3 Clamores tamen tuos quanti facimus, jam noviſti. Bellarmini porro auctoritatem non ſpernimus quidem: quis enim præclariſſimi viri auctoritatem ſpernat? Sed ſcito his in diſſidiis, quæ amice inter Catholicos inſtituuntur, compelli neminem, anteceſſorum ſuorum explicationes tanti facere, ut alias ſubſtituere prohibeatur. Nonne Trombellius ipſe apertiſſime eſt faſſus ſe hac in re ab Alphonſi de Caſtro, & Bellarmini opinione diſcedere? [a] *Alphonſus de Caſtro* [inquit ille, & *Bellarminus probatiſſimi quidem ſunt, at vel decipi ii potuere, vel latiori quadam ſignificatione hujus erroris auctorem fecerunt Euſtathium, quatenus negligens Sacros conventus, & feſta in Martyrum honorem celebrata, Martyribus honorem ab Eccleſia adhibitum præſtare omittebat.*

4 Prodis autem, quod ſæpe facis, hic quoque inſcitiam tuam Kieslingi mi, dum ſic adverſus Trombellium diſputas [b] *Si igitur hunc Canonem de his, quæ in primitiva Eccleſia ſolemnia erant, intelligit, ut ſe intelligere §. XVI fuſius teſtatur; prono ſequitur nexu, cultum Sanctorum hoc Canone non ſtabiliri; quia doctrinæ capita de interceſſione, de invocatione, de precibus ad Sanctos emittendis, & de cultu Sanctorum ne verbulo quidem tanguntur. Concedit itaque mihi quod volo, Gangrenſis Synodi Patres, bas, quas vos habetis, de Sanctis, doctrinas prorſus ignoraſſe. Ubi quæſo interceſſionis cujuſdam Sancti, vel Martyris in hoc Concilio fit mentio? Ubi invocationis, & adorationis eſt veſtigium? Sine vitio Sanctorum celebrarunt memorias, & ad noſtras plane accedunt partes. Id enim nemo noſtrum negavit, nec unquam, niſi omnem fidem hiſtoricam ſubvertere velit, negabit, adamantino plane ſtudio Eccleſiam primorum ſeculorum honoraſſe Martyres, & eos quos diptychis ſuis inſeruerat, pios. Si itaque hæc eſt mens Concilii Gangrenſis, exulat veſtra de interceſſione, invocatione, & officiis ſeu meritis Sanctorum in mortales perſuaſio.*

5 Pudet me Kieslingi te, qui Theologus tuo quidem judicio maximus es, monere tuam hanc argumentationem puerilem prorſus eſſe, quæque merito a Logicis vapulabit. Fateor hoc in Canone expreſſe, ſaltem non tradi (ut tuis utar elegantiſſimis verbis) *doctrinæ capita de interceſſione, de invocatione, de precibus ad Sanctos emittendis, ac de cultu Sanctorum.* An ex eo Canone Trombellius hæc eruit? minime vero. At temere tu hæc eruis. *Concedis itaque mihi, quod volo,*

Gan-

[a] Pag. 51. (b) Pag. 86.

Gangrenſis Synodi Patres, has, quas vos habetis, de Sanctis doctrinas prorſus ignoraſſe? Dic mihi Kieslingi, hoc ne in Canone traduntur cuncta Eccleſiæ dogmata? traditur ne perpetua Mariæ Virginitas, traditur ne baptiſmi virtus & reliqua dogmata, quæ perinde Catholici, ac vos excipitis? Nihil minus. Et tamen, te ipſo judice, hæc vetuſta Eccleſia fatebatur, & admittebat, nec Gangrenſis Synodi Patres ea repulere.

6 Vide itaque, & demum agnoſce, aliud eſſe expreſſe negare, aliud (quoniam apta illius rei mentio non occurrit) aliquid ſilentio præterire. Ut ea recte eruas, quæ tu temere eruis, oſtendendum eſt tibi, Gangrenſes Patres expreſſe negaſſe interceſſionem, & reliqua dogmata, quæ Eccleſia Catholica ſtatuit. Sed rurſus vide Kieslingi mi, quam recte diſputes. Nonne Sanctorum pro Eccleſia univerſa interceſſionem tu ipſe agnoſcis & prædicas? [a] Cur ergo hic negas, tuamque perſuaſionem ex Gangrenſis Concilii Patribus deducere ſtudes? Sed hanc quoque habet Kieslingius laudem, ut minime curet quam conſtans ſit.

7 Sed expediamus etiam oportet, quæ in Exercitationis ſuæ calce Kieslingius adverſus Trombellium his verbis urget. *Unicum Ven: Abbati adhuc incumbit, ut demonſtret, quod in calce hujus capitis monet:* „ At reliquos, *inquit*, quos virginitas, pauperieſque laudabiles, in„ terdum etiam Martyres effecerat, colere poterat, & generatim „ eos, quos a ſua doctrina minime abhorruiſſe credebat. „ *Eu mirum ſubterfugium! Tibi jam demonſtrandum eſt, Euſtathium Sanctos ſuo inſtituto magis idoneos & propitios coluiſſe. Exponas, quos demum Sanctos coluerit, & colendos demandarit? Si certos quoſdam Sanctos ſua veneratione dignos judicarit, hos ſine dubio excitaſſent Gangrenſes Epiſcopi, ſed in genere de Sanctorum Baſilicis, & Reliquiis agunt. Non igitur de individuis, ſed toto Sanctorum agmine confirmant, quod Euſtatius illos rejecerit. Hæc præter clara Concilii verba ex cerebello effingis, & tam male procedunt, ac ſi concluderes: Decreta Concilii Tridentini de Veneratione, & invocatione Sanctorum, de Reliquiis Sanctorum, & de imaginibus, oppoſita quidem ſunt Lutheranis, & Proteſtantibus, qui horum cultum improbant; Sed Lutherani & Proteſtantes eos tantum Sanctos, quos Eccleſia Romana amplectitur, reiiciunt, alios autem Sanctos, quos ſua veneratione dignos judicant, nihilominus colunt & venerantur. Quæ, qualis, quanta argumentandi ratio! Quoſnam colit Eccleſia Proteſtantium Sanctos? Aut quorum implorat auxilia? Dic quæſo bone Trombelli? Sed hic æque, ac in enumeratione Sanctorum, quos coluiſſe putas Euſtathianos, hæſitabis. Non igitur viris, ſed pueris, non viju gaudentibus, ſed luſcis hæc perſuaſeris. Sed ebo jam ſatis eſt, de hoc Concilii Gangrenſis ſenſu. Facile huic oppono Concilium Eliberitanum, quod omnem cultum Sanctorum deprimit. De quo poſtea.*

(a) Vide quæ tradit Kieslingius pag. 295, & ſequen. præſertim vero pag. 309 ex Confeſſione Auguſtana.

8 Nolo hic immoremur Kieslingi in expendendis plauſibus quos tibi ipſi facis. Tibi plaude ut libet, modo neminem, niſi forte tui ſimilem habeas, qui tibi plaudat. Expendamus itaque, ſepoſitis jurgiis, & conviciis quibus Trombellium oneras, ſed amice & mitiſſime argumentationem tuam. Præclare argumentatus eſt Trombellius, dum hæc protulit: „ At reliquos, quos virginitas pauperieſque „ laudabiles, interdum etiam Martyres effecerat, colere poterat, & „ generatim eos, quos a ſua doctrina minime abhorruiſſe credebat. „ Nimirum oſtenderat ille toto fere Capite quarto, dubium adhuc eſſe, num is, qui a Gangrenſi Synodo damnatus eſt, illis annumerandus ſit, qui cultum Sanctis adhibitum generatim impeterent; an non. Tum vero per rhetoricam conceſſionem Scriptoribus omnibus uſitatam connivet [*Si quis firmiter obuiti velit &c.*] nonnullorum Sanctorum cultum improbaſſe: eorum ſcilicet Sanctorum, qui vitam inſtituto ſuo adverſantem manifeſtius profeſſi erant, dummodo hi ipſi, quibus id veluti conceſſum indulget, fateantur nullum exare certum argumentum, quo conſtet omnium omnino Sanctorum cultum fuiſſe ab Euſtathio illo, quem Gangrenſis Synodus damnavit, reprobatum. Quod ſi non conſtat omnium omnino cultum non reprobaſſe, facile eruitur, aliquos colere potuiſſe, eorum ſcilicet, quos palam adverſantes ſuo inſtituto non agnoſcebat. En ſenſus verborum illorum. *Fateor, ſi vis, eos Sanctos, quos ſuis erroribus adverſantes noverat, minime coluiſſe. At reliquos, quos Virginitas, pauperieſque laudabiles, interdum etiam Martyres effecerat, colere poterat, & generatim eos, quos a ſua doctrina minime abhorruiſſe credebat.*

9 Tu vero quid ad hæc Kieslingi? Ais incumbere Trombellio ut demonſtret Euſtathium Sanctos ſuo inſtituto magis idoneos, & propitios coluiſſe, & exponat, quos demum Sanctos coluerit, & colendos demandarit. At erras Kieslingi mi, & ita erras, ut logicæ leges te plane neſcire oſtendas. Is qui ait, aliquid fieri potuiſſe, minime cogitur, ut rem factam fuiſſe evincat, ſed tantum ab eo expoſcitur, ut veluti minime repugnantem defendat. Porro Trombellius dum oſtendit minime conſtare, num Euſtathius Sanctos omnes colere recuſarit, haud obſcure oſtendit *potuiſſe* aliquos ab eo coli. Quinam vero? ii quorum vitam minus adverſam putavit erroribus iis, quos idem Euſtathius tuebatur. Et hac ſolutione, quam Logicæ leges præbent, ſolvuntur reliqua quæ tu obiicis. Gangrenſes Patres nec cogebantur, ut eos Sanctos indicarent, quos veneratione dignos colerent, nec cogebantur ut expreſſe definirent Sanctos eſſe colendos, cum ea de re orta non eſſet aperta lis: De iis autem de quibus lis orta non eſt, nihil definire ſolent Concilia. Argumentationes ſuper Concilii Tridentini Decretis a te conſtructas omittimus, cum nec ita inſipientes ſimus, ut ad eum diſputemus modum quo tu diſputas, nec ea ratione tua, qualiacumque ea ſint, argumenta diſſolvamus, qua tu diſſolvere fingis. Scilicet hoc modo diſſolvimus. Multo cla-

Digitized by Google

clarius atque expreſſius Sanctorum cultui ſe adverſantem præbuit Lutherus, quam ſe præbuerit Euſtathius, multoque plura in Luthero, & ſuis in hoc, de quo agimus, dogmate damnavit Tridentina Synodus, quàm damnaverit in Euſtathio Gangrenſis Synodus. Ea itaque quæ de Gangrenſi Synodo damnante Euſtathium dicimus, de Tridentina Synodo damnante Lutherum, illiuſque aſſeclas dicere non poſſumus; Neque enim, ſicut ſupereſt dubio locus, num Gangrenſis Synodus hunc, de quo agimus, errorem damnaverit in Euſtathio, ita locus ſupereſt dubio, num Lutherus Sanctorum cultum reprobarit, an non; vel Tridentina Synodus has ipſas Lutheri opiniones damnarit, an non, cum certum ſit & Sanctorum cultum, a Luthero fuiſſe reprobatum, & hanc ipſam Lutheri opinionem fuiſſe a Tridentino damnatam. Porro locutiones illæ tuæ, Kieslingi mi, quibus Trombellium diſtringis, *ex cerebello fingis: non igitur viris, ſed pueris, non viju gaudentibus, ſed luſcis hæc perſuaſeris*, Viro gravi indignæ ſunt, & prorſus pueriles: perinde quaſi luſcis veritas proponi non poſſit: oſtendunt quoque quantum de tua cauſa diffidas. Scilicet cum repellere Trombellium non poſſis, ad hæc confugis, quibus placere Lipſienſibus poſſis, & plauſum in auditorum tuorum corona excitare. Si tamen vis nos tibi plaudere, facile obſequimur, & dum dolemus quod tam futilem adverſarium tibi propoſueris, quem refelleres, hominem ſcilicet *ex cerebello fingentem*, tibi plaudimus & gratulamur, quod tam ſublimia, tam ingenioſa, & inextricabilia, & inenodabilia propoſueris, concludimuſque ipſis tuis elegantiſſimis verbis: *Sed ebo jam ſatis eſt de hoc Concilii Gangrenſis ſenſu*,

AD

AD EXERCITATIONEM VIII.

Cui præponitur titulus:

De Eunomianis, & Arianis.

CAPUT I.

GRatulor tibi, Kieslingi clariſſime, quod tam multa de Eunomio noveris. Papæ! Eruditus es ſane, & Tillemontium jam ſuperas. Sed ſine te in aurem moneam: Non erat hic locus tam multa de Eunomii hæreſi tradere, cum hæc valde diſtent ab eo, de quo nunc agimus, argumento. Sine etiam in aurem alteram hoc moneam: Nimium a Theologica dignitate aberrat locutio illa tua, qua rem, ſi vis, gravem turpiter inficis, & perridiculam reddis (*a*): *Naſum Rhinocerontis habuit* (Eunomius) *ſe tanta rerum divinarum notitia inſtructum eſſe debuccinavit.* [*b*] *Titi vero Vilitii iterum eſt argumentum &c.* Dic mihi Kieslingi: an hæc in Trombellii ſcriptis reperis, cujus tamen *ſeſquipedalia* verba redarguere te profiteris, quamvis nulla notes, cum Trombellius nulla habeat, quæ notare tu poſſis? Sed hæc Kieslingio parcamus, cujus ſi hujus generis elegantias omnes notare volumus, librum ipſum ab eo editum tranſcribamus oportet. Veniamus autem ad rem ipſam, noſtrique Cenſoris veſtigiis inhæreamus. Fatetur Eunomium Virum nequiſſimum, & inter Arianos ſummi nominis cultui Sanctis delati fuiſſe adverſatum: ſic ut gratuler quod Trombellii dicta ex parte approbet. Sed tamen cum ipſo conquerar oportet, quod ea Trombellio imputet, quæ nunquam tradidit. Nunquam enim expreſſe Iconomachis Eunomium, aut Eunomianos annumerat, licet alibi, (*c*) [minime vero in iis verbis, quæ tu allegas] id veriſimile putet. *Facile enim* [inquit] (*d*) *Sanctorum imagines odiſſe hi potuerunt, præſertim quam ad Sanctorum cultum ea deducant.* Sed ipſa & Kieslingii, & Trombellii verba recitemus, ut ex iis coniiciat Lector, quam vera ſit Kieslingius ſit. [*e*] *Venerabili Abbati* (inquit Kieslingius) *nonſuccenſeo, quod Eunomium, ejuſque Sectatores Iconomachis annumeravit, bis quidem verbis:* „ Venio ad Eunomium, quem Vigilantii anteceſ„ ſorem, auctoremque erroris hujus manifeſto tradit Hieronymus, „ neque obſcure id indicat Aſterius, quorum jam verba retulimus, „ De eo fere ſentiunt hiſtorici, aut omnium primum, Sanctorum„ cultum expreſſe improbaſſe, aut certe indicatum potius, quam pa-

(*a*) Pag. 89. (*b*) Pag. 90. (*c*) Diſſer. VIII cap. 2. n. 9. pag. 8.
[*d*] Ibidem. [*e*] Pag. 90.

Digitized by Google

„ Iam propositum ab aliis errorem manifesto & audacter edocuisse .„ Ubinam Kieslingi mi, Iconomachum facit hic Trombellius Eunomium? An scis quid denotet vox ista *Iconomachus*? Minime sane, dum vis *Iconomachum* idem esse, ac Sanctorum cultusque eis delati hostem, cum ea vox id non significet; & possit esse Iconomachus qui Sanctos revereri non recusat (*a*); & possit Sanctos odisse aliquis, iisque cultum denegare, qui eorum imagines retineat apud se.

2 Quæ de Athalarico affers, perinde quasi Trombellius ex ejus exemplo petierit argumentum ad Catholicorum ritus vindicandos, temere affers. Arianorum auctoritate, atque exemplis non eget Ecclesia Catholica, nec hujusmodi argumentis Trombellius qui sapit, utitur ad stabilienda quæ laudat, dogmata: sed hic tantum historici partes agens (enumerat enim in hac tota Dissertatione *hostes venerationis Sanctis adhibitæ*) exemplum Theodorici, aliorumque Arianorum affert, ut ostendat, Arianos reliquis erroribus suis hunc non addidisse, ut Sanctos colere recusarent. Inepta sunt itaque, & tua sapientia valde digna, quæ tu ais: *Titi vero Vilitii iterum est argumentum, quod ab Arianis petit Trombellius = Sic Alaricus, qui Sanctum Remigium coluit, & Arianus fuit, magnum Ecclesiæ Romanæ assert nitorem.*

3 Cur autem Baronio his verbis illudis Kieslingi mi? *Non veretur* Baronius *scribere illum tam diu regnasse, quam diu coluit S. Remigium, & alios Sanctos. Felix itaque est imperium benevolentiæ, & præsidio Sanctorum munitum. Si Imperatores Sanctos habent propitios, prospera quævis sibi polliceri possunt.* Cur, inquam, Baronio illudis? An si docuisset a Sanctis vita functis juvari viventes, & temporalia beneficia eorum precibus consequi, rem dixisset minime probabilem, cum apertissime id fieri posse Trombellius ostenderit in illis ipsis Dissertationibus, quas hic tu exagitas? An Catholici docent etiam, obtineri posse quæcunque poscimus, ideoque etiam terrena bona, quæcumque cupimus, dummodo a Sanctis ea poscamus, & reliqua omnia, ac proinde divina ipsa mandata, negligamus? Sed vide Kieslingi, quam miser es accusator. Baronius in eo ipso, quem tu allegas, loco omnino non loquitur de Sanctorum vita functorum precibus, neque de cultu Sanctis ad Cælos evectis adhibito, sed de viventium Sanctorum Orthodoxorum Episcoporum precibus, deque observantia quam dum iis antea præbuit Alaricus, perstitit felix ipse, atque illius imperium: dum vero adhibere desiit, periit ipse, illiusque imperium. Ne hæc ex arbitratu confinxisse videar, en tibi ipsa Baronii verba: (*b*) *Qui sequitur Christi annus quingentesimus septimus Consulatu Anastasii Augusti Tertium, & Venantii Decii adnotatur: Quo Alaricus Rex Gothorum Arianus, cum regnasset in Gallia Aquitania a Rhodano ad Ligerim*

[*a*] Vide quæ tradit Trombellius Diss. 2 cap. VI. n. 3.
[*b*] Ad annum 507. §. 2. & 3.

rim usque & Pirenæos a Clodoveo Rege Francorum victus occiditur. Hæc autem quomodo se habuerint, & quæ præcesserint, accurata sunt pervestigatione narranda. Accedit plane, ut sicut cum in humano corpore ossa franguntur, prosternitur homo: ita cum e Regno Sanctissimi viri tolluntur, qui totam molem precibus fulciebant, ipsum magno fragore corruat. Quod igitur Sanctorum subnixum precibus diu steterat inconcussum Alarici Regnum, pro cujus felicitate Sacri antistites ad Deum juges fundebant orationes: simul ac ab eo Sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus est passus exilium, & Sanctus Quintianus factus extorris, omnino collabitur.

Quomodo autem hæc acciderint, antequam describamus, de priori cultu Alarici Regis quo prosequebatur Sanctos Orthodoxos Episcopos, qualis fuerit, aliquo est exemplo primum significandum. Alaricus enim quantumlibet Arianus esset, tamen Sanctos Antistites Catholicæ communionis coluit, & frequentavit officiis, eos præsertim quos editione miraculorum Deo gratissimos sentiebat, ut inter alios S. Remigium Rhemensem Episcopum. Ad hunc enim cujusdam Benedicti sui Regni nobilis viri filiam arreptitiam curandam misit, quam Sanctus divina virtute non solum a Dæmone liberavit, sed etiam defunctam revocavit ad vitam, cujus rei causa ejus parens Benedictus villam quamdam Rhemensi Ecclesiæ dono dedit. Et deinceps (a) „ *At quonam modo acciderit, ut qui exteros, longeque positos Sanctos Episcopos coluit Alaricus Rex Gothorum, eos vero quos domi haberet magni nominis æque Sanctos, ut Cæsarium Arelatensem, & Quintianum Rutenorum Episcopos fuerit insecutus, jam dicendum &c.* Et tamen cum hæc scribas, Catholicos, atque in primis Trombellium socordiæ accusas, & negligentiæ?

(a) n. 6.

AD EXERCITATIONEM IX.

Quæ eſt *de Concilio Eliberitano Cultui imaginum oppoſito*

ET AD EXERC. X.

Quæ inſcribitur *de Joviano, & Vigilantio.*

CAP. I.

1 TEmere vereris Kieslingi clariſſime, ne Trombellius Eliberitani Concilii celebratiſſimum Canonem omitteret, ideoque loco omnino non ſuo de eo agere inſtituis. Tui ſimilis, Kieslingi, non eſt Trombellius; Neque enim difficultates diſſimulat, ſed apto loco eas collocat, diſſolvitque. Scito itaque (ſi tamen neſcis, quod omnes novere, diu editum, antequam præclariſſimas tuas, & cedro dignas Exercitationes emitteres) ſcito, inquam, Kieslingi, totum caput ſeptuageſimum Diſſertationis IX inſumptum fuiſſe a Trombellio in referendo, expendendoque, atque illuſtrando Canone tricesimo ſexto Concilii Eliberitani, quem tu hic obiicis. Illuc itaque te allego Kieslingi mi, qui ſi ad ea advertiſſes quæ Trombellius de Iconomachis capite VI hujuſce ipſius Diſſertationis II tradiderat: [a] poſſe ſcilicet aliquem odiſſe imagines Sacras, & tamen Sanctos colere; Concilii Eliberitani mentionem hic non feciſſes, ſed alium in locum objectionem hanc tuam, qualiſcunque ea ſit, tranſtuliſſes.

2 Venio ad Exercitationem tuam X, quam ad hunc modum exordiris: *Joviani, cujus pediſſequum appellitat Vigilantium Ven. Trombellius, cauſæ patrocinium in me non ſuſcipio, quum inſtitutum ſit alienum ſingula membra percurrere. Stabulum enim Augiæ purgandum foret, ſi minutias omnes detegere vellem, unde potiora tantum argumenta expedienda eſſe duxi. Ipſe lenius de Joviano ſentit aſſeritque:* „ *At quod ad cultum* „ *Sanctorum attinet, ab hoc errore alienum fuiſſe arbitror Jovianum.*

3 Quam lepidus es, Kieslingi! Tu Trombellium exagitandum tibi proponis, illumque non legis? Dic mihi Kieslingi: Ubinam vocat ille Jovianum hæreticum illum, cujus tu primum meminiſti: immo contra perpetuo ille *Jovinianum* appellat, ita ſcilicet eum appellantibus veteribus omnibus. Tu tamen quater eum Jovianum appellas, & quod magis lepidum eſt, ita Trombellii verba deſcribis, ut Jovia-

[a] N. 3. pag. 56.

vianum ab eo ſcriptum velis: *At quod ad cultum Sanctorum attinet, ab hoc errore alienum fuiſſe arbitror Jovianum.*

4 At hæc veluti levia, & in Kieslingio toleranda omittamus. An Trombellium legeras, cum ſcribebas: *Joviani, cujus pediſſequum appellitat?* Dic mihi obſecro ubinam hæc ille ſcribit? Immo contra, Trombellius monet fuiſſe quidem Vigilantium ab aliis, quos ipſe non ſequitur, latiori quodam ſenſu *comitem Joviniani* appellatum; at ſtatim monet, ut ut in aliquo alio errore Vigilantius Joviniano conſenſerit, certe in eo non conſenſiſſe Joviniano, quod eum auctorem habuerit reprobandi cultus Sanctis adhibiti; nam minime oſtenditur Jovinianum Sanctos colere recuſaſſe. En ea ipſa Trombellii verba, quæ ſi legiſſes, ſane non ſcripſiſſes ea quæ ſcripſiſti. *Porro ex bacſenus dictis habetis, quid de opinione Verrati dicendum ſit, qui ſcilicet Jovinianum in hoc errore Eunomii anteceſſorem judicat. Eunomius, niſi fallimur, Jovinianum ætate præceſſit; & ſi forte non præceſſit, & eodem tempore uterque vixit, non hunc continuo Eunomio adjunxerim. Nimirum prorſus non video in hoc errore verſatum fuiſſe Jovinianum. Conſentit quidem Joviniano in multis opinionibus Vigilantius, quam ob cauſam Mentem Joviniani in eo renatam per jocum dixit Hieronymus, Joviniani comitem, & pediſſequum Vigilantium alii appellavere. At quod ad Sanctorum cultum attinet, ab hoc errore alienum fuiſſe arbitror Jovinianum. Nempe Joviniani errores hi erant. Virginitatem in merito parem eſſe Matrimonio. Eos qui baptizati vere ſunt, a Diabolo ſubverti non poſſe. Minime diſtare veſcentem cibis a jejunante, ſi cum gratiarum actione comedat. Æquale futurum eſſe Beatorum præmium. Quin ſi credimus Auguſtino accurato ſcriptori, omnia peccata eſſe paria. Mariam, cum peperit, deſiiſſe eſſe Virginem. Quod ad Virginitatem contemptam attinet, aut omnino aut fere conſenſit Joviniano Vigilantius. Id nempe conſtat ex num. 2 libelli contra Vigilantium ſcripti, ex quo etiam conſtat Epiſcopos aliquos in ſuam traxiſſe ſententiam, eos nimirum, qui non ordinabant Diaconos, niſi prius uxores duxiſſent: nulli cælibi credentes pudicitiam &c. Quod ſi de deſpectis jejuniis ſermonem inſtituas, Joviniano comitem adiungere poſſumus Vigilantium, quem merito cum Joviniano contulit Hieronymus, quum in ipſo libelli contra Jovinianum initio hæc protulit. „ Ille (Jovinianus) „ Romanæ Eccleſiæ auctoritate damnatus, inter phaſides aves, & carnes „ ſuillas non tam emiſit ſpiritum, quam eructavit. Iſte caupo Calaguri„ tanus, & in perverſum propter nomen vicibi mutus Quintilianus, mi„ ſcet aquam vino: & de artificio priſtino ſuæ venena perfidiæ Ca„ tholicæ Fidei ſociare conatur, impugnare Virginitatem, odiſſe pudici„ tiam, in convivio ſecularium contra Sanctorum jejunia proclamare. „ In reliquis, ut nuper dixi, conveniſſe non video Vigilantium cum Jovi*niano.

5 Ubinam itaque in his verbis Kieslingi mi invenis appellari a Trombellio *Joviniani pediſſequum* Vigilantium? Sed age Kieslingi. Cur dum ſtertens & dormiens ſcribis, de Viro Clariſſimo hæc impuden-

tiſſi-

tiſſime adjungis (*a*): *Stabulum enim Augiæ purgandum foret, ſi minutias omnes detegere vellem; unde potiora tantum argumenta expedienda eſſe duxi.* Scis ne Kieslingi quid ſcribas, dum hæc ſcribis? Minime, ut puto, neque enim *minutias* commemoraſſes in ſtabulo Augiæ. Sed tam indecoras obſceneſque allegorias omittamus. Quid habes quod reprehendere tu poſſes in Trombellio, tu inquam, qui ea, quæ nunquam dixit, illi tribuis, ut reprehendas? Rem gratam Trombellio feciſſes, ſi errores illius indicaſſes, ipſe enim, ut pote homo minime tumidus, veritatis quoque amans, ea agnoſceret in quibus peccaſſet, eaque emendaret. Sed dum nulla illius errata indicas, & tamen tam intemperantia, tam inhoneſta etiam profers, me cogis ut dicam, hæc ideo a te fuiſſe effutita, ut tuos deciperes, Lectorique incauto fucum faceres. Fucum ſane Lectori facere ſtudes, dum hæc ais [*b*] *Non video, cur de Vigilantio tam ambigue ſentiat Venet. Abbas, cum planum ſit Vigilantium invocationi & interceſſioni Sanctorum contradixiſſe.* O Kieslingi mi, videris ſane hæc protuliſſe, dum aliud quidpiam agebas.

6 Quid eſt obſecro, quod te moveat, ut audaciſſime moneas, *ambigue locutum fuiſſe Trombellium, & neſciſſe Vigilantium invocationi & interceſſioni Sanctorum contradixiſſe?* Age Kieslingi recolamus ea quæ pag. 49 de Euſtathio & Vigilantio Trombellius monet, conveniſſe ſcilicet tam Euſtathium, quam Vigilantium in eo, *quod a veteribus & Eccleſiaſticis traditionibus utrique receſſerit, ſuaque ſenſa Patrum monitis antepoſuerit.* Ex his ſane facile infertur, erroris non levis reum eſſe Vigilantium: In quo autem erraverit, ex eo ipſo, qui allegatur, Jonæ Aurelianenſi adverſus Claudium Taurinenſem ſcribente [*c*] manifeſto eruitur: licet enim Trombellius, quod ad Euſtathium attinet, Jonæ Aurelianenſi non omnino conſentiat; quod ad Vigilantium tamen ſpectat, illius monita omnino excipit. Sed ſi vis, hæc omittamus Kieslingi, aliaque Trombellii loca producamus, ex quibus palam agnoſcas, quam vera ex es, dum *ambigue de Vigilantio* jen-

(*a*) Pag. 95. [*b*] Pag. 96. [*c*] Pag. 37 allegatus eſt Jonas Aurelianenſis, Alphonſus de Caſtro, & Bellarminus; pagina vero 49 amandatus eſt Lector ad eundem Jonam Aurelianenſem, cujus verba aliqua hic recolere valde conveniens reor. „ *Quapropter veriſimile vi-* „ *detur hujus novitii Sanctæ Eccleſiæ hoſtis animam ex duorum anima-* „ *bus priſcorum compaſtam, atque uno corpori indeptam, Vigilantii* „ *videlicet, & Euſtatii, qui* [*ut verbis Sedulii utamur*] ambo erro- „ re pares, quamquam diverſa ſecuti. *Licet enim in piurimis ab al-* „ *terutro deſciverint, in contemnendis tamen Sanctorum Martyrum Re-* „ *liquiis, eorumque Sepulcris debonorandis, & nonnullis Eccleſiaſticis* „ *traditionibus reprehendendis unum perverſiſſime ſenſerunt. Quorum* „ *alterius error a B. Hieronymo Sanctæ Dei Eccleſiæ eximio Doctore, ve-* „ *ritatiſque fideliſſimo aſſertore, & veſani erroris experientiſſimo exe-* „ *cratore ſtrenue ſuperatur.*

fenſiſſe Trombellium pronuncias. Nonne hæc ſcripſit Trombellius? [a] *Conſentit quidem Joviniano in multis opinionibus Vigilantius, quam ob cauſam* mentem Joviniani in eo renatam *per jocum dixit Hieronymus, Joviniani comitem & pediſequum Vigilantium alii appellavere. At quod ad Sanctorum cultum attinet, ab hoc errore alienum fuiſſe arbitror Jovinianum.* Docet ergo Trombellius, quoniam de hoſtibus cultus Sanctis adhibiti in hoc etiam capite agit: docet, inquam, Vigilantium Sanctorum cultui fuiſſe adverſatum, nam ab eo, de quo diſputat, errore tantummodo eximit Jovinianum.

7 Num hæc pauca putas, aut levia? Lege quę Cap. VI. hujus ipſius Diſſertationis (*b*): lege pariter quæ in ipſa hac, quam tu ad impugnandum ſuſcepiſti, prioris Tomi parte cap 16 Diſſertationis III. pag. 117 expreſſiſſime his verbis tradit. *Præcat hos Patres Hieronymus, ætate, & meritis ab Ambroſio non admodum forteſſe remotus. Hic procul dubio Sanctorum interceſſioni favit maxime, dum in Vigilantium, Sanctorum interceſſionis hoſtem, acriter inſurrexit, eumque peculiari libello refutavit.* Affinia mox tradit, numero ſcilicet tertio ejuſdem capitis (*c*), ad quem quidem locum, ne æquo ſim longior, Lectorem, teque ipſum amando.

8 An non etiam in Indice ad verbum (*Vigilantius*) Trombellius hæc ſcripſit? *Procul dubio delatum Sanctis cultum infectatus eſt.* Et his poſitis, adhuc Trombellium accuſas, perinde quaſi *ambigue de Vigilantio ſentiat*, illumque ad Bellarminum, atque ad Petavium rejicis, multaque Hieronymi verba adducis, quibus oſtendas Vigilantio non modo diſplicuiſſe cultum Sanctorum reliquiis adhibitum, verum etiam eorundem Sanctorum interceſſionem (*d*). Lege quæ ſcripſit Trombellius, ſed non [quod facis] ſtertens, ac dormiens, ſed vigilans lege. Tum vero ſi quid eſt, quod ſciviſſe debuiſſet Trombellius, nec tamen ſcivit, aperte profer, nec erubeſcet ille, te ipſo doctore, pro-

(*a*) Pag. 54. (*b*) num. 2. pag. 56. quem quidem locum deinceps adducam. (*c*) Pag. 118. (*d*) „ *Audi porro, Ven. Trombelli, Hieronymum, qui ad objectionem Vigilantii ſic regerit*: Ergo cineres „ ſuos amant animæ Martyrum, & circumvolant eos, ſemperque „ præſentes ſunt: ne forte ſi aliquis precator advenerit, abſentes „ audire non poſſint? O portentum in terras ultimas deportandum! „ Rides de Reliquiis Martyrum, & cum auctore hujus hæreſeos Eu„ nomio, Eccleſiis Chriſti calumniam ſtruis. *Negaverat præſentiam „ Sanctorum Vigilantius, quam & nos negamus, quia Deus ſolus eſt „ præſens, ut deinceps demonſtrabimus. Hieronymus hac ediſſerit*: Di„ cis in libello, *inquit*, quod dum vivimus, mutuo pro nobis ora„ re poſſunt, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio „ exaudienda oratio; præſertim cum Martyres ultionem ſui ſanguiſ„ nis obſecrantes, impetrare non quiverint. Si Apoſtoli, & Mar„ tyres adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro ceteris, quan„ do pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti: quanto magis poſt coronas, „ victorias, & triumphos? *Umbram itaque venatur, ſi quis dixerit „ ſolum Reliquiarum cultum, non autem interceſſionem a Vigilantio „ fuiſſe impugnatam.* Kieslin. pag. 98.

Digitized by Google

proficere : ſed dum ea profers quæ in tuis ſcriptis legimus ; palam oſtendis, te aut non legiſſe quæ ad refellendum aſſumis, aut non intellexiſſe quæ perſpicua ſunt, ipſiſque pueris pervia : Scilicet hanc Trombellii eſſe ſententiam : *Vigilantium Sanctorum cultui obſtitiſſe quidem, ſed non omnium primum obſtitiſſe* : præceſſit enim illum ætate Eunomius interceſſionis & cultus Sanctis adhibiti hoſtis acerrimus. An hæc fingo, aut potius hæc non ſcripſit Trombellius in eo ipſo, de quo nunc agimus loco ; capite quinto ſcilicet Diſſertationis II. *Jam vero, ut puto, plane noſcitis Vigilantium auctorem dici non poſſe hujuſce hæreſeos? Quippe eum aut præceſſit Euſtathius a Synodo Gangrenſi damnatus, aut ſi Euſtatium Sanctorum cultui minime adverſatum fuiſſe arbitreris, certe præceſſit Vigilantium Eunomius, cujus prava ſenſa circa Sanctorum interceſſionem, & cultum iis adhibitum tum alia multa elevandunt, tum deficientia miraculorum, quæ per Sanctorum reliquias peragebantur. Vide quæ nuper diximus. Ego ſane compertum reor Eunomium prave ſenſiſſe de Sanctorum patrocinio, curaque noſtri, & cultu iis adhibito: ideoque cum ætate Vigilantium præceſſerit, Vigilantio adimo hujus erroris inventionem. Neque vero ex eo quod, dum Eunomii errores recenſent, hunc reticeant Philaſtrius, & Auguſtinus, inferre poſſumus eidem errori Eunomium non adhæſiſſe : quippe alios aliorum hæreticorum errores ſæpe non enumerant Philaſtrius, & Auguſtinus, at eos ex aliis Scriptoribus intelligimus, ex quibus etiam diſcimus, ſi ex Philaſtrio & Auguſtino non diſceremus, Sanctorum interceſſioni, miraculis, & cultui obſtitiſſe Eunomium.*

9 Reliqua in Exercitatione hac tua tradita omitto : neque enim heſtes cultus Sanctis delati enumerant. Evagari tibi libet in expendendis Hieronymi adverſus Vigilantium ſcribentis probationibus, atque argumentis ; præſertim quum innuat Bellarminus, quem tu adducis, quomodo ea ſit accipienda Hieronymi argumentatio, quam tu exagitas : nec unico Hieronymi teſtimonio innitatur Trombellius.

10 Quod ſi indicari vis ſolutionem non contemnendam, ecce illam paucis. Sic adverſus Vigilantium diſputat Hieronymus (*a*) : *Senatorie videlicet dignitatis ſunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, ſed in libera honeſtaque cuſtodia in fortunatorum inſulis, & in campis Elyſiis recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula inicies, ut uſque ad diem judicii teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo, de quibus ſcriptum eſt : Sequuntur agnum quocunque vadit.* Atque ad hæc quidem Hieronymi verba tu hæc ſubiicis. (*b*) *Non negaverat, ut Bellarminus, & obtuſoris ingenii Romanenſes putant, beatitatem Sanctorum Vigilantius, ſed ipſis præſentiam in his terris denegaverat. Hieronymus vero de cuſtodia interpretatus eſt verba Vigilantii, quod ſua perſona plane ſuit indignum. Regerit, Agnum eſſe ubique præſentem, ergo & Sanctos, qui ſequuntur agnum, eſſe præſentes. Quo ipſo nihil magis abſonum eſt. Sequela, quam Sancti præſiant Agno, non involvit præſentiam omnimodam, ſed*

[*a*] Kiesl. Exerc. 10. pag. 97. (*b*) Ibid. pag. 97.

ſed obſequium, & imitationem, quod ex Auguſtino facile regerimus Hieronymo: „ Quid eſt enim, *inquit*, ſequi, niſi imitari? Quia Chriſtus „ pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, ſicut ait Apoſtolus Petrus, ut ſequamur veſtigia ejus. Hunc in eo quiſque ſequitur, in quo imitatur, non in quantum ille filius Dei eſt unus, „ per quem facta ſunt omnia: ſed in quantum ille filius hominis, „ quæ oportebat, in ſe præbuit imitanda: & multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur. „ *Ex hoc igitur dicto male, imo peſſime concludit Hieronymus, Sanctos eſſe ubique, quia Jeſus ubique præſens eſt. Quam vitioſe concludendi rationem ne Bellarminus quidem admittit, qui ita ediſſerit*. „ Alii dicunt Sanctorum animas, ſicut etiam Angelos, „ mira quadam celeritate naturæ quodammodo eſſe ubique, & per ſe „ audire preces ſupplicantium, quam rationem videtur habere B. „ Hieronymus in lib. contra Vigilantium; ſed neutra eſt ſufficiens &c.

11 Audi, Kieslingi mi, qua ratione Hieronymi argumentatio conſiſtat. Poſtula, quod negari non poterit niſi ab inſcio, & imperito, putaſſe Vigilantium non in Paradiſo degere Sanctos mortali vita functos, ſed in locis quibuſdam amœnioribus procul diſſitis a Paradiſo: Hanc ſtultiſſimam opinionem redarguit Hieronymus, aitque cum Chriſto Domino in Cælis regnante eſſe illos, quippe qui *ſequantur Agnum quocunque ierit, & ubi ille eſt, miniſter quoque illius eſt*. Si ergo Chriſtus in Cælo eſt, in Cælo etiam erunt Sancti miniſtri ejus. Porro ſi in Cælo ſunt, & Chriſto affidebunt. Non ergo immenſitatem Sanctis beatitudine potitis tribuit Hieronymus, quod tu ais, neque ea præſentia Sanctorum & conſectatio Agni, quam Hieronymus deſcribit, mera imitatio eſt; quam tamen in eo quem urges, loco, Auguſtinus, viventibus tantum Sanctis inculcat, de mortuis nihil habens. Ceterum qua ratione viventium preces illis notæ ſint, copioſe executus eſt Trombellius cap. 30, & ſequentibus Diſſertationis III. Id quoque recolam ego, quum locus ille Trombellii ab objectionibus tuis vindicabitur.

AD EXERCITATIONEM XI.

Quæ eſt

De Philippico Bardane.

CAP. I.

1 QUamvis ſæpe, & vehementiſſime Trombellium exagitare ſtudeas Kieslingi, eo tamen aliquando devenimus, ut nihil invenias, quod reprehendas. Silentio itaque tuo diſcimus a te approbari quæ de aliquibus Novatianis, de Pauliciniani, de iniquioribus Iconoclaſtis Sanctorum cultui adverſis Trombellius docuit. Sed dic obſecro Kieslingi, cur Exercitationem hanc tuam ad hunc modum inſcribis: *De Philippico Bardane?* Bardanis ſcribere debebas: Erat quippe Bardanis filius. Cur etiam Exercitationem ipſam ſic exordiris: *Pertractat in hoc capite Ven. Abbas ſtrictis plane calamis imperatores, qui Sanctorum haud extiterunt fautores, protectoreſque.* „ *Ut a mitioribus, inquit, exordiar, Synodus qua impe-* „ *rantibus Conſtantino, & Leone Conſtantinopoli ab Iconoclaſtis Epiſcopis ce-* „ *lebrata eſt, quæque ſe generalem perperam appellavit, quod ad interceſ-* „ *ſionem Sanctorum, & cultum iis delatum attinet, cum Catholicis conſen-* „ *tire videtur.*

2 Profecto nos miſeri Itali ignoramus, cur tu tam ſæpe locutione hac utaris: *Strictis calamis.* Quidquid tamen intelligas, tibi merito ſuccenſet Trombellius, quod illius verba turpiter amputaveris, deformaveriſque ſic exorſus: *Ut a mitiori exordiar.* Sed quid appellat vox illa *mitiori*, ſi nulla præceſſit vox, ex qua id noverimus? An comparativum habes quod ad nullum referas, ſed abſolute & per ſe conſiſtat? Et hæc cum agas, audes tamen hæc ſcribere [a]? *Verba Venerabilis Abbatis, ut ipſa fluunt, appoſui; neque ullam litteram mutavi, ne falcem in alienam mitterem meſſem.* An accuratus es, cum detruncata reſcribis verba, quæque ſenſu carent, cum præcedentibus careant, ex quibus ſenſus dignoſci poſſit?

3 Trombellius hoſtes cultus Sanctis adhibiti, ideoque etiam interceſſionis Sanctorum recenſens hæc ſcripſerat: [b] *Eundem etiam cultum oppugnaverunt non pauci ex iis, quos derivato a Græca lingua nomine* Iconoclaſtas *appellamus, ideſt Imaginum fractores, ſeu hoſtes, & oppugnatores. Dixi* non pauci; *tam etſi enim multi ex iis Sanctorum interceſſionem, & patrocinium agnoverint, neque manifeſto delatam eis veneration*em *oppugnaverint, ſed tantum Imagines, alii tamen ex eorum cœtu omnino cum Vigilantio ſenſiſſe viſi ſunt, quin immo Vigilantii erroribus ad-*

(a) Præf. pag. 39. (b) Pag. 36.

adjunxiſſe odium Imaginum, non Sanctorum tantum, verum Mariæ, & Chriſti ipſius. Hinc duæ veluti ſectæ Iconoclaſtarum effectæ ſunt, e quibus mitior Imagines tantum oderat: ceterum interceſſionem Sanctorum, & delatum eis cultum approbabat: deteriori alteri & Imagines, & interceſſio, & deprecatio, & cultus Sanctis adhibitus diſplicuerunt. Ut a mitiori exordiar, Synodus, quæ imperantibus Conſtantino, & Leone Conſtantinopoli ab Iconoclaſtis Epiſcopis celebrata eſt, quæque ſe generalem perperam appellavit, quod ad interceſſionem Sanctorum, & cultum iis delatum attinet, cum Catholicis conſentire videtur, & vera eloqui. Sane tomo ſexto ſub finem definitionum hæc proponit. „ *Si quis non confitetur Sanctam ſemper* „ *Virginem Mariam proprie, & vere Dei genitricem, ſublimiorem eſſe* „ *omni viſibili & inviſibili creatura, & cum ſincera fide ipſius non ex-* „ *petit interceſſiones, tamquam fiduciam habentis ad Deum noſtrum, qui* „ *ex illa genitus eſt, anathema.* „ *Si quis non confitetur omnes Sanctos &c. Affinia tradit ea Epiſtola, quæ Michaelis, & Theophili Imperatorum nomine ad Ludovicum Imperatorem data eſt.* Quid vero Kieſlingius, candidus ille ſinceruſque, diligentiſſimus quoque, & accuratiſſimus Kieslingius? *Pertractat hoc capite (a) Ven. Abbas &c.* reliqua adiiciens, quæ cum numero primo deſcripſerim, hic recolere non eſt neceſſe. An recte, an cuncta Trombellii verba Kieslingius recitat?

4 Sed reliqua proſequamur: ſtatim hæc ſubiicit ille: *Levia ſunt, quæ ex hoc Concilio ſeu Synodo VI. generali pro cultu Sanctorum acquiriri argumenta, quum Conſtantinus Pogonatus in primis Monotheliſmi errores hoc Concilio extirparit. Sciat, graviſſimos Imperatores hanc Synodum impugnaſſe, eam irritam feciſſe, & ſimul Sanctorum cultui contradixiſſe. Placet paulo accuratius Imperatores contemplari, qui huic Synodo minus propitii fuerunt. Philippicus, ſeu Filepicus Bardanes primus fuit, qui Synodum ſextam eſt aggreſſus, non quidem, quod plerique rerum geſtarum Scriptores confirmant, ut cultum Mariæ, & Sanctorum debellaret, ſed, ut Monotheletas in hoc Concilio damnatos, ſuaſu Joannis Conſtantinopolitani Monotheliſmi defenſoris reſtitueret. Inde mihi non tam ob odium in Sanctorum Imagines, ſed ob ſeriem Imperatorum, qui Synodum ſextam ſunt adorti, excitandus videtur.*

5 Et cum hæc ſcribas Kieslingi, vis temperemus a riſu? An non vides te his verbis prodere te omnium hominum infantiſſimum? Kieſlingi mi monita tua ſingillatim & amice expendamus. Dum hæc ſcripſiſti: *Levia ſunt quæ ex hoc Concilio, ſeu Synodo Sexta generali pro cultu Sanctorum acquirit argumenta, quum Conſtantinus Pogonatus in primis Monotheliſmi errores hoc Concilio extirparit*, aperte oſtendis te dormientem hæc ſcripſiſſe. De Synodo illa loquutus eſt Trombellius, quæ Conſtantino & Leone imperantibus peracta eſt ab Epiſcopis Iconoclaſtis, & tu memoras Concilium Sextum Generale: & tamen quaſi una eademque Synodus eſſent, uni applicas quod altera egit. Oh præ-

[a] Cap. 6. pag. 55.

Digitized by Google

clarum hiſtoricum! O egregium cenſorem noſtrum! Sed reliqua proſequamur. Tu nobis narras *ex Synodo VI. Generali pro cultu Sanctorum non acquiri argumenta, quum Conſtantinus Pogonatus in primis Monotheliſmi errores hoc Concilio extirparit.* Quo ſpectant hæc Kieſlingi mi? An Trombellius ex Sexta Synodo Generali argumenta deſumpſit ad Sanctorum interceſſionem, cultumque ſtabiliendum? Minime vero. Cur ergo hæc ais: quaſi Trombellius Sextam Synodum Generalem allegaſſet ad Sanctorum cultum firmandum? Sed hæc tua inſcitia eſt, & pudendà negligentia Kieslingi, ut Synodum ab Iconoclaſtis Conſtantino Copronymo, & Leone imperantibus coactam, cujus nuper Trombellius meminit, cum Sexta Generali, Conſtantino Pogonato regnante, a Catholicis Epiſcopis coacta confundas, nec probe etiam ſejungas a Nicæna II, ex qua re vera ad ſtabiliendum imaginum cultum argumenta deſumunt Catholici.

6 Sed quam præclara ſunt ſubſequentia! *Sciat, graviſſimos Imperatores hanc Synodum impugnaſſe, eam irritam feciſſe, & ſimul Sanctorum cultui contradixiſſe. Placet paulo accuratius Imperatores contemplari, qui huic Synodo minus propitii fuerunt. Philippicus, ſeu Filepicus Bardanes primus fuit, qui Synodum ſextam eſt aggreſſus, non quidem, quod plerique rerum geſtarum ſcriptores confirmant, ut cultum Mariæ & Sanctorum debellaret, ſed ut Monotheletas in hoc Concilio damnatos, ſuaſu Ioannis Conſtantinopolitani, Monotheliſmi defenſoris reſtitueret. Inde mihi non tam ob odium in Sanctorum Imagines, ſed ob ſenem Imperatorum, qui Synodum ſextam ſunt adorti, excitandus videtur.* Quo vagaris Kieslingi? An de Monothelitis hic agimus, ut eos indices Imperatores, quorum opera damnata eſt ea hæreſis, eos quoque recenſeas qui eam ſtabilire ſtuduerunt? Sed quo te rapit contradicendi ardor, ut *graviſſimos Imperatores* eos appelles, qui ſexto generali Concilio obſtiterunt, ut Monotheliſmum in Eccleſiam rurſus inducerent? Cur etiam poſtquam promiſeris accuratius Imperatores contemplari, qui ſextæ Synodo minus propitii fuere, Philippici tantummodo mentionem facis, niſi quia rurſus turpiſſime errans, ſextam Synodum cum ſeptima, ideſt Nicæna II. confundis, quo errore detentus plures recenſes Imperatores qui eidem Nicænæ II obſtiterunt. Quo quidem errore quid fingi poteſt inhoneſtius ac turpius: in eo præſertim qui cenſorem ſe conſtituis Catholicorum, eoſque inſcitiæ ac ſtoliditatis accuſat?

7 Sed age Kieslingi mi, cur ſermonem de Philippico inſtituis, & tam multa de eo narras? Profecto Trombellius Philippici omnino non meminit. Cur autem eloqui de eo debuerat, qui Leonem Iſauricum Iconoclaſtarum anteceſſorem, primum ex Imperatoribus Sanctorum cultui adverſum, (*a*) ætate, & imperio præceſſit? Cur igitur hæc

(*a*) Poſt Philippicum [quem *Filepicum* quandoque appellatum, nemo præter Kieslingium docet], regnavit Anaſtaſius II, tum Theodoſius hujus nominis III. Demum Leo Iſauricus Iconomachorum auctor.

Digitized by Google

hæc ſcribis [a]: *De eo nunc potiſſimum quæritur, num Sanctorum Imaginibus violentas injecerit manus, quod maximo cum veritatis argumento nego*, cum nemo unus id quærat? Cur etiam tam longum ſermonem de eo habes? An ut Monothelitarum hiſtoriam texeres? Sed quam convenienti loco, tu videris. At cur non Neſtorianorum hiſtoriam pariter texis? tam enim apte de Neſtorianis diſſeres, quam apte de Monothelitis diſſeris.

8 Cur etiam Monothelitarum hæreſim uni Philippico obiicis, cum Heraclio imperante illa cœperit, illique maxime faverit Conſtans II, qui notiſſimum *typum* ea de re edidit? Cur etiam Monothelitas cum Iconomachis miſces, eorumque Imperatorum, qui Monothelitiſmo faverunt, ſeriem, ſuſcipis deſcribendam, cum procul dubio hæreſes hæ diſtarent maxime, & Heraclio (quod jam dixi) imperante Monothelitarum hæreſis cœperit, Iconoclaſtarum vero diu poſt Heraclium, a Leone Iſaurico exordium ceperit?

9 Sed quam lepidus es Kieslingi, dum quaſi mutata ſententia Philippicum Imperatorem, de quo agimus, Imaginum cultui dedititiſſimum oſtendere niteris. Imagines, ut puto, ille veneratus eſt, cum ea ætate ſolerent omnes ſacras imagines venerari. Sed certe falleris, & multum quidem falleris, cum hæc de eo enarras: (b) *Solemne ipſi fuit, ut priuſquam manus cum Cardarigano thraſonico plane belli duce conſereret, totum, cui præerat, exercitum, imagine Chriſti luſtraret, & Deum ſibi propitium redderet.* „ Ubi hoſtes [*inquit Theophylactus*] apparent propinquare pulverea nubes indicio fuit, Philippicus Dei, hominiſque [Jeſu Chriſti] effigiem circumfert. Jam olim fama emanavit, & uſque hodie durat, eam effigiem non texentis manu compa„ ratam, aut pictoris arte, coloribuſque variatam, ſed divinitus „ efformatam eſſe. Quocirca etiam apud Romanos, ut ἀχειροποίητος, „ id eſt, non hominis manu confecta celebratur, & ſacris diviniſque „ honoribus colitur. Habent enim archetypum Romani, & ut Sacroſanctum quiddam venerantur. „ *Eadem, ſed ſucceſſu, eventuque minus proſpero idem nobis tradit hiſtoriarum Scriptor, Theophylactus de hac imagine quam Priſcus belli dux circumferendam demandavit, ut tumultum ſedaret: Sed milites, depoſita omni in rem ſacram reverentia, illam lapidibus petere haud erubuerunt.*

10 Omittamus interea ea quæ de hoc Priſco notat Kieslingius, quæ non omiſit Trombellius, quum aptus de ea Imagine occurrit ſermo (c). Illud citra controverſiam eſt, non ad Imperatorem Philippicum referri ea poſſe, quæ illi tribuit cenſor noſter, ſed ad Philippicum Mauritii Imperatoris ſororium, quique centum & amplius annis præceſſit Impe-

[a] Pag. 102. (b) Pag. 202. (c) Vide quæ tradidit Trombellius cap. 30 Diſſertationis IX. n. 2. pag. 124. partis ſecundæ Tomi Secundi. *Hinc merito in ſumma apud omnes exiſtimatione ea* (Edeſſena Chriſti Domini imago) *habita eſt, adeo ut Philippicus Mauritii Imperatoris Sororius Gre-*

peratorem Philippicum. An non vera narro? Transcribamus obsecro eundem illum Theophylactum Simocattam, quem allegat hic Kieslingius; attulit vero [uti diximus] apto in loco Trombellius, quem si idem Kieslingius consuluisset, non tam turpiter errasset. En quæ tradidit Theophylactus. [a] *In ejus* (Joannis Ducis, de quo paulo ante locutus fuerat) *locum Philippicus Orientalium Dux militum jubilegitur, vir dexter, Imperatorique,* (Mauritio, uti diximus) *cujus sororem Gordiam habebat in matrimonio, necessitudine proximus. &c.* De hoc porro eodem Philippico hæc deinceps narrat (b): *Philippicus igitur suos in aciem tripartitam digerit .... Ubi hostes appropinquare pulverea nubes indicio fuit, Philippicus Dei hominisque (Jesu Christi) effigiem circumfert. Jam olim fama emanavit, & usque hodie durat, eam effigiem non texentis manu comparatam, aut pictoris arte, coloribusque variatam, sed divinitus efformatam esse. Quocirca etiam apud Romanos ut ἀχειροποίητος, id est, non hominis manu confecta celebratur, & sacris divinisque honoribus colitur. Habent enim arcbetypum Romani, & ut Sacrosanctum quiddam venerantur. Hanc effigiem Sacra veste nudatam gestans, exercitum obibat, indeque audendi generosam, & inexpugnabilem militibus alacritatem iniiciebat.* Et tu dum Theophylactum ipsum Simocattam allegas, hæc nescis Kieslingi, & vocis homonymia deceptus ex duobus & dignitate, & tempore remotissimis, unum constituis; & tamen dum tam turpiter erras, quasi Trombellium deviceris & prostraveris, tibi plaudis, immo in plausum excitas Lipsienses tuos?

11 Cetera in hoc capite comprehensa si persequar, infinitus propemodum ero; prosequitur enim censor noster non absimilibus erroribus ubique detentus; plures scilicet synodos in unam miscens, putans, aut putare se simulans accusatum fuisse a Catholicis Philippicum, quasi hostis foret cultus Sanctis adhibiti, & nos afferamus Synodum VI. ad stabiliendum Sanctorum cultum, & Sacras imagines vindicandas fuisse celebratam, cum hæc omnia a vero alieniſſima sint, & conficta ab uno Kieslingio, qui non veretur extranea multa, multa lepida quoque miscere, ut librum inferciat, & civibus suis placeat.

12 Ne videar hæc temere confinxisse, libet primum ea transcribere, quæ notat ille ad vocem *Iliphreda*, qua voce utitur Theophylactus Simocatta; nomen scilicet designans præfecti Exercitus, cui Priscus Sacram Imaginem deferendam tradidit. [c] *Philippicus igitur suos in aciem tripartitam digerit: ministram Iliphredæ Emesæ Præfecto committit.* (d) *Ergo Iliphredæ Dei atque hominis effigiem, quam ἀχειροποίητον (hoc est non mortali manu confectam) Romani appellant, involucro nudatam, per castra circumferendam committit:* libebit postea duos Kieslingii paragraphos transcribere, paucasque adnotationes in paginæ calce iisdem

[a] Lib. I historiar. cap. XIII. (b) Lib. 2 cap. 3. (c) Theoph. lib. 2. cap. 3. (d) Ibid. lib. 3. cap. 1.

Digitized by Google

dem paragraphis adjungere, ut conſtet quam ſapiens doctor, & accuratus hiſtoricus Kieslingius ille ſit; *qui* (a) *cauſam Religionis quam profitetur, & ceu pupillam tuetur, Lutheranæ* ſcilicet, *acturus, religioni, pudorique ſibi ducit rem ſeriam, & luſoriè tractare*. En quæ notat ad vocem *Iliphreda* [b]. *Quod ad nomen Iliphreda ſpectat, id facile a nobis impetrat Gretſerus, illud eſſe proprium militis, ſeu cujuſdam Præfecti, cui hæc imago a Priſco circumferenda eſt data. Nomina* Iliphreſa, Aelphreda, Alfreda, Freda *nobis ſatis ſunt nota. Freda olim pro Dea eſt habita. Fredum vero fuit pœna pecuniaria, ut vel ex Lazio diſcimus, qui de fredis ſecundum legem Salicam hæc nobis commendat:* „ *Si quadrupes hominem occiderit, immediate Weregeldo ſuſcipiatur, &* „ *aliam medietatem Dominus quadrupedis ſolvere ſtudeat abſque fredo:* „ *quia quod quadrupedes faciunt, freda non exiguntur* „ Nec nos fugiunt *nomina Regum in Anglia Aelfred, Alfred, Wilfrid, quæ Viros pacificos ſignificant, qualia porro ſunt* Luitfred, Leutfred, Magdelfred, *quæ pacis conciliandæ notionem habent, ut fuſius expoſuit Georgius Philippus Harſdorferus. Sic inter nos conſtat Iliphredam, non imaginis, ſed viri nomen fuiſſe.* Perinde quaſi aut lis foret, num imaginis, an viri nomen ea vox ſignificet, aut vocabula Teutonica apta forent ad id oſtendendum, quaſi non Græca, ſed Theutonica lingua ſcriberet Theophylactus, & rem narraret non in Oriente, ſed apud Germanos geſtam.

13 En vero duos eos quos dixi paragraphos [c]: *Quale igitur*, inquit ille, *eſt quod commiſit Bardanes* [1] *crimen? Summa, ſi quid peccaverit, huc redit, quod imagines Patrum concilii ſexti e palatio ſuo auferendas, in templo erigendas, & conciliabulum aliquod contra Synodum ſextam celebrandum demandavit.* (2) *Non igitur Sanctorum imagines ſedibus ſuis decerit, ſed Epiſcoporum, quorum præſidio Synodus ſexta contra Monotheletas ſtetit acta.* [3] *Neque has Patrum picturas male tractavit, ſed eas in atrium, ſeu Xyſtum Eccleſiæ Sanctæ Sophiæ deportandas juſſit. Quod affirmant Banagius, Suerius, Fleurius & Calmetus, qui eum ab omni Iconoclaſtia liberant, ſed Monotheliſmi reum faciunt. Nam Papæ Honorii, & Sergii Patriarchæ imaginibus pepercit, & eaſdem in palatio retinuit ſartas & immotas. Utergue, & Honorius, & Sergius hac Monothelitarum labe fuit infectus.* (4) *Pontifex Honorius Sanctiſſimus hujus erroris non expers fuit, ſed fuit ſucceſſoribus teſtis extitit, Papam non eſſe falli neſcium, ſed ad errores quoque graviſſimos proclivem. Quin & ipſe hic Romanæ Eccleſiæ præſul Honorius in Synodo Sexta damnatus eſt, ut facile fidem Cel. Du Pinio adhibeamus, qui ita ſcribit.* „ Sextus eſt, *inquit*, „ Honorius, qui a Sergio Patriarcha conſultus Monothelitarum erro„ rem decretali epiſtola definivit, & propterea a Synodo Sexta œcu„ menica non ſemel anathemate percuſſus eſt, nec tantum damnatur „ ut fautor hæreſeos, ſed ut illius reus, & ex epiſtola convictus. „ *Et poſt pauca.* Si quis ab hæreſi excuſare velit epiſtolam Honorii, „ is

(a) Præf. §. XX. pag. 35. (b) Exerc. 11. pag. 103. (c) §. VI. pag. 104.

„ is pariter Sergii Epistolas potest excusare. „ *Ægre interim hoc Philippici ausum habuit Constantinus Papam*, (5) *qui Concilium Romæ instituit, & Philippicum damnavit, & imagines Patrum removatas, in Porticu Petri Romana pingendas curavit, ut hanc vindicaret injuriam, & rem quodammodo obliteraret.* [6] *Male propterea apud Anastasium Bibliothecarium audit Bardanes* [7], *de quo hæc tradit excitatus Scriptor*: „ Post menses „ *inquit*, autem 3 lugubre nuntium personuit, quod Justinianus „ Christianissimus Imperator, & orthodoxus Imperator, trucidatus „ est, & Philippicus hæreticus in imperiali permotus est arce, cujus „ & Sacram cum pravi dogmatis exaratione Constantinus susceptit, „ sed cum Apostolicæ Sedis consilio resipuit. Hujusque rei causa zelo „ fidei accensus omnis cœtus Romanæ Urbis imaginem, quam Græci, „ (pancaream) Votaream vocant, sex continentem Sanctas, ac universales Synodos in Ecclesia B. Petri erexerunt. „ *Nullas de cetero hic Philippicus cum Sede Romana aluit lites* [8] *neque Sanctorum imagines deturbavit.* (9) *Quid? quod satis humaniter, & amice Pontificem exulem, Felicem, cujus & Anastasius meminit, tractavit, & eum rebus sacris, vasisque aureis donatum Romam benigne remisit. Hæc fere sunt quæ nobis de munificentia, & clementia in Pontificem Felicem tradit Agnellus* [10]. „ Post mortem, *inquit*, Justiniani levaverunt super se „ Pelasgi Philippicum novum imperatorem, & constituerunt eum „ Dominum universæ terræ, ac imperium confirmatum fuit in manu ejus. Dixit ad Felicem Pontificem: revertere in terram tuam, „ & in sedem tuam. Cui Pontifex respondens dixit: Quo revertar? Aut quo vadam? Et dixit Imperator ad eum: quare non? „ Pro qua causa? Respondit Pontifex: Lumina oculorum amissa habeo; omnes fortunæ meæ Ecclesiæ hic consumtæ sunt, & quas antecessores tui pii Principes in ornamenta Ecclesiæ dederant, detulerunt, & in hac deportata sunt civitate, & nihil remansit, nisi „ ambitus murorum. Dixit autem ad eum Imperator; & qui eas abstulerunt? si tua tibi non sunt, vel etiam ex nostris tolle. Dixitque ad eum Felix Antistes: sufficiunt mea mihi, si reddere jubes, quia diversi diversa tulerunt. Tunc Imperator misericordia „ motus jussit præconem per totam clamare urbem, ut quicunque „ ex Ravennæ Ecclesia aliquid haberet, velocius ad Palatium deferret. Et allata sunt vasa, & pallia, & omnia ornamenta Ecclesiæ „ Pontifex susceptit. Non perdidit ex eis, nisi Candelabrum unum. „ Post hæc autem rogavit Imperator Pontificem, ut ex palatio ejus „ aliquam benedictionem acciperet. Qui respondens ad eum inquit; „ sufficit mihi tantummodo gratia tua. Tamen si pro remedio animæ tuæ, meæ Ecclesiæ vis dona offerre, habes gemmas crystallinas in illo, & in illo loco infra hujus Gazam palatii, quæ possunt „ ad ornatum Ecclesiæ mirifice, & optime decorari. Quo audito Imperator misit fidelissimos viros ex Mirmidonibus, ut comprobaret „ in loco illo, si esset, ut Pontifex dixit, & inventæ sunt. „

Do-

Documento hæc nobis ſunt Philippicum Bardanem ſe Romanæ Sedi, & cultui Sanctorum non iniquiorem præſtitiſſe (11), *ſed multa in Sedem Romanam contuliſſe beneficia. Primus interim extitit, qui Synodum Sextam, quam Romanenſes faciunt ſuam, eſt adortus, licet Monothelecta-*

O *rum*

---

[1] Jam diximus legendum omnino eſſe *Philippicus Bardanis*; ne patrem cum filio miſceas, quod noſter Kieslingius facit.

[2] Levis culpa videtur Kieslingio, quod & Monothelita fuerit, & Monothelitarum acerrimus defenſor Philippicus, quorum hæreſim ut ſtabiliret, nihil intentatum reliquit impius Imperator. *Boni Pontificii* ſummum crimen hoc eſſe ajunt; Sapientiſſimi Lutherani leve id eſſe arbitrantur, quaſi leve ſit *Chriſtum diſſolvere*.

(3) Neminem invenies e Pontificiis, qui aliter ſentiat; ſic ut hoſtes hac in re tibi fingas, ut eos redarguas, & grande volumen efficias.

[4] De Honorio diſputare nihil ad præſentem rem attinet, cujus defenſionem plurimi, atque doctiſſimi in ſe ſuſcepere, & ab ipſis Dupinii accuſationibus vindicavere: Franciſcus Marcheſius in primis in eo libro, quem inſcripſit: *clypeus fortium, ſive vindicia Honorii Papæ*. Mirum porro non eſt, ſi illius auctoritatem Monothelitæ allegarint: Ariani quoque Lucianum Martyrem allegarunt; utrique tamen perperam.

(5) *Conſtantinus Papa*, ut puto.

(6) Quomodo aliquid obliteretur, dum pingitur, tu ſcies Kieslingi, reliqui neſciunt.

[7] Perſiſtit in ſuo errore Kieslingius noſter, ne quis ſuſpicetur id imprudenter, & veluti caſu excidiſſe, & Patrem cum filio miſcet.

[8] Quam amicus deinceps fuerit Philippici hujus Conſtantinus Romanus Pontifex, & quam vere hæc pronunciet Kieslingius = *Nullas de cetero hic Philippicus cum Sede Romana aluit lites*, docet idem Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita ejuſdem Conſtantini his verbis (*): „ *Eiſdem temporibus eum ſtatuiſſet Populus Romanus nequaquam hæretici Imperatoris Philippici nomen, aut chartas, vel figuram ſolidi ſuſcipere, unde nec ejus effigies in Eccleſiam introducta eſt, nec ſuum nomen ad Miſſarum Solemnia proferebatur: contigit, ut Petrus quidam pro ducatu Romanæ Urbis Ravennam dirigeretur, & præceptum pro hujuſmodi cauſa acciperet. Dumque innotuiſſet, quod nomine hæretici Imperatoris ſua promotione idem Petrus fuiſſet potitus, zelo fidei accenſa magna pars populi Romani ſtatuerunt nullo modo hunc ducem ſuſcipere. Et factum eſt, dum Chriſtophorus, qui erat dux, ob hanc cauſam cum Agathone & ſuis hominibus concertarent, bellum civile exortum eſt, ita ut in via ſacra ante Palatium ſe ſe committerent, & ex utriuſque partibus amplius quam viginti quinque plagarentur, atque interirent, donec Pontifex mitteret Sacerdotes cum Evangeliis, & Crucibus Domini, ſicque partes ſedarentur. Nam pars Petri ita-*

an-

(*) Pag. 36.

Digitized by Google

rum precibus, & illecebris ad hoc negotium ſuſcipiendum fuerit permotus (12). *Excitandus mihi eſt viſus non tam ob odium in Sanctos, a quo crimine* (13) *eſt abſolvendus, quam potius ob ordinem, ſeriemque Imperatorum, qui huic Synodo juam ademerunt auctoritatem.*

„ *anguſtiata, ut nulla illi eſſet ſpes vivendi. Verum ad Pontificis juſ-*
„ *ſum pars alia, qua & Chriſtiana vocabatur, receſſit. Sicque defenſo.*
„ *rum Petri haretici pars non pravalvit, ſed attrita receſſit.* „

[9] Nemo, ut erebro dixi, quærit, num Philippicus Iconoclaſta fuerit, an non. Quæſtionem hanc inepte inſtituit Kieslingius, ut eruditionem ſuam vere mirabilem effundat. Recole quæ antea dixi.

(10) Quam ſapiat Kieslingius, ex hoc unico exemplo conice. Agnellus agit hic de Felice Epiſcopo Ravennate Ravennam poſtea profecto; & egregius Cenſor noſter hæc dicta putat de Romano Pontifice, qui proinde donis a Philippico cumulatus Romam redierit: *Amice Pontificem exulem tractavit, & cum rebus Sacris, vaſiſque aureis donatum Romam remiſit. . . . . Documento ſunt Philippicum Eardanem ſe. Romana Sedi . . . . . non iniquiorem præſtitiſſe, ſed multa in Sedem Romanam contuliſſe beneficia.* An mirabimur quod Trombellii dicta minime intelligat Kieslingius, cum nec intelligat ipſe verba quæ tranſcribit, & Felicem Ravennatem Epiſcopum pro Romano Pontifice accipiat, cum nullus per ea tempora fuerit Romanus Pontifex, niſi idem ille Conſtantinus, cujus nuper memini. Romam vero delata vult ea dona, quæ procul dubio Ravennam deducta ſunt a Felice.

(11) Nemo quem noverim [quod erebro dixi] ſi Kieslingium excipis, ait Philippicum Sanctorum cultui fuiſſe adverſatum.

(12) Num primus Monothelitis aperte faverit, antea vidimus. Non modo Romanenſes, ſed & Lutherani, & Calviniſtæ, & Zwingliani, & Anabaptiſtæ, & Sociniani ſuam faciunt Synodum VI. quatenus Catholicum dogma excipiunt, quo duæ voluntates, Divina, & Humana in Chriſto agnoſcuntur. Num illecebris, precibuſque Monothelitarum devictus, an potius ſponte ſua ad reprobandam Synodum VI motus fuerit Philippicus, dubium non leve eſt. Sed inepte id hic quæritur, cum remotiſſimum ſit ab eo, de quo agimus, argumento.

(13) Gratias tibi non leves, Kieslingi, agimus, quod cultum Sanctis denegatum *crimen* appelles.

AD

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM XII.

Quæ inſcribitur:

De Leone Iſauro.

CAP. I.

1 QUam vere dicas [a] Kieslingi, *non defuiſſe prater Theodoſium Amorii Epiſcopum Iconolatriæ deditos, qui ſe omnibus viribus Leonis Imperatoris moliminibus tunc temporis opponerent*, indicat tempus, quo Confeſſio illa lata eſt: *Conſtantino* ſcilicet Irenes filio imperante. Quomodo ergo *Leonis Imperatoris moliminibus tunc temporis* ſe opponere poterant, cum ſi de Leone Iſaurico, ut puto, loqueris, multos ante annos mortuus fuiſſet: illumque ſubſequuti in Imperio fuiſſent primo quidem Conſtantinus Copronymus, tum Leo ejuſdem Conſtantini filius; regnaret denique, uti dixi, per ea tempora Conſtantinus filius Irenes? Quæ de Leone Iſaurico narras, quæque de ſententia adverſus eum a Gregorio II lata, nimium diſtant ab eo, de quo agimus, argumento. Expoſita ſunt quoque, ſed apto loco, Capite ſcilicet II Diſſertationis IX, a Trombellio, ideoque hic lubens omitto. Tamen gratiam ſane non levem iniiſſes a doctis, ſi quod §. II dicis, teſtimonio aliquo comprobares; ſcilicet inter celebriores Sanctorum imaginum patronos ac defenſores, ideoque cum Germano [Conſtantinopolitano Patriarcha ut puto] & Joanne Damaſceno comparandum fuiſſe *Georgium Cyprium*. Nec minorem iniiſſes, ſi quod §. III narras, veterum auctoritate firmares: ſcilicet *Judæorum partibus non faviſſe Leonem, ſed eoſdem ſevera plane animadverſione fuiſſe proſecutum, ut recutitos ad fidem Chriſtianam cogeret amplectendam*. Nova hæc ſunt, & Kieslingio auctore prolata. Neque vero magnum aliquid agis, cum Gregorium II reprehendis, quaſi aut inepte ſerpentem ab Ezechia fractum in exemplum attulerit, aut memoria lapſus *Exechiam* ſcripſerit, cum *Hoziam* ſcribere debuiſſet. Jam pridem monuit Fronto Ducæus verba hæc Leonis Iſaurici eſſe, non Gregorii, qui tantummodo Leonis objectionem affert, diſſolvitque, ex Leone aſſumens, quod ipſe docet, Hoziam ſcilicet virum impium inter Leonis anteceſſores numerandum eſſe. Quam ob rem nihil detrahit auctoritati Gregorii error hic, cum Gregorii non ſit, ſed Leonis objicientis.

[a] §. 2. pag. 107.

2 Verba quæ Kieslingius redarguit, hæc sunt: (*a*) desumpta scilicet ex Epistola Gregorii II ad Leonem Isauricum. *Sic ad nos scripsisti. Ozias Rex Judæorum post annos octingentos serpentem æneum e templo ejecit : ego vero post annos octingentos idola ex Ecclesia ejeci* = Atque ad ea quidem verba hæc subjicit Gregorius: *Vere & Ozias frater erat tuus, & eadem erat, qua tu, pertinacia præditus.* Quis porro nescit Oziam pessimum fuisse Principem? Ceterum idem Fronto Ducæus [*b*] monet fortasse didicisse Leonem, qui hæc scripserat, & Gregorium, qui hæc videtur excipere, non ex sacris quidem literis, sed ex monumentis, quibus nunc destituimur, *Oziam e templo eduxisse serpentem æneum, Exechiam confregisse* : ex quibus pariter monumentis didicerat, *Davidem in templum, sive tabernaculum illum introduxisse.*

3 Quod de eodem Gregorio deinceps disputas, an scilicet fidelium communione, & juribus regni privaverit Leonem Isauricum, an non, ab argumento, de quo agimus, non nihil distat. Valde tamen probabilis eorum sententia est, qui putant Regni jure privatum fuisse a Gregorio Leonem. Quid porro aliter agere debebat Pontifex Justitiæ ac Religionis vindex? An non obsistere debebat Imperatori, imbelles Italos adversus Barbaros non tuenti, & manifesto ac crudeliter in Catholicos furenti?

AD

(*a*) Tom. VIII Conci. Labbe. edit. Ven. colum. 658.
(*b*) In notis ad locum hunc colum. 667.

AD EXERCITATIONEM XIII.

Quæ inſcribitur:.

De Conſtantino Copronymo.

CAPUT I.

1 COnqueſtus ſæpe ſum, Kieslingi clariſſime, quod Trombellii libros, quos ad refutandum ſuſcepiſti, minime legeris. Fallor: accurate legiſti. Papæ! In uno paragrapho duas accuſationes, eaſque graviſſimas adverſus Trombellium exhibes: & audebimus dicere, te Trombellii libros minime legiſſe? Scilicet fallitur Trombellius, dum Leonem Armenum cum Iſaurico confundit: fallitur quoque, dum Leonis Armeni filium Conſtantinum Copronymum eſſe ait, qui non Armeni, ſed Iſaurici Leonis eſt filius.

2 Sed revera quanquam tu duo Trombellii crimina hæc eſſe dicas, unum id crimen eſt, ſi crimen eſt; quippe ſi ſemel Armenum fecit, qui Iſauricus eſt, mirum non eſt, ſi Leonis Armeni filium eſſe dixerit Conſtantinum Copronymum, qui Iſaurici Leonis eſt filius. Quis tamen crimen illud appellet, quando compertiſſimum eſt mutationem hanc cognominum non alinnde proveniſſe, niſi ex eo quod in Trombellii typos incaute illapſa eſt vox *armenus*, cum *Iſauricus* ſcriptum eſſet? An fingimus? Dic obſecro, Kieslingi. Nonne Trombellius & Cedrenum allegat, & tranſcribit, & in margine locum citat, & paginam ipſam, ex qua tranſcripſerit? (*a*) *En vero Imperator Leo &c.* Porro Cedrenus eo in loco de Iſaurico Leone loquitur. An miraris in Trombellii typos errorem hunc incaute fuiſſe illapſum, quum frequentiſſimi ſint, in optimis etiam libris, hujus generis errores?

3 Ceterum quiſquis eſt error iſte, jam dudum eum emendavit Trombellius, ſic ut gloriolam hanc leviſſimam minime habeas, qua te inclytum Trombellii emendatorem iactes. Nonne Trombellius ipſe Diſſertatione IX, qua quidem apto loco & copioſe Sacrarum imaginum hoſtes recenſet, hæc ſcripſit (*b*): *Porro graviſſimum tum ſacræ Imagines ſubiere diſcrimen, quum Leo Iſauricus* [*Conon antea dictus*] *imperium eſt aſſecutus. Scilicet* (*quod valde probabilia veterum hiſtoricorum monumenta teſtantur*) *ut fidem exſolveret, qua ſe eum impoſtoribus Judæis obſtrinxerat* [*pollicitus nempe, ſi, quod prædixerant illi, imperium aſſecutus is fuiſſet, Sacras Imagines ſe perditurum*] *Imperium adeptus re ve-*

ra

(*a*) §. 213. pag. 455. edi. Pariſ., Venetæ 359.
(*b*) Cap. II, §. XIV. pag. 10.

Digitized by Google

ra perdere Sacras imagines ſtuduit, omnemque adhibuit curam, ut nullas in ſua ditione eſſe ſineret, obſtentibus illi aliis quidem multis, ſed præſertim Germano Conſtantinopolitano Patriarcha, & Gregorio II Romano Pontifice, qui ſæpe, ſed fruſtra monitum, convocato demum Roma concilio, eum anathemate percuſſit, Italoſque (niſi virorum optimorum opinio nos fallit) ab illius dominio exemit. Eo mortuo regnavit Conſtantinus ille, quem Copronymum (ideſt, Stercorarium) *dixere, quia* Stercore *ſacras aquas, dum baptizaretur, infecit, qui paternam impietatem non modo æmulatus eſt, verum etiam ſuperavit: Sacras nempe imagines, & reliquias execratus, harum multas coniecit in aquas, aut ſterquilinüs abdidit ad contumeliam, nihilque omiſit, quod ad eaſdem tum imagines, tum reliquias, earumque defenſores perdendos conferre poſſe arbitraretur. Concilium propterea multorum Epiſcoporum ea face infectorum coegit, a quibus ſtatutum eſt ſacras imagines minime honorandas eſſe, imo neque faciendas.* Hæc tamen tu diſſimulas Kieslingi, & quaſi anno 1743 hæc edita non fuiſſent, ne memoras quidem, cum tamen tu anno 1745. præclariſſimas tuas Exercitationes edideris, licet earum frons ad oſtendendam ſcilicet tuam ad ſcribendum celeritatem annum 1742 mendaciter iactet. Cur ergo inſcitiæ Trombellium redarguis? Cur eum ad Tillemontium, & reliquos hiſtoricos amandas? His tuis monitis non eget Trombellius, ſatis per ſe doctus & accuratus, quique errores, qui in ſui Operis typos illapſi erant, ipſe per ſe emendare novit.

4 Cetera quæ de Copronymo ais, vel ab ipſo Trombellio apto in loco tradita ſunt (*a*), vel ita nota omnibus, ut ea referre inutile ſit. Quod de Monachis *deſidioſq; vita* [ut tu quidem ais] *litantibus* ſcribis, falſum eſt: ſciunt enim omnes, magnam eorum partem non minus doctrina, quam pietate præſtare; ab otio vero abhorrere quam maxime. Quod ſi verum etiam foret, ab eo, de quo diſſerimus, argumento remotiſſimum eſt. Quæ denique de Concilio a Copronymo ad oppugnandas ſacras imagines, eorumque cultum reprobandum coacto ais, convenienti in loco ſatis illuſtrata ſunt a Trombellio. Vide quæ hoc de argumento tradit ille in parte III tomi II. (*b*)

AD

(*a*) Diſſ. IX. cap. II.
(*b*) Cap. XII. Diſſert. X. pag. 56.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM XIV.

Quæ eſt

De Leone IV Imperatore.

CAP. I.

NOn præteriit Trombellius, quæ circa Leonem hunc tuum Lectorem doceri opus erat, ſed aptiſſimo loco ea de eodem Leone tradidit, quæ inſtituto ſuo conveniebant, capite ſcilicet II Diſſertationis IX. Sed quoniam vis nos multo plura de hoc tuo *laudatiſſimo* [ut tu quidem vis] Imperatore, noſſe, age noſcamus, teque, Kieslingi clariſſime, non modo Theologi, verum etiam hiſtorici munus agentem audiamus. Rem vero gratiſſimam nobis feciſſes, ſi quod in ipſo tuæ Exercitationis exordio animoſe dicis, Veterum auctoritate firmaſſes: Nimirum, ut tuis utar verbis: *Blanda ſub imperii auſpicia uſus eſt in ſuperſtitioſos imaginum cultores indulgentia, quo ipſos a vana Sanctorum perſuaſione ad frugem revocaret: ſed quam ſe hac ſpe excidiſſe videret, ſuum in conſervanda Chriſtianæ Religionis veritate declaravit ſtudium.* Scilicet Theophanes multo me aliter docet: ex eo quippe aſſequor, pietatem ſimulatam ab eo fuiſſe, ut ea etiam populos ſibi devinciret, obtineretque quod cupiebat maxime, imperii conſortem adſciſcere filium adhuc adoleſcentem: quod ubi denique conſecutus eſt, tum demum furori ſuo atque impietati laxavit habenas, & palam in Catholicos ſæviit [*a*]. *Imperator porro Leo* [inquit Theophanes] *divitiis a Patre ſibi relictis liberalius utens, plebem omnem per imperium ſparſam, ac Urbis cives earum profuſione ſibi demeruit. Is ad breve tempus Religionem præ ſe tulit, & Deipara Virgini bene affici viſus eſt: quare primariarum civitatum ſedibus admiſtrandis ex Abbatibus Metropolitas elegit: copiaſque per ſingula themata plurimas conſcripſit, & militares auxit ordines. Eo beneficio Thematum Præfecti devincti ſe profeſſi cum populi conſerta plebe Imperatorem adeuntes, Conſtantinum ejus filium Imperatorem deſignari ſummis precibus contendebant. Ille ex uſitato Imperatoribus quaſi contraria mente obnitebatur: Filius iſte meus, ajebat, unicus mihi eſt: & quod poſtulatis, exequi vereor, ne quod humanum eſt, lethum ingruat, & eum adhuc ætate minimum e medio tollatis, & alium vobis Principem præficiatis. Illi juſjurandis fidem faciunt, & Imperatori teſtantur, alium ab ejus filio nullum ipſis imperaturum, & ſi eum fato præripi Deus juſſerit. Iis in poſtulatis a Palmarum Domi-*

[*a*] In Chronographia pag. 378. editionis Pariſienſ., 301 Venetæ.

Dominica ad magnam feriam quintam populo cum tumultu perſeverante, & turmatim in Circo coacto eadem inſtantius exigente, ſancta Paſſionis Domini Paraſceve, ut fidem juramento faceret, Imperator præcepit . . . . . Ceterum media jejuniorum hebdomade Jacobus Protoſpatharius, & Pappias Strategius, & Theophanes Cubicularius & Accubitor, nec non Leo & Thomas Cubicularii, quaſi ſanctas & venerandas imagines coluiſſent, cum aliis religioſis viris comprehenſi ſunt. Tum itaque Leo Perſecutoris filius, nudata in publicum, quam hucuſque delitescentem geſtaverat, impietate, iſtos verberibus inclementer cæſos, & tonſos, ac per mediam Urbem cum ignominia adductos in Prætorium cuſtodiendos conjecit: ex quo Theophanes, quem memoravimus, Confeſſor effectus, obtenta Martyrii Corona extinctus eſt.

2 Cur vero *deridendum Cedreni, & Theophanis figmentum* appellas, quod de *divina vindicta in Leone conſpicua tradunt*? Scilicet *Leonem ob coronam* Heraclio (*a*) magna in æde dicatam [*b*], *ſed ex eadem ablatam, carbunculis in capite propullulantibus febri acuta affectum, animam expiraſſe*. An deridendum putas, quod puniatur Rex impius, reſque ſacris uſibus dicatas abripiens, ut iis ſe ornet, & faſtuoſus incedat? Sed hæc Kieslingii pietas eſt, & impolluta Religio, cui proinde deridendum commentum erit, quod de pœnis datis ab Heliodoro Sacri Templi direptore in libris Machabæorum (*c*) traditur. Sane ea quæ deinceps Theophanes narrat de reſtituta deinde ab Imperatrice Sacræ ædi corona a marito ſuo ablata, haud obſcure indicant communi opinione fuiſſe creditum, Leonis mortem ab ea rapina proveniſſe (*d*). Sed fac (id enim velle videris, eamque in rem Baſnagium, & Suerium allegas) fac, inquam, Leonem Imperatricis artibus periiſſe: adde eandem Imperatricem regnandi cupidine percitam multa egiſſe illaudabilia, ſic ut filio ipſi Conſtantino minime parceret: Quid tum denique? An propterea a recta fide, vetuſtaque Religione aliena ea fuit? Nihil minus. Hanc porro tantummodo Catholici in ea laudant: vitia, ſi qua in Irene erant, averſantur, redarguuntque.

AD

(*a*) *Ab Heraclio* legendum eſt. Vide ipſa Cedreni verba.
(*b*) Eccleſiam intellige, et revera Theophanes legit *in ſacra æde*.
[*c*] 2. Mac. 3. 24. & ſeq.
(*d*) *Sublatum a Viro diadema gemmis ac lapidibus diſtinctum Eccleſiæ reſtituit ſimul & obtulit* pag. 383. editio. Pariſi., 304 Venetę.

AD EXERCITATIONEM XV

Quæ eſt

De Concilio Nicæno II. Sanctorum cultui propitio.

CAPUT I.

1 OH quam præclarum eſt hujuſce tuæ Exercitationis exordium Kieslingi mi! *Plus una vice Ven. Abbas concilii Nicæni II. mentionem facit, & illud tanquam pium & rectum commendat.* Cave obſecro, ne Rhetores illud videant: invidebunt ſcilicet tibi tam egregiam hanc loquendi formulam *plus una vice.* Sed ut de ipſo Concilio dicamus, reprehendas illud quantum tibi libuerit, efficere ſane non poteris, ne liberum illud, & celeberrimum fuerit. Atque hujus quidem Concilii præſtantiam, & quantum longe antecellat illud, quod Conſtantinopoli imperante Conſtantino Copronymo coactum eſt, facile aſſequeris ex iis, quæ Trombellius capite XII Diſſertationis X tradidit.

2 Porro audiamus oportet quæ hic Kieslingius noſter adverſus Trombellium, atque adeo Synodum hanc objicit: & ne conqueratur ille, quod vim objectionis imminuamus, iis ipſis eam exhibeamus verbis, quibus eam exhibet Cenſor noſter. [a] *Operam* (inquit ille) *haud ludere arbitror, ſi paucula quædam momenta, quæ mihi ad infirmandam Ven. Trombellii ſententiam facere videntur, ipſi ad animum revocavero. Illuxit nimirum expectatus, & exoptatus jam diu ille dies, qui deſiderio Romanæ Eccleſiæ explevit. Pontifices rebus omnibus apud Imperatores ſupra commemoratos fruſtra tentatis, promiſſis, & illecebris pellexerunt Irenem, ut eam rerum ſuarum fautricem efficerent. Hadrianus hujus nominis primus, qui tunc temporis reipublicæ Eccleſiaſticæ Romanæ præfuit, oblatam accepit occaſionem, & manus Irenæ promiſit auxiliatrices. Interea dum hæc geruntur, Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus depoſita purpura in Flori Monaſterium ſe recepit, & inter lacrimas, & amplexus Irenes, Conſtantini VII., & procerum ex hac vita emigravit. Nihil ſane opportunius Irenæ hac Pauli morte accidere potuiſſet; Ille enim pio animi candore, ardoreque imaginum cultui baſtenus obſtiterat. Non defuit qui in ejus locum eveheretur, alter. Et ut res humanæ mutationi, & fortunæ adeo ſunt obnoxiæ, ut ſi fortuna velit, quis de Rhetore Conſul fiat, ſic accidit, ut Taraſius, aulæ Miniſter, qui Ordini Sacro minime addictus fuit, ſummus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Antiſtes crearetur. Mira uſus eſt calliditate, & hanc ſacram provinciam ſibi oblatam ſuſcipere dene-*

P

ga-

(a) Exerc. XV. pag. 119. &c.

negavit, niſi prius proceres Imperii Concilium de abolenda Synodo Conſtantinopolitana promitterent inſtituendum. Eam pietatis, & ferveris ſpeciem ipſius verba præ ſe ferunt. „ Quod ſi (*inquit*) Imperatores noſtri rectæ fidei propugnatores, ut hæc petitio mea impleatur, juſſerint, ego quoque conſentio, eorumque mandata exequar, veſtramque electionem lubens ampleſtar „. *Id quod Taraſius facile impetravit. Hadrianus harum, quæ Conſtantinopoli gerebantur, rerum certior factus, Concilium in Urbe imperatoria habendum approbavit, & ſuos Legatos delegavit. Cives autem Conſtantinopolitani, mala quævis ſibimetipſis præſagientes, motus excitarunt, ut Synodum in Nicæna Bithyniæ Urbem transferre neceſſe haberent Conſtantinus, & Irene imperantes. Remotis nunc arbitris, Concilium ex animi ſententia Irenes, & Hadriani eſt celebratum, & Synodus Conſtantinopolitana ſub Imperatore Conſtantino Copronymo antea habita, prorſus abrogata, cultus autem imaginum innovatus. Ex documentis hujus Synodi ſatis prolixis, & rationibus ab Epiſcopis in utramque partem propoſitis, ediſcimus, Concilii proceres imagines Sanctorum venerandas, exoſculandaſque eſſe demandaſſe.* „ Nos, uno „ ore exclamaverunt conſcripti Patres, venerandas imagines reci„ pimus. Nos eos, qui ſic non ſe habent, anathematiſmis ſubmit„ timus. His qui aſſumunt dicta, quæ a divina ſcriptura contra Ido„ la proferuntur, in Venerabiles imagines, anathema. His qui non „ ſalutant ſanctas & venerabiles imagines, anathema. „ *Filum jam abrumpo, & ad Anathematiſmos, quos hoc evomuit Concilium, provoco.*

3 Egregie ſane Kieslingi mi! egregie. Tibi ex animo gratulor quod Trombellium confoderis, Nicænamque Synodum contriveris, tuaque triumphet doctrina, Eccleſiaſticæque hiſtoriæ peritia. Sinetamen, ut nonnullos tibi exponam ſcrupulos, quos ſi evellas, virtus tua ſummo mihi erit in pretio. Dic mihi, unde es aſſecutus ea quæ his verbis doces. *Pontifices..... promiſſis, & illecebris pellexerunt Irenem, ut eam rerum ſuarum fautricem efficerent?* Nimirum multo aliter rem enarrat Theophanes, ex eo nempe novimus, primum quidem a Paulo Conſtantinopolitano Patriarcha jam morti proximo, (*a*) tum a Ta-

(*a*) „ Menſis autem Auguſti die triceſimo primo eadem indict. 7. Paulus „ Vir religioſus, & Patriarcha Sanctiſſimus in morbum incidens thro„ no nuncium remiſit: & ad Flori Monaſterium ſe conferens, ibi „ Imperatrice propoſiti ejus inſcia, Monaſticum habitum aſſumpſit. „ Rei geſtæ notitiam ut habuit Imperatrix, confeſtim eum cum Filio „ convenit, ac querulis vocibus infectata: Quid hoc, inquit, feciſti? „ Ille lacrymis profuſus reſponſum ad eam dedit. Utinam Eccleſia „ Dei tyrannice adminiſtrata, & a reliquis thronis ea de cauſa re„ ſciſſa, diriſque & execrationibus devota, in Sacerdotii Throno „ C. P. nunquam ego ſediſſem. Illa Patritios & Senatus ſpectatiſſimos „ quoſque ad ſe primum accitos ad eum poſtmodum deſtinavit, quæ „ ipſe narraret, ore proprio audituros. Qui ad ipſos: Niſi Syno„ dum, inquit, univerſalem coegeritis, & obtinentem apud vos cor„ rexeritis errorem, vobis nulla ſupereſt ſalus. *Pag. 306. Edit. Vene. 385. Pariſ.*

a Tarasio ad Patriarchæ dignitatem adscito consilium cogendæ generalis Synodi fuisse Ireni datum. (a) Cui quidem consilio illa obsequens ad Pontificem Hadrianum scripsit, ut Legatos mittens, sua auctoritate ejusdem Concilii celebrationem firmaret. (b)

4 Quam porro vera sint ea, quæ deinceps narras de Paulo Patriarcha, quasi eo tempore vixerit, quo Hadrianus cum Irene de restituendis sacris imaginibus ageret, ostendunt ea quę ad paginæ calcem ex Theophane refero: assequimur enim ex iis, antequam Irene cum Romano Pontifice de restituendis sacris imaginibus ageret, Patriarcham Paulum hortatum fuisse eandem Irenem, ut Concilium cogeret. Id copiosius exponit Theophanes, quem rogo consulas.

5 An vero tibi credemus testes nullos proferenti, dum hæc scribis? *Paulus Patriarcha ..... inter lacrymas & amplexus Irenes, Constantini VII.*, *& procerum ex hac vita emigravit*: an potius Theophani vetusto celebrique scriptori nullos Irenis amplexus, [quod certe non admodum laudabile in ea foret] nullos item Constantini, nullos procerum amplexus commemoranti? Ecce porro tibi ipsa Theophanis verba latinitate donata a Goaro proxime post verba illa nuper ad paginæ calcem descripta = *Vobis nulla supereſt salus* = „ *Respondernnt* „ *ipsi. Cur ergo Patriarcha designatus inter ordinationis solemnia imagi-* „ *nes te nunquam adoraturum subscripsisti? Tum ille: Hæc, ait, lacry-* „ *marum mearum causa est: illud me ad pœnitentiam amplexandam im-* „ *pulit, Deum deprecantem ne me veluti Pontificem hucusque mutum red-* „ *ditum, nec veritatem (solo insaniæ vestræ metu detentum) palam enun-* „ *ciantem corripiat. Inter has voces Paulus in pace obdormivit, magno* „ *de se tam Imperatrici, quam ceteris in Republ. pietate conspicuis Viris* „ *luctu relicto. Venerabilis quippe Vir extitit, & misericordiæ operibus* „ *impendendis bene affectus, omnique omnino dignus reverentia, maxi-* „ *mamque ei fidem cum Imperatrix, tum Respublica habebat.* „ Sed hæc negligit præclarissimus Kieslingius noster, qui non historias contribulibus suis referre satagit, sed fabellas, adeo doctus, & diligens, ut ignoret Constantinum Irenis filium, VI dici debere, non septimum. [c]

[a] „ Nihil enim Deo tam gratum acceptumque est, quam si uniti in u-
„ ram & Catholicam Ecclesiam conveniamus, quemadmodum & sincę-
„ ræ fidei nostræ Symbolo profitemur, & precamur, Fratres. Et ob
„ id a piissimis Imp. petimus, [quod etiam vos, quorum timor erga
„ Deum mihi notus, facere arbitror], ut Concilium OEcumenicum
„ celebretur. *Pag.* 308. *edit. Vene.*

(b) „ Imperatrix etiam ad eundem Papam misit, qui suo nomine ab eo
„ peterent, ut datis litteris homines qui Concilio adessent, delega-
„ ret. Papa vero Petrum Ecclesiæ suæ OEconomum, & Monasterii San-
„ cti Sabæ Præpositum, Viros honore præcipuos, & omni virtutum
„ cultu ornatos destinavit. *Pag.* 309. *edit. Vene.*

(c) *Constantini VII. &c.* pag. 119. Kiesl.

Digitized by Google

6 Ex iis porro Theophanis verbis quæ nuper retuli, conſtabit quàm vera narrare pergat Kieslingius ille omnium hominum ſolertiſſimus, qui Trombellium, atque adeo Catholicos omnes contemnit maxime, veluti bardos, & eorum neſcios, quæ ipſe novit. *Nihil ſane opportunius Irena hac Pauli morte accidere potuiſſet* (a): *ille enim pio animi candore, ardoreque imaginum cultui obſtiterat.* An ille magno animi ardore imaginum cultui obſtitit, qui ſolo metu ſe ad denegandum ſacris imaginibus cultum permotum fuiſſe profitetur? ille, qui, eodem Theophane teſte, Patriarcha eligi recuſabat, quod verebatur ne eam dignitatem excipiens veſano Imperatori obſequeretur? quod & revera præſtitit metu, uti dixi, compulſus, non ex animo. En hic rurſus quæ ex Theophane diſcimus. (b) *Nicetas genere Sclavus, Eunuchus, C. P. Patriarcha diem extremum obiit. Secunda vero jejuniorum Dominica Paulus Venerabilis Lector, Cyprius natione, doctrina, & virtute præſtans, quamvis ob hæreſim, quæ tunc obtinebat, multum reluctaret, imo vim omnino paſſus, Conſtantinopolitanus Patriarcha inſtituitur.*

7 Sed quam vera etiam ſunt illa Kieslingi, quæ tu §. III enarras his verbis! [c] *Hadrianus harum, quæ Conſtantinopoli gerebantur, rerum certior factus Concilium in urbe imperatoria habendum approbavit, & ſuos legatos delegavit. Cives autem Conſtantinopolitani, mala quævis ſibimet ipſis præſagientes, motus excitarunt, ut Synodum in Nicenam Bithyniæ Urbem transferre neceſſe haberent Conſtantinus & Irene imperantes. Remotis nunc arbitris, Concilium ex animi ſententia Irenes & Hadriani eſt celebratum, & Synodus Conſtantinopolitana ſub Imperatore Conſtantino Copronymo autea habita, prorſus abrogata, cultus autem imaginum innovatus.*

8 Referamus primum Theophanis verba, tum comparemus cum tuis, Kieslingi ſapientiſſime, monitis. *Imperatrix* (inquit Theophanes (d)) *etiam ad eundem Papam miſit, qui ſuo nomine ab eo peterent, ut datis litteris, homines, qui Concilio adeſſent, delegaret. Papa vero Petrum Eccleſiæ ſuæ Oeconomum, & Monaſterii Sancti Sabæ Præpoſitum, viros honore præcipuos, & omni virtutum cultu ornatos deſtinavit.* An his verbis diſcis decreviſſe Pontificem ut Conſtantinopoli celebraretur, an potius quod nihil ea de re ſtatuens in arbitrio reliquerit Imperatorum, ut quam opportunam celebrando Concilio ducerent Urbem, eligerent? Cur autem Nicæam potius, quam aliam quamlibet elegerint, indicant hiſtorici, dum monent milites non paucos Conſtantinopoli degentes a principibus exercitus incitatos ſeditionem commoviſſe, veritos ſcilicet ne imagines reſtituerentur. [e] An his poſitis Conſtantinopoli Synodus, quæ libere, quæ vellet decreta ederet, celebrari poterat? Selecta porro ideo Nicæa, ut puto, fuit,

---

[a] *Potuit*, ut puto. (b) Theoph. pag. 303. (c) pag. 119.
[d] pag. 309. edit. Ven., Par. 388. (e) Theoph. pag. 309. edit. Ven.

fuit, quod ea primo generali Concilio in ea coacto celebris foret: ad eam vero facile convenire Episcopi possent.

9 Sed tua monita Kieslingi prosequor. Audio quæ his verbis narras: [a] *Cives autem Constantinopolitani, mala quævis sibimetipsis præsagientes, motus excitarunt, ut Synodum in Nicænam Bithyniæ urbem transferre necesse haberent Constantinus & Irene imperantes. Remotis nunc arbitris, Concilium ex animi sententia Irenes, & Hadriani est celebratum.* Sed quid tandem assequeris? Novimus sane populos aliquando erroribus antea susceptis ita adhæsisse, ut potius exilium ferrent, interdum etiam vitam amitterent, quam pravas opiniones abiicerent. Profecto constans fama est Ægyptios aliquando, ne Monothelitarum hæresim ejurare cogerentur, Mahometanos Principes acciviſſe. At vera omni ex parte ea non sunt, quæ narras: & rem gratissimam sane fecisses nobis, si locum designasses, unde hauseris Constantinopolitanum populum adversus imagines male fuisse animatum, cum tantummodo ab historicis assequamur, milites tantum a præfectis suis excitatos seditionem commovisse, quæ tamen facile sedata est, Constantipoli ejectis copiis iis, quæ seditionem commoverant. Profecto in Veterum scriptis invenimus quæ valde inclinatos per ea ipsa tempora in Sanctarum imaginum cultum Constantinopolitanos Cives ostendunt. Prætereo ea quæ antea ex Theophane retuli, quæque si recte expendantur, ostendunt, ipso quoque imperante Leone IV. non defuisse, qui sacras imagines colere non verentur: quibus ea addere possemus, quæ de Monachis, aliisque præstantissimis viris inavita consuetudine perseverantibus, tametsi exilio & cruciatibus omnibus ad earum contemptum incitarentur, ex probabilibus historiis discimus. Hæc inquam prætereo, ut ea afferam Theophanis testimonia, quæ expressissima fortasse videri possunt. *Tunc temporis* (inquit Theophanes [b]: indicat autem prima imperii Constantini & Irenis tempora) *Deo quique devoti liberius eum colere, verbum Dei propagari, qui salutem quærerent, hæresibus nuncium mittere, Dei laudes efferri, asseri in libertatem Monasteria, bonum omne denique reparari*: commode enim hæresum nomine *Iconoclastarum* errores intelliges: nosces quoque cur Monasteria in libertatem asserentur: vel enim clausa erant, detentis veluti in carcere Monachis Iconoclastarum errori adversantibus, vel occupata a Satellitibus & hominibus impiis, qui amplis eorundem Monasteriorum redditibus Imperatorum decreto fruebantur: vel denique interdictum erat, ne Monachi vestem assumeret quisquam, quod omnes fere Monachi Sacrarum Imaginum cultum asserent.

10 Expressius vero deinceps Theophanes proxime post mortem Pauli Patriarchæ descriptam: [c] *Ceterum ab hoc tempore colloquia, atque*

[a] pag. 119. edit. Ven. (b) pag. 305. edit. Ven. 383. Paris. (c) pag. 307.

que dissertationes de Sacris imaginibus libere ab omnibus haberi coperunt? An haberi potuissent libera de Sacris imaginibus colloquia, si Cives eidem cultui adversi fuissent, & ut verbis Kieslingii nostri utar, *mala quævis sibimet præsagiissent?* Sane vir valde doctus Petrus de Marca [a] adeo amicos sacris imaginibus, earumque cultui Cives Constantinopolitanos putat, ut Constantinopolim revocatam dicat eandem Synodum, quæ Niceæ primum coacta erat, quasi populo res gratissima fieret, si in ea Urbe in qua potissimum imaginum cultus reprehensus est, solemniter restitueretur, & ab omnibus asservaretur.

11 Quam porro bellus es Kieslingi, dum hæc n. IV. ais [b]! *Id tamen silentio haud involvendum est, Tarasium miro acumine cultum Sanctorum, eorumque imaginum non simpliciter recepisse, sed eum qui ad Prototypum fertur, & relativus appellatur, approbasse. Et hoc est receptiorum Romanensium subterfugium, quod tamen Ven. Abbas non admittit, sed cultum Sanctis immediate adhibendum statuit, ut in Dissertatione IV. audiemus. Quem ambiguum hujus Concilii, de cultu relativo, sensum, plerique omnes enuntiæ variis Romanenses amplectuntur, quem quoque nobis Ven. Angelus Rocchа a Camerino ita proponit.* „ Nicænum„ „ *inquit*, Concilium II. & Generale VII. in Nicæna Asiæ Civitate„ „ ubi prima Synodus Generalis tempore Silvestri Papæ, & Con„ „ stantini Imperatoris congregata fuit, celebratum est, in Ecclesia „ Majori Sanctæ Sophiæ sub Hadriano primo, & Constantino VII. „ Irenes filio, Imperatore, a Patribus 350. circa annum Domini „ 781. seu 775. vel 790. contra Iconomachos qui imagines in Ec„ clesiis damnabant. Quare hac in Generali Synodo decretum fuit „ imaginum expressiones relative esse adorandas, Sanctorumque Re„ liquias esse honorandas: Aliud est enim picturas absolute adorare, „ (quod non licet) aliud vero per picturas cognoscere, quid sit „ adorandum, etenim non representantes figuras & imagines, sed „ res representatas adoramus, & imagines quatenus representant. „ Adoratio enim non in imaginibus terminatur, sed ad prototypum „ refertur. „ *Oracula hujus Concilii velut ex tripode dicta adhuc venetatur Romana Ecclesia, & se iisdem munitam, sartam tectamque esse putat. Sed hujus Synodi fraudibus coacta exsecrationes purioris cultus professoribus minime impositurum silentium, ut potius ejusdem decreta in Anglia, Gallia, & Germania rite examinata prorsus sint confutata & rejecta.*

12 Kieslingi tu misces cultum Sanctis adhibitum, cum cultu, qui eorum imaginibus defertur, aisque Tarasium cultum Sanctorum, eorumque imaginum non simpliciter recepisse, sed eum approbasse qui ad prototypum fertur, & relativus appellatur. [c] Miscenda hæc non sunt, cum

(a) De Concordia Sacer. & Imper. lib. II. cap. 17. n. 2. *Secunda Nicæna Synodus . . . Nicæa primum coacta . . . deinde Constantinopolim translata &c.* [b] pag. 120. (c *Tarasium miro acumine cultum Sanctorum . . . non accepisse &c.*

Digitized by Google

cum plane diſtent: cultus enim qui Sanctis defertur, abſolutus eſt, non relativus: Contra, relativus qui eorum imaginibus defertur. Dic mihi Kieslingi; an negas Sanctorum invocationem diſplicuiſſe Taraſio? Minime vero: etenim diſcimus Taraſium exquiſiviſſe a Theodoſio Epiſcopo Amorii, ſi recipi in Synodum voluit, confeſſionem, in qua Sanctorum interceſſionem, & invocationem palam admitteret (*a*) eamque confeſſionem deinceps approbavit. [*b*] En eam quam dixi Theodoſii confeſſionem. *Confiteor, & pollicor, & recipio, amplector . . . & auxilium & protectionem ejus* (Virginis Matiæ) *& interceſſiones illius unaquaque die, ac nocte invoco, ut peccator in adjutorium meum.* Quid? quod Synodus univerſa eorum Iconoclaſtarum approbavit Confeſſionem, *qui cum ſincera fide Mariæ Sanctiſſimæ expetierunt interceſſiones tanquam fiduciam habentis ad Deum noſtrum* [*c*].

13 Porro invocatio honor abſolutus eſt, non relativus. Neſcio vero quo ſenſu (niſi palam hæc duo cultuum genera ſeparet) dicas Taraſium *recepiſſe tantummodo cultum Sanctorum, & eorum imaginum, qui ad prototypum fertur.* Quod prototypum reſpicimus, dum Sanctos invocamus & deprecamur? An non Sanctos ipſos, quibus proinde immediatus & abſolutus, non relativus defertur cultus. Contra Imagines relativo cultu colimus, qua de re ſi edoceri vis, nec modo diſcrimina horum cultuum noſſe, verum etiam ea rationum momenta, quibus potiſſimum ii innituntur, qui imaginibus relativum tantummodo honorem deferunt, ea conſule, quæ de hoc argumento copioſiſſime differuit Trombellius relativi cultus non modo imaginum, verum etiam reliquiarum, ſi quis alius, eximius fautor. Ea, obſecro, adi quæ ille Capite 35 Diſſertationis VIII [*d*], Capite 40, & ſubſequentibus Diſſertationis X; ea pariter quæ Capite 14. Sectionis II. & Capite X. Sectionis III. Appendicis *de Cruce* cumulatiſſime tradit. Hinc plurimas tibi aget gratias Trombellius, quod dum redarguere eum vis, Scriptorem valde probabilem producas, Angelum nempe a Roccha, cujus etiam auctoritate firmabit ille ſententiam ſuam.

14 Quæ dicis de fraudibus quibus Synodus hæc coacta ſit, deque Anglis eandem Synodum confutantibus ac reiicientibus, meriſſima mendacia ſunt Kieslingi mi, quibus incautis illudis, & tuis places. Quæ de Gallis, & Germanis enarras, explicata ſunt ſatis a Trombellio Capite XII. & ſubſequentibus Diſſertationis X. Sed cur tot de Sacris imaginibus Kieslingi mi? Nonne Trombellius in Præfatione toti Operi præpoſita pollicitus fuerat ſe de Imaginibus, cultuque iis adhibito diſputaturum? An verebaris ne dictorum fidem exſolveret?

AD

(*a*) Tom. VIII. Conc. Labbe edi. Vene. col. 703. *Taraſius Sanctiſſimus &c.*
(*b*) Col. 707. *Taraſius Sanctiſſimus Patriarcha dixit: qui dudum erant vetæ fidei calumniatores, nunc facti ſunt veritatis advocatores.*
(*c*) Col. 1174. (*d*) Pag. 412.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM XVI.

Quæ inſcribitur:

De Concilio Francofurtano ad Mœnum, Nicæno II oppoſito.

CAP. I.

1. NE pauca Kieslingi mi adverſus Nicænam II Synodum dixiſſe videreris, quum generatim monuiſti, ejuſdem Concilii Decreta in Anglia, Gallia, & Germania fuiſſe *rite examinata, conſutata, & rejecta*, rem ſingillatim aggrederis, & Concilium Francofurtenſe allegas adverſus Nicænum II. Scito tamen Trombellium copioſe de eo diſputaſſe Cap. III. & XII. Differt. X. Illum conſule, & manifeſto conſpicies, eum prævenisse cuncta tua præclara argumenta. Sed cur de Francofurtenſi Concilio dicere exorſus ad Carolinos libros te vertis? Cur rurſus, quaſi alibi pauca hoc ſuper argumento effudiſſes, de vocabulis his *Cultus*, & *Veneratio* quæſtionem moves, niſi quod pro more inordinate cuncta proferas, & permixte? Tibi tamen obſequor, Kieslingi, & quamvis hæc præterire prorſus poſſem, teque amandare ad Trombellium, qui hoc in argumento diligentiam Scriptorum, qui eum præceſſerunt, ſuperare viſus eſt, hæcque ſane pertractavit cumulatiſſime [a], tua tamen proſequor, tibique gratulor, quod exoptatum inter voces has *Cultus*, & *Veneratio* diſcrimen tam pulcre attuleris. Recolamus obſecro eximii Cenſoris noſtri verba, iiſque veluti precioſiſſimis gemmis ſcripta noſtra ornemus. (b) *Veneratio vero, ſeu reverentia, non eſt cultus aliquis; ſed externum honoris ſignum. Immenſum fere interpoſitum eſt diſcrimen inter Sanctorum cultum, & eorum Venerationem, quod & Ven. Abbas alibi nobis concedere videtur, licet ipſe eum voce cultus ludat*: Cultus majoris eſt virtutis & momenti, quam Veneratio. *Cultus enim involvit aliquam colendi neceſſitatem & legem, quam tamen in Sanctorum Veneratione nullibi legunt, aut producere poſſunt Romanenſes, ut poſtea ex celeberrimorum Romanenſium ſcriptis demonſtrabo. Veneratio vero eſt externa honoris nota, quam non denegant Libri Carolini Sanctis, neque nos Lutherani hoc obſequio defraudamus, ut noſtra Confeſſio Auguſtana fuſius explanat.*

2 Unde hæc didiciſti Kieslingi mi, quæ nova atque inaudita ſunt prorſus? Unde hæc accuratiſſime cenſor, qui neque ex nominum etymologia, neque ex probatis auctoribus inſuſitatam hanc ſignificationem confirmas? Oſtendit manifeſto Trombellius multo aliter hæc accepta tu-

[a] Differ. X capite XII, & ſequentibus. (b) Pag. 122.

fuiſſe a Veteribus (*a*). An non meminiſti illorum Tertulliani verborum, quæ jam pridem Trombellius attulit, quæque tu ipſe veluti aptiſſima allegaſti? Ecce itaque rurſus illa (*b*): *Colimus ergo Imperatorem, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quidquid eſt, a Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem.* Quæ neceſſitas Chriſtianos cogebat, ut Imperatores *Gentiles* colerent: ut dicas *cultum involvere aliquam colendi neceſſitatem & legem?*

3 Sed ne uno Tertulliano innitar, ecce tibi Auguſtinum, cui profecto magis credimus, quam tibi, Kieslingi. *Si tantummodo cultus* (inquit Auguſtinus) (*c*) *ipſe dicatur, non ſoli Deo deberi videtur. Dicimur enim colere etiam homines, quos honorifica vel recordatione, vel præſentia frequentamus. Nec ſolum ea, quibus nos religioſa humilitate ſubiicimus, ſed quædam etiam, quæ ſubjecta ſunt nobis, coli perhibentur.* An hic neceſſitatem, & legem aliquam innuit Auguſtinus?

4 Unde etiam deſumpſiſti quæ de *Venerationis* ſignificatione tradis? ſcilicet: *Venerationem eſſe externam honoris notam, quam quidem non denegant libri Carolini Sanctis; neque nos Lutherani* (inquis tu) *eos hoc obſequio defraudamus, ut noſtra Confeſſio Auguſtana fuſius explanat.* Paucis ſane placebit hæc acceptio vocis *Veneratio*; neque etymologia illi favet, neque exempla ex veteribus deſumpta. Profecto multo aliter eam vocem accipiunt vetuſti magiſtri noſtri, quorum ſi locutiones ſequimur, cum laude id facimus. Hoc modo ad denotandum exteriori honori interiorem adjunctum ipſam ſumit auctor illius Hymni, qui ex prioribus verbis, quibus incipit, *Te Deum* appellari ſolet, vetuſtiſſimus ſane, & probatiſſimus: quippe hæc ait: *Te æternum Patrem omnis terra veneratur.* Multo aliter, quam tu accipias, vocem hanc ſumit S. Leo (*d*) hæc elocutus: *In quo fidei noſtræ magnum præſidium providentia divina conſtituit, ut dum ſolemni veneratione recolitur adorata in exordiis ſuis infantia &c.* Et fortaſſe expreſſius Victor Vitenſis [*e*]: *Quod ſi hæc tanta & talia non inclinant animum ad venerandum Spiritum Sanctum &c.* Ceterum ſe librorum Carolinorum auctoritate tueri nequeunt Proteſtantes. An is qui non aliter reliquias colit, quam *pie terræ inferendo, & ut ipſis terra levis ſit, ex animo apprecando* [*f*] [perinde quaſi neſciremus, phraſim hanc, *ſit tibi terra levis*, ex Gentilium ſuperſtitione & perſuaſionibus derivatam fuiſſe]; an is, inquam, qui ita reliquias colit, id docet quod Carolinorum librorum auctor (*g*): *Reſtat ut nos Sanctos in eorum corporibus, vel potius reliquiis corporum, ſeu etiam veſtimentis veneremur?* An Proteſtantes hæc de Crucis ſigno dicent, quæ Carolinorum librorum auctor dicere non veretur [*b*]: *Crucis ſignum magnum in ſe habere myſterium = Crucis ſignum ubicumque ingeritur*

(*a*) Diſſer. 1. cap. 3. n. 1. & ſequen. præſertim vero 16.
(*b*) Capite 2. libri ad Scapulam. [*c*] Lib. x. de Civit. cap. 1. n. 2.
(*d*) Serm. 4. de Epipha. (*e*) N. 22. libri 3. *Perſecu. Vandalica* pag. 32.
[*f*] Hic Kieslingius pag. 122. (*g*) Lib. III. cap. 16 (*b*) Lib. IV. cap. 16.

Digitized by Google

ritur, Divini nominis invocatione infertur = Divini nominis invocatione illatum alia quæque consecret & benedicat. An denique qui Carolinos libros tibi, tuisque Lutheranis favere arbitratis, hæc proferes? (*a*) *Quod Sancta Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia ceteris Ecclesiis prælata, pro causis fidei, cum quæstio surgit, omnino sit consulenda.*

5 Quamquam vero nil ad nos attinet Augustana Confessio, tamen ut constet, quam merito illam alleges, affero illum ipsum articulum XXI, in quo quid Protestantes circa adhibitum Sanctis cultum, & invocationem sentirent, exposuere. Porro nihil eorum quæ tu de ea *Venerationis* significatione ais, occurrit, sed tantummodo docuere cultum quidem aliquem Sanctis a se adhiberi; invocationem tamen plane reiici. *De cultu Sanctorum docent, quod memoria Sanctorum proponi potest ut imitemur fidem eorum, & bona opera ..... sed Scriptura non docet invocare Sanctos, seu petere auxilium a Sanctis: quia unum Christum nobis proponit mediatorem, propitiatorem, Pontificem.* Melanchthon autem, dum articulum hunc exponit, hæc ait: *Confessio nostra probat honores Sanctorum: nam hic triplex bonos probandus est: primus est gratiarum actio: debemus enim Deo gratias agere quod ostenderit exempla misericordiæ .... secundus cultus est confirmatio fidei nostræ .... Tertius bonor est imitatio.* An his monitis, Kieslingi, discimus *cultum involvere aliquam colendi necessitatem, & legem*: Venerationem vero non esse *cultum aliquem, sed externum honoris signum?*

6 Quæ de Carolo Magno deinceps profers, vel ad id, quod agimus, apta non sunt, vel ea jam attulit illustravitque Trombellius Capite XIII, & sequentibus Dissertationis X, in quibus copiosissime his super libris, eorumque auctore, & præstantia disputat. Quantum porro hi tibi faveant, discies, tum ex aliis quidem locis, tum præsertim ex capite XX ejusdem X Dissertationis; sic ut Heumanno [si is re vera librum hunc omnium prior evulgavit] non eas debeas gratias, quas immortales te debere profiteris, quod eosdem libros evulgaverit. Ceterum si Heumanno laudem hanc tribuis, (*b*) *ut libros e latebris protraxerit, & suo restituerit auctori*, cur eandem laudem deinceps Augustino Steucho, & Joanni Tilio adjudicas? *Sed ex suis prodierunt recessibus* (Carolini Libri) *auctoribus Augustino Steucho, & Joanne Tilio Gallo* [*c*]. Sed obiter dicam: fallitur sane Kieslingius; Steuchus enim eos libros minime edidit, sed tantum allegavit. Steuchi locum cum jam allegarit Trombellius (*d*), eum consulere per te poteris.

7 Poteras autem ab iis probationibus supersedere quas affers, ut libros hos Carolo magno tribuas. Trombellius ipse, ut pote ingeniosus & candidus, tuæ huic opinioni apertissime favet. Tamen idem Trom-

(*a*) Lib. I. cap. 6. [*b*] Pag. 123. [*c*] pag. 128.
[*d*] Disser. X. cap. XIV. n. 7. pag. 73.

Digitized by Google

Trombellius minime videt, cur ex eo quod Hadrianus Pontifex libros hos Carolo Magno adſcribat, hæc tu eruas: *Ex hoc igitur documento tutus colligo, Alexandrum VII Pontificem, qui ex Romaneuſium ſententia errare non poteſt, fidem auguſtiſſimo horum librorum conditori haud denegaſſe* [a]. Quem locum hic habeat Alexander VII. tu videris: ſane nec Trombellius, nec ego id aſſequi poſſumus. Sed ut ad propoſitum revertar, quamvis prætereàm cetera, quæ, uti dixi, pertractavit explicavitque multa cum laude ac diligentia Trombellius, illud omittere ſane non poſſum, quod tu pagina 127 his verbis doces: *Chriſtianæ proinde Religioni, ut cum Abbate Viſpergenſi loquar, neutiquam vero Romanæ Eccleſiæ principiis fuit deditus, quem dixi, Auguſtiſſimus Imperator. Invocationem Sanctorum, eorumque imaginum cultum repudiavit, & has Pontificiorum perſuaſiones a Fide Chriſtiana diſſidentes feliciſſime excuſſit. Illud ipſum Canon XLII confirmat, qui hujus eſt tenoris*: „ Ut nulli Sancti colan„ tur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: ſed „ hi ſoli in Eccleſia venerandi ſint, qui ex auctoritate paſſionum, & „ vitæ merito electi ſunt. „ *Arrige aures, Trombelli, & obſerva diſcrimen, quod inter* cultum, invocationem, *& Sanctorum* expoſitionem, *& inter eorum* Veneration*em conſtituitur. Priores colendi rationes repelluntur; Veneratio vero Sanctis adſervatur. Sic habes Carolum M. Lutheranorum partibus prorſus faventem, & Romanæ Eccleſiæ adverſum. Quæ quum ita ſint, palam eſt Fidei confeſſionem in libris Carolinis editam Pontifici quidem diſplicuiſſe, ſed Imperatorem puram Chriſtianorum coluiſſe & habuiſſe fidem. Delituiſſe hos Carolinos libros per longum temporis ſpatium, non miror, quum tot tantiſque inſidiis ipſis interitum parârint Romanenſes. Sed ex ſuis prodierunt receſſibus, auctoribus Auguſtino Steucho, & Joanne Tilio Gallo, quibus nec Pontificii fidem denegare poſſunt. Redeo nunc ad Concilium Francofurtanum, duo potiſſimum ob argumenta inſtitutum. Primum, ut inſaniæ Felicis Urgelitani, & Elipandi, qui divinitatem Ieſu impugnabant, obex poneretur; alterum, ut decreta Concilii Niceni II de imaginum adoratione reſcinderentur.*

8 Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla tuliſti Vir eximie Kieslingi hæc adverſus Trombellium effundens. Sed dic age: Serio ne hæc ſcripſiſti, an per jocum? An neſciebas non ita imperitum eſſe in Veterum libris Trombellium, ut Carolinos libros non legerit? Legit porro ille diligentiſſime, plurimaque invenit, quæ palam oſtendunt *Romanæ Eccleſiæ principiis* ſummum in modum fuiſſe *illum deditum*. Omittamus interea curam quam habuit ille, ut Romanus Pontifex ſummam haberet apud reliquos populos exiſtimationem. Omittamus ea, quæ de amicitia Caroli cum Hadriano copioſe attulit Trombellius (*b*), nec tu diſſimulas: reliqua etiam, omittamus argumenta, quibus facile, ſi volumus, oſtendimus Romanæ Eccleſiæ addictiſſimum fuiſſe Carolum Magnum, atque unum hic afferamus, quod nuper innui; hic autem fuſius exponere placuit.

(a) Pag. 124. (b) Diſſer. X. cap. 13. n. 7.

Digitized by Google

9 Dic mihi Kieslingi: An tibi videtur Romanæ Eccleſiæ principiis minime deditus, qui hæc proferat? *(a) Quod Sancta Romana Catholica & Apoſtolica Eccleſia, ceteris Eccleſiis prælata, pro cauſis fidei, cum quæſtio ſurgit, omnino ſit conſulenda = Cum hic* [Auguſtinus] *cunctis per Orbem conſtitutis ſedibus Apoſtolicas generaliter præferat, multo magis illa omnibus præferenda eſt, quæ etiam ceteris Apoſtolicis ſedibus prælata eſt. Sicut igitur ceteris diſcipulis Apoſtoli, & Apoſtolis omnibus Petrus eminet, ita nimirum ceteris ſedibus Apoſtolice, & Apoſtolicis Romana eminere dignoſcitur. Hæc enim nullis Synodicis inſtitutis ceteris Eccleſiis prælata eſt, ſed ipſius Domini auctoritate primatum tenet, dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Cui non incongrue beati Pauli Doctoris Gentium eſt adtributa ſocietas, ut illius Sanctæ Eccleſia omnino firmaretur auctoritas: quatenus altero ad piſcandas animas electo a Piſcatore, altero ad muniendam Eccleſiam a Perſecutore, ut in altero Dei filii vera confeſſio, in altero appareret Divini Verbi ſacra prædicatio: alteri conceſſerit idem filius claves Regni Cœlorum: alteri clavem aperiendorum legalium verborum, utrique tamen virtute ſignatum, quo alter ad eum crucc, alter gladio pergens, fidelibus arabonem corporalis ſarcinæ relinquentes, & exempli fulgore, & verbi decore, & Sancto cruore ſupradictam Eccleſiam Romanam ei dicarent, quam ſupra ſolidiſſimam Petram fundatam, nec deſcendens pluvia, nec venientia flumina, nec flantes venti ruere compellerent. Hæc ergo Sanctæ fidei ſpiritualibus munitæ armis, & a fonte lucis, & origine bonitatis, ſalutaribus ſatiata fluentis, & horrendis atrocibuſque hæreſum obſiſtit monſtris, & melliflua prædicationis pocula catholicis per Orbem miniſtrat Eccleſiis .... Unde datur intelligi Sanctos & eruditos viros per diverſas Mundi partes, prædicationis & ſcientiæ lampade coruſcantes, non ſolum a Sancta Romana Eccleſia non receſſiſſe, ſed etiam tempore neceſſitatis ad fidei corroborationem ab ea adjutorium imploraſſe. Quod regulariter, ut prafati ſumus, & exemplis docuimus, omnes Catholica debent obſervare Eccleſiæ, ut ab ea poſt Chriſtum ad muniendam fidem adjutorium petant, quæ non habens maculam nec rugam, & portentuoſa hæreſum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat. A cujus ſanctæ, & veneranda communione multis recedentibus, noſtra tamen partis nunquam receſſit Eccleſia, ſed eam Apoſtolica eruditione inſtruente, de eo a quo eſt* omne donum optimum, & omne donum perfectum, *tribuente, ſemper ſuſcepit reverenda chariſmata. Quæ dum a primis fidei temporibus, cum ea perſtaret in ſacrę Religionis unione, & ab ea paulo diſtaret* [*quod tamen contra fidem non eſt*] *in Officiorum Celebratione, Venerandæ memoriæ genitoris noſtri Illuſtriſſimi, atque Excellentiſſimi Viri Pipini Regis cura, & induſtria, ſive adventu in Gallias Re-*

ve-

(a) Lib. I. cap. 6.

verendiſſimi, & Sanctiſſimi Viri Stephani Romanę Urbis Antiſtitis, eſt ei etiam pſallendi ordine copulata; ut non eſſet diſpar ordo pſallendi, quibus erat compar ardor credendi, & quæ unita erant unius Sanctæ legis ſacra lectione, eſſent etiam unita unius modulationis veneranda traditione: nec ſejungeret officiorum varia celebratio, quas conjunxerat unica fidei pia devotio: quod quidem & nos conlato nobis a Deo Italiæ Regno, fecimus, Sanctæ Romanę Eccleſiæ faſtigium ſublimare cupientes reverentiſſimi Papæ Adriani ſalutaribus exhortationibus parere nitentes: Scilicet ut plures illius partis Eccleſiæ, quæ quondam Apoſtolicæ Sedis traditionem in pſallendo ſuſcipere recuſabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur, & cui adhæſerant fidei munere, adhæreant quoque pſallendi ordine: quod non ſolum omnium Galliarum provinciæ, & Germania, ſive Italia, ſed etiam Saxones, & quædam Aquilonaris plagæ gentes, per nos, Deo annuente, ad veræ fidei rudimenta converſæ, facere noſcuntur, & ita Beati Petri Sedem in omnibus ſequi curant, ſicut illo pervenire, quo ille clavicularius extat, deſiderant. Ad quam beatitudinem nos pervenire, & in Sanctæ Eccleſiæ conſortio, & unione ille nos faciat perſeverare, qui Eccleſiam ſuam in Petro dignatus eſt fundare: & ipſo interveniente, cujus Cathedræ ſumus ſequaces, regni cælorum, cujus ille Claviger factus eſt, mereamur effici compotes.

10 Tamen Kieslingius hæc deſumpta non ex aliquo Pontificio recenti Scriptore, ſed ex capite VI libri I inter eos, quos Carolo Magno indubitate tribuit, aut ita imperitus eſt, ut neſciat, aut ita improbus, ut ſciens diſſimulet, & flagitioſiſſimo mendacio Lipſienſibus ſuis imponere ſtudeat.

11 Sed quo ſpectant ſubſequentia Kieslingi [a]? *Illud ipſum Canon XLII confirmat, qui hujus eſt tenoris:* „ Ut nulli Sancti colan„ tur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: Sed „ hi ſoli in Eccleſia venerandi ſunt, qui ex auctoritate paſſionum, „ & vitæ merito electi ſunt. „ *Arrige aures, Trombelli, & obſerva diſcrimen quod inter cultum*, invocationem, *& Sanctorum* expoſitionem, *& inter eorum* venerationem *conſtituitur. Priores colendi rationes repelluntur; Veneratio vero Sanctis adſervatur. Sic habes Carolum M. Lutheranorum partibus prorſus faventem, & Romanæ Eccleſiæ adverſum. Quæ quum ita ſint, palam eſt, fidei Confeſſionem in libris Carolinis editam Pontifici quidem diſplicuiſſe, ſed Imperatorem puram Chriſtianorum coluiſſe & habuiſſe fidem.*

12 O mi Kieslingi mihi hebeti, & minime ingenioſo indulge. Dic, unde Canonem hunc ſumpſiſti? Licet enim Exercitationi huic tuæ fuerit titulus huiuſmodi præpoſitus: *De Concilio Francofurtano ad Mœnum, Nicæno II. oppoſito*; nihil tamen hactenus de eo tradidiſti; ſed ſtatim ea licentia quæ aliquando Poetis tribuitur, ut ſcilicet, quo libet evagentur, *de Carolinis libris*, de quibus tamen nulla extat in titu-

[a] Pag. 127. & 128.

titulo mentio, differere incipis, deque iis usque adhuc disputasti, & deinceps etiam disputas [a]. Novi equidem te Concilia Harduini in paginæ calce allegare; Sed quid si iis caream? Novi etiam te §. VIII monere Concilium Francofordiense Can. 42 tradere, *quinam Sancti sint venerandi*. Sed tuus hic Canon prout a te refertur, exponiturque, vetat Sanctos quoslibet *coli, invocarique, eorumve memoriam agi*. Dic mihi Kieslingi: an dolus aliquis hic latet, & propterea Concilium minime indicas, ne nos possimus in Concilio ipso Canonem, quem tu allegasti, requirere, illiusque sensum investigare? An dolus latet? Latet utique, isque improbus, & flagitiosissimus. Profecto Trombellius, ut pote vir rectus, & fraudis expers Canonem ipsum sincerum attulit [b]; ad hunc modum scilicet. *Nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: Sed hi soli in Ecclesia venerandi sunt, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt*. Attulit vero Trombellius, ut ostenderet Ecclesiam *adhibuisse media, quæ spectant ad dignoscendum, num vere is Sanctus sit, cujus reliquiæ superstant*, & rectissime attulit: facile enim exemplo hoc, aliisque quæ ille adduxit, liquet curasse Ecclesiam, ne pro Sanctis eos colueremus, qui vere Sancti non sunt. Tu vero impudentissime, ac mendacissime detruncatum affers, & vocem *novi* relinquens, quæ *sensum* Concilii exhibet, ita refers, ut primo eruas jussisse Francofordiensem Synodum nullos Sanctos coli: tum quædam discrimina inter cultum Sanctorum, & eorum venerationem inducas, quem non modo Francofordiensis ignorat, verum etiam ignorat quisquis Kieslingius non est. Dum tamen hæc agis, audes scribere: (c) *Arrige aures Trombelli, & observa discrimen, quod inter* cultum, invocationem, *& Sanctorum* expositionem, *& inter eorum* venerationem *constituitur. Priores colendi rationes repelluntur; Veneratio vero Sanctis adservatur. Sic habes Carolum M. Lutheranorum partibus prorsus faventem, & Romanæ Ecclesiæ adversum*. Arrige tu aures Kieslingi; ita enim sapienter disputans, ex eorum numero te prodis, qui aures arrigunt, arrige, inquam, & demum disce nullum hic discrimen afferri inter *cultum* Sanctis delatum, & *venerationem* iis adhibitam. Et cultus, & veneratio, & invocatio, & memoriarum erectio Sanctis temere inductis, a Synodo Francofordiensi interdicitur: cultus, veneratio, invocatio adhibita *Sanctis, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt*, approbatur. Approbantur Ædiculæ in eorum honorem erectæ; nam hoc indicant voces illæ *Memoriæ eorum*. Quid tu vero vocabulis his *Sanctorum expositionem* intelligas, nec ego novi, nec nostra interest perquirere: neque enim voces has in Canone illo, aut in notis aliis ac probabilibus libris invenio.

13 Sed

[a] §. VII. *Delituisse hos Carolinos libros &c.*
[b] Dissert. VIII. cap. XVI. num. 6. pag. 339.
(c) Pag. 128. Exerc. XVI.

Digitized by Google

13 Sed audiamus rursus Censorem nostrum hæc effutientem. *Redeo nunc ad Concilium Francofurtanum, duo potissimum ob argumenta institutum. Primum, ut insaniæ Felicis Urgelitani, & Elipandi, qui Divinitatem Jesu impugnabant, obex poneretur; alterum, ut decreta Concilii Nicæni II de imaginum adoratione rescinderentur. Utrumque in hoc, quod tracto, Concilio esse actum, documenta confirmant. Mihi in primis ea argumenta, quæ de imaginum cultu agunt, excutienda esse video. Tres potissimum huc spectant hujus Concilii Canones, quos excitabo.* Canon II qui Synodum Græcorum de adorandis imaginibus reiicit. Can. XLII qui tradit, quinam Sancti in Ecclesia sint venerandi. Can. XLIII qui de arboribus, & lucis destruendis severa inculcat mandata. *Hæc sunt illa momenta, quæ ad nostrum pertinent scopum. Oppositi sunt, quod verba ipsa declarant, Canones superstitioso Sanctorum, eorumque imaginum cultui, cui ad perniciem usque data hac ætate fuit Ecclesia, quam appellare solemus, Romana. Tertius saltem Canon Gallorum & Saxonum attingit superstitionem, qua sub arboribus & in dissitis lucorum locis sua Sacra peragere consuevere.* Post quæ multa habet de superstitioso variarum gentium ritu colendi Lucos & Arbores; quæ quidem a re nostra sunt remotissima. Tum demum hæc adiicit. *Quem sacra peragendi ritum sub arboribus exterminandum curavit Carolus M. sed nondum prorsus eradicavit, quum Romanenses adhuc in Lucis sua Sacella habeant, & Cruces, arboresque suis donariis exornent, quod historia templi Romani, quod Sanctæ Mariæ de Quercu Sacrum est, demonstrat. Baptista Clavarus Viterbiensis devotus ad superstitionem usque Mariæ cultor, hujus Beatæ Virginis imaginem marmori impressam foraminî quercus in vinea consitæ, & magnæ altitudinis inseruit. Sexaginta & quod excurrit annos hæc Mariæ imago illæsa conspiciebatur, donec editis quibusdam fictis miraculis adeo inclaresceret, & undiquaque ex Africa, & Urbe Constantinopolitana, donaria Mariæ de Quercu mitterentur, templum a Paulo II. ædificaretur, imago ipsa magna cum pompa in locum augustiorem transferretur, & a Societate, quam laniones inierunt, quotannis celebraretur. Quæ consuetudo nondum expiravit. Ex his quæ paucis attingere volui, facile constabit hoc quod Francofordiæ celebratum est, Concilium, Romanæ Ecclesiæ optime opponi posse, sive Carolus M. sive alius quispiam fuerit librorum de imaginibus conditor.* Quàm eleganter, quàm apte, quam vehementer etiam differis Kieslingi mihi fane similimus videris præclarissimo militi illi, qui

. . . . . legiones dissilabat spiritu
Quasi ventus folia, aut panniculam tectoriam.

14 Cur tamen, ut a primo exordiar, Canonem detruncatum tantum affers de Sacris imaginibus agentem: quem quidem Canonem, non dissimulavit, sed explicavit illustravitque jam dudum Trombellius [a]; tum alios duos Canones indicas, qui nihil plane de imaginibus habent: dein-

(a) Dissert. X. cap. XII.

deinceps pro more evagaris, excurriſque in eam ſuperſtitioſam conſuetudinem, quam multæ ſervabant gentes ſilvarum, & arborum cultui deditiſſimæ. *An hoc eſt argumenta excutere, quæ de Imaginum cultu agunt?* Peream,

Perjuriorem hoc hominem ſi quis viderit
Aut gloriarum plenioremˌ quam illic eſt.

Cur tam multa Kieslingi, quæ nihil attinent ad argumentum? An his ſtudes erudituli famam, nomenque aſſequi? Aſſequere ut libet: modo noveris ex eorum te eſſe numero, qui

Delphinum ſilvis appingunt, fluctibus aprum.

15 Tu tamen ad argumentum, quod agimus, pertinere putas, quod extremo loco affers his verbis: (*a*) *Quem ſacra peragendi ritum ſub arboribus exterminandum curavit Carolus M. ſed nondum prorſus eradicavit, quum Romanenſes adhuc in lucis ſua ſacella habeant*, & reliqua, quæ nuper attuli.

16 Ego porro hæc ineptiſſima reor, quin & falſa prorſus. In ſilvis &; locis arboribus conſitis interdum ſacras ædes erigimus. At cui dicatas? An iis Numinibus, quibus dicatas fuiſſe teſtantur Lucani, Tibulli, Ovidii, quos tu affers, verſiculi? Nihil minus. Uni Deo, licet interdum in *Sanctorum nomine* dicatas. At ſacras ædes in Sanctorum nomine erigere nihil vetat, quod tum ex aliis, tum certe ex Trombellio diſcimus (*b*). An tibi diſplicet, quod Cruces in arboribus erigamus? At certe Cruces erigere in loco honeſto, & valde antiqua, nec minus pia conſuetudo eſt: quod non temere aio, ſed iis innixus rationum momentis, & veterum teſtimoniis, quæ collegit Trombellius Capite I ſectionis III (*c*) Appendicis *de Cruce*. Donariis vero ſi quis forte ornat arbores, ut Cruci ea oblata ſignificet, aut Sancto alicui, rem piam agat; quis enim vetat, ne Chriſto ſigno crucis denotato donaria offeramus; aut ea offeramus Sancto alicui, præſertim ſi id fiat teſtificandi beneficia, quæ impetravimus, cauſa? An demum tibi diſplicet, quod Sacras ædes extra Urbes erigamus? An in Urbibus tantum Deum coli finis, & Sanctis æqua deferri obſequia? Sane in iis ipſis Eccleſiæ ſæculis, quæ tu impolluta judicas, ipſis ſcilicet antiquiſſimis, id fiebat. Vis manifeſta exempla a me afferri? Ecce illa tibi. Ædicula Martyris Symphoriani reliquiis ſervandis erecta eſt ſane proxime poſt Martyrium illius, eamque in honore fuiſſe verba hæc actorum S. Symphoriani teſtantur. (*d*) „ Sic martyr delatus ad fon„ tem, qui extra publicum campum eſt, & ibi in parva cellula ſe„ pultus, ſemper tamen virtutibus ſe publicavit, ita ut ipſis quoque „ gentilibus ob miracula & ſanitatum beneficia ſtupentibus, in maximo „ honore ea tempeſtate haberetur. „

17 In

[*a*] Pag. 130. [*b*] Differt. VI. cap. 40. & ſequentibus.
[*c*] §. VII. pag. 332.
[*d*] n. 8. pag. 71. editio Veronen. Ruinart.

17 In Actis etiam S. Saturnini hæc occurrunt (*a*). „ Manſit quidem „ aliquandiu ſub vili ceſpite, omnibus quidem inhonorum, ſed ho„ noratum adeo martyris corpus, donec S. Hilarius poſt multum „ temporis in Toloſana Urbe Epiſcopus ordinatus, de anteceſſoris ſui „ obitu inſtructus, & merito, effoſſa uſque ad ipſum ſepulcrum li„ gneum terra, ſanctas veritus commovere reliquias, tranſvolutionem „ deſuper multo latere diligenter extruxit, baſiliculam etiam admo„ dum parvulam vilibus lignis ad locum tantum orationis adjecit; „ abſcondendo videlicet Martyris corpus, ne perfidi homines effoſ„ ſum eum deriperent. „

18 Ceterum ego minime aſſequor, quod tu narras de *Templo Romano*, quod *S. Mariæ de Quercu* appellatur. An Romæ illud erectum eſt? An quoniam tu de Ædiculis in lucis, ideſt in ſilvis ſeu nemoribus diſſeris, Romæ erectum vis? Sed ſane quodcumque illud fuerit, & quocumque tu volueris loco, &, ſi vis, Romæ ſimul, & in nemore aliquo erectum; nemo te intelliget, cum hæc narras [*b*]: *Sexaginta & quod excurrit annos hæc Mariæ imago illæſa conſpiciebatur, donec editis quibuſdam fictis miraculis adeo inclareſceret, ut undiquaque ex Africa, & Urbe Conſtantinopolitana donaria Mariæ de Quercu mitterentur, templum a Paulo II ædificaretur, imago ipſa magna cum pompa in locum auguſtiorem transferretur, & a Societate, quam lanionei inierunt, quotannis celebraretur.* Quid denotent illa *Sexaginta, & quod excurrit annos*, tu ſcieris: ſed profecto non ſcies, quomodo *ante annos ſexaginta, & quod excurrit* vixerit Paulus II, qui anno 1471 mortuus eſt.

19 Poſtrema porro tua monita; nimirum: *Ex his quæ paucis attingere volui, facile conſtabit, hoc quod Francofordiæ celebratum eſt, Concilium Romanæ Eccleſiæ optime opponi poſſe, ſive Carolus M. ſive alius quiſpiam fuerit librorum de imaginibus conditor*: quam præclarus ſis logicus, apertiſſime oſtendunt. An paucis attigiſti, quod copioſe diſputaſti? An pauciſſima, eaque detruncata ex Francofurtenſi delibans, plurimaque intermiſcens, quæ ad rem nihil attinent, oſtendiſti, Francofurtenſe Concilium Romanæ Eccleſiæ opponi, ſive Carolus M. ſive alius quiſpiam fuerit *librorum de imaginibus* conditor? Minime vero. *Non oſtendiſti* (ſine me Auguſtini vocibus te alloqui) [*c*] *non oſtendiſti* (inquam) *quod te oſtendiſſe inaniter jactas*,

(*a*) n. 6. pag. 111. editio Vero. Ruinart. (*b*) Pag. 130.
(*c*) Oper. Imperfc. contra Julia. lib. IV. cap. 31.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM XVII.

Cui præponitur titulus *de Leone Armeno*.

ET AD EXERCITATIONEM XVIII.

Quæ eſt *de Michaele Balbo*, *& Theophilo*.

CAP. I.

1 AN non ſatis tibi fuit Exercitatione XII dilacerare Trombellium, quod Armenum ſcripſerit, quando *Iſauricum* ſcribere debuiſſet, ut hic rurſus dilaceres, illumque moneas Leonem Iſauricum cum Armeno confudiſſe [*a*]? Quid ad tuam accuſationem reſpondendum ſit, antea dixi: (*b*) neque vero opus eſt, ut jam tradita repetam. Leonis porro Armeni defenſionem perperam aggrederis, eumque immerito *improbum* appellatum ais. Scilicet *Iſauricum*, quod crebro dixi, denotare hic voluit Trombellius, iſque *improbus* omnino dicendus eſt. De Armeno vero Trombellius ſiluit, quippe non omnes omnino, ſed præcipuos tantum ſacrarum imaginum hoſtes recenſere ſtuduit. Dum autem Scriptori incerto a Trombellio allegato te non conceſſurum ais, ſcilicet juſſiſſe illum Chriſti imaginem conculcari, & luto conſpurcari (*c*), multum erras; ac primo quidem erras, dum *Auctorem ignotum* a Trombellio allegatum ais. Num ignotus auctor eſt tibi Cedrenus expreſſe proprio nomine appellatus, & ita diligenter allegatus, ut ejus quoque paginæ citentur in margine? = *Quid quod Cedrenus de Leone* = *Idem Cedrenus de Conſtantino*: ſecundo erras, dum Trombellium de Leone Armeno dixiſſe ais, quod expreſſiſſime & nominatim de Conſtantino Copronymo narrat. *Idem Cedrenus de Conſtantino Copronymo ..... hæc eloquitur .....*: tertio erras, dum ais narraſſe Trombellium *imaginem Chriſti male tractandam, & luto commaculandam demandaſſe*. Hæc de Copronymo ex Cedreno deſumpſit Trombellius. *Atque adeo univerſali edicto vetuit, ne quis in univerſum ſervorum Domini Sancti titulo cohoneſtarentur: quin immo conſpui* (Hoc porro verbum quod in latina Cedreni interpretatione Trombellius reperit, aptius verti poſſe *conculcari*, aut *proteri* putavit) *eorum reliquias juſſit inventas, prohibuitque eorum interceſſionem poſtulari, quod eos nihil poſſe dice-*

(*a*) *Quem, ut ſupra demonſtravi, cum Leone Iſauro confundit*. pag. 130.
(*b*) Ad Exercit. XIII. pag. 109.
[*c*] *Illud tamen incerto hiſtoriarum Auctori, qui ibidem excitatur, nondum conceſſerim Imperatorem imaginem Chriſti male tractandam, & luto commaculandam demandaſſe*. Kiesl. pag. 131.

Digitized by Google

diceret: atque addidit ſceleſtus, Mariæ quoque Virginis interceſſionem non eſſe implorandam, nihil enim præſtare poſſe. Ubinam habes hic Kieslingi, quod de Chriſti imagine luto fœdata a Trombellio narrari ais? Hæc monui non quo putem Copronymum in honore habuiſſe imaginem Chriſti: didici enim, ut alios præteream, a Trombellio [*a*], ipſam Chriſti imaginem Epiſcopis Iconoclaſtis Copronymi voluntati obſequentibus diſplicuiſſe): ſed ut conſtet, quantum fidendum Kieslingio ſit, ſive ille Theologum, ſive hiſtoricum agat.

2 Sed jam iis omiſſis, quæ adverſus Monachos, & Theodorum Studitam obſtrepis, neque enim cuncta perſequi eſt opus in viro quem ſæpe ira rapit, ac Lutheranæ cauſæ tuendæ intemperans ardor; expendenda ea ſunt, quæ in Exercitatione XVIII de Michaele Balbo, & Theophilo prodis. Queritur de Trombellio Kieslingius, quod nimis *laxe* (id eſt mitiſſime) de his duobus Imperatoribus ſenſerit [*b*]. Cur porro? Quia Iconoclaſtas fuiſſe fatetur, ſed tamen mitiores; quippe qui *interceſſiones & interpellationes inviolatæ dominatricis noſtræ Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum poſtulaverunt* (*c*); idque probat ex ea Epiſtola, quæ præpoſita eſt *Synodo Pariſienſi de Imaginibus*, cum Leo Iſauricus & Copronymus Mariæ Sanctiſſimæ, & reliquorum Sanctorum interceſſiones aperte contemnerent (*d*). An non *mitiores* appellari ii debent, qui minus errant? Sed Kieslingius, qui minime ſtudet *conſtans ſibi eſſe*, ſtatim, & in eadem ipſa pagina Trombellium accuſat, quod nimis rigidus horum Imperatorum cenſor ſit. An non vera narro? Audite Kieslingium ipſum. *Breviter ea quæ adduxi monenda, & novis commentationibus illuſtranda reor, ne nos tacendo, Venerabili Abbati* nimis rigido horum Imperatorum cenſori *victas manus tradidiſſe forte quis exiſtimet.* At quas commentationes Kieslingius attulit? Docet minus intemperanter in imaginum cultores egiſſe hos Imperatores, neque eos ita immaniter fuiſſe inſecutos, ut inſecuti eos ſunt Iſauricus, & Copronymus. Sed hoc ipſum indicaverat Trombellius, dum *mitioribus Iconoclaſtis* eos annumerarat. In Sacrarum imaginum artifices & defenſores invehitur, eoſque dicit lucrum quærere ex imaginibus, item ut ii de quibus Juvenalis:

...Pictores quis neſcit ab Iſide paſci?

enumerat dona ab iis ad Pontificem Romanum miſſa, & ut livorem ſuum atque odium adverſus Romanum Pontificem detegat, hæc adjungit: *Rerum non inſcii Benedictum III. delectari imaginibus, & rebus pretioſis, ut ſunt ingenia Petri ſucceſſorum, qui non Petri retia, ſed Judæ loculos amant, mijerunt donum per Lazarum Monachum, & pictoris artis nimie eruditum, Evangelium de auro puriſſimo, cum diverſis lapidibus pretioſis. Addiderunt Calicem gemmis ornatum, & alia munera a Pontifice haud ſpreta.* Ecce *novæ Commentationes* Kieslingii: tam novæ ſcilicet, quam præclaræ.

[*a*] Diſſert. IX. cap. II. §. XIV. pag. 11. (*b*) *Nimis laxe ſentit de his Imperatoribus Ven. Abbas* pag. 133. (*c*) Tromb. pag. 56. (*d*) Idem Pag. 57.

AD EXERCITATIONEM XIX.

Quæ inſcribitur *De Epiphanio Iconoclaſta.*

ET AD EXERCITATIONEM XX.

Quæ inſcribitur *de Sereno Maſſilienſi.*

CAPUT I.

1. ET audes Kieslingi, Exercitationem hanc tuam adoriri ad hunc modum? *Sicco plane præterit pede Ven. Abbas ea, quæ de Epiphanio, & Sereno Maſſilienſi ad noſtram pervenere ætatem. Studioſe in hiſtoriam Iconoclaſticam inquirens, ſciens ſane dubio hos duumviros omiſit. Vel rem actam eſſe negat, vel nobis perſuadere intendit Epiphanium, & Serenum minime Iconoclaſtis eſſe annumerandos. Expendenda eſſe putavi hæc duorum virorum facta, laude digniſſima. Primo de Epiphanio agam, deinde Sereni hiſtoriam perſequar. Omne animi vitium, ut tritum eſt ſermone proverbium, tanto eſt conſpectius in ſe, quanto major eſt, qui peccat, habetur. Quid inde mirum, multos Eccleſiæ Præſules in heroicum Sancti Epiphanii factum oculos conjeciſſe, imo illud torvo aſpexiſſe vultu, & Epiphanium albo Iconomachorum adſcripſiſſe. Deſcribit S. Epiphanius ſuam, ad locum Sanctum Bethel, iter, & quæ ipſi evenerunt, enarrat.* „ Quando ſimul, „ *inquit*, pergebamus ad Sanctum locum &c. „ Tempero juſtam iram, ne videar tecum contumeliis, jurgiiſque velle contendere; & amice te alloquor. Accuſatione hac tua perſpicue oſtendis, neſcire te, de quo diſputemus, & ut libere Scholaſticorum locutionibus utar, neſcire *ſtatum ipſum quæſtionis*. In Diſſertatione II, adverſus quam ſcribis, ſtatuit Trombellius hoſtes cultus Sanctis adhibiti recenſere: minime vero eos qui ſacris imaginibus ſunt averſati. Quis porro Epiphanium, quis Serenum inter eos recenſeat, qui Sanctos colere recuſarunt?

2 Quod ſi Iconoclaſtarum mentio a Trombellio facta eſt, propterea ab eo facta eſt, ut noſcat Lector, duo eorum fuiſſe genera; aliqui enim Sanctos ipſos, eorumque reliquias colere recuſarunt, eoſdemque Sanctos apud Deum pro nobis intercedere negarunt; mitior vero erat aliorum pariter Iconoclaſtarum ſententia: iis ſcilicet imaginum cultus diſplicebat, ſed non propterea Sanctis ipſis venerationem adimebant, aut eos apud Deum ſuis precibus nos adjuvare negabant. Qui Trombellii ſcripta legerit, (*a*) vera hic a me tradi fatebitur.

3 At

(*a*) Pag. 56, & 57.

3 At quamvis hic de Iconoclaſtis agere omiſerit Trombellius, non tamen de iis agere omiſit, quum argumentum ſibi propoſitum id poſcit. Nimirum in ipſo fere initio Diſſertationis IX, Capite ſcilicet ſecundo ſacrarum imaginum hoſtes recenſuit: in eo vero Epiphanii nomen minime invenies, quod Iconoclaſtis eum minime accenſet. Ceterum objectionem, quæ ex velo ab eo ſciſſo deſumitur, nec reticuit, nec perfunctorie diſſolvit, ſed accurate, ſed valide, ſed laudabiliter, ea etiam addens [adeo candidus ille eſt, eruditus adeo] ea, inquam, addens, quæ tu omnium doctiſſimus neſcis, ideoque non affers. Conſule Kieslingi, conſule Caput LXXI Diſſertationis IX. videbiſque diſſoluta plane quæ obiicis. *Ea lege, & intellige, & noli tibi, ne intelligas, tumultu loquacitatis obſtrepere.* [*a*] Temere porro, &, quod ſæpe facis, falſo Fleurium allegas, quaſi ille dixerit, fregiſſe Epiphanium velum illud, quod ceteris epiſcopis erat ille religioſior (*b*). Fleurius haud obſcure innuit, dubitare ſe, num hæc epiſtolæ portio tribuenda ſit, an non Epiphanio: tum monet, ceteris epiſcopis *ſcrupuloſiorem* fuiſſe Epiphanium, ſi re vera eam, de qua agimus, epiſtolæ portionem illi adſcribimus. An *ſcrupuloſus* idem eſt tibi, ac *Religioſus*, cum vox hæc *ſcrupuloſus* hominem *minus recte metuentem* indicet: ſignificationem vero præſtantiſſimam habeat vox *Religioſus*. Docet denique compulſum fortaſſe fuiſſe ad velum illud ſcindendum (ſi ſcidiſſe illud volumus) propterea quia ſcandalum inde excipere poterant Judæi, quorum in iis regionibus non modicus erat numerus: „ Si cette partie (*inquit Fleurius* „ *in eo ipſo quem tu allegas loco* [*c*]) de la lettre eſt veritablement „ de Saint Epiphane; il faut avoüer, qu'il étoit en ce point plus „ ſcrupuleux que les autres évêques. Car l'uſage des peintures dans „ les égliſes, étoit reçû en Orient et en Occident: comme il paroît „ par Saint Gregoire de Nyſſe, par Prudence, et par Saint Paulin, „ écrivant dans le meme tems. Et il eſt fait mention d'une peinture ſemblable ſur un rideau, expoſé dans une égliſe: au livre „ des miracles de Saint Etienne, compoſé par ordre d'Evodius „ évêque d'Uzale ami de Saint Auguſtin. Toutefois les uſages des „ égliſes pouvoient etre differens en ce point; & le grand nombre „ des Juifs, qui habitoient en Paleſtine, pouvoient obliger à uſer „ des images avec plus de retenuë, pour ne les pas ſcandaliſer ſans „ neceſſité.

4 Ve-

[*a*] Auguſt. Ope. imperfecti contra Julia. lib. IV. cap. 34.

(*b*) *Fidem rei non denegat Ven. Fleurius, ſed ſuo ſuffragio confirmat, id tantum in Epiphanio reprehendens, quod ceteris Epiſcopis fuerit religioſior, quum picturas, & imagines, quas in Oriente & Occidente illi admiſerint, Epiphanius reiecerit.* Exercit. XIX. pag. 135.

(*c*) pagina 632. tomi IV.

4 Venio jam ad Exercitationem XX. quam inſcribis *De Sereno Maſſilienſi*. An verebaris, Kieslingi, ne Trombellius omitteret, quod de Sereno Maſſilienſi diſcimus ex Gregorio Magno? Non omiſit ſane vir diligens, & fraudis expers, neque enim illorum imitatur exempla, qui difficultates evitaſſe ſe putant, dum ne illarum quidem mentionem faciunt. Serenum hic omiſit [quod jam dixi] quod Sanctorum cultum omnino non eſt averſatus Serenus. Quod ſi ſacras imagines is aliquando confregit, quod putaret imagines ipſas a populo coli, recte ne, an ſecus id egerit, aſſequeris ex eodem Trombellio Capite XI. Diſſertationis X. (*a*) Ceterum de Sacrarum imaginum hoſtibus diſſerens, Serenum non præteriit, [*b*] temporis tamen, quo ille vixit, & chronologiæ rationem ſervans, quod tu cuncta permiſcens neque hic facis, nec alibi facere ſoles. Ex eo vero, quod nuper allegavi, Diſſertationis X. Capite II. facile, ſi ſapis, aſſequeris, num ſacras imagines coli vetuerit Gregorius Magnus. Non eſt porro cur de antiquitate cultus imaginibus adhibiti diſputationem hic inſeras. Egit eo de argumento copioſe, & caute Trombellius Capite II. Diſſertationis X. atque ad hunc quidem locum Lectorem allego.

5 Nolo tamen hic præterire inſigne mendacium, quod imponere nobis ſtudet candidiſſimus noſter cenſor. Docet ſcilicet Fleurium turpiſſimæ *ſuperſtitionis notam* in ſacris imaginibus colendis agnoviſſe, & palam edixiſſe. [*c*] Tamen Fleurius nihil horum dicit, ſed

---

[*a*] Pag. 46. & ſeq.

[*b*] Diſſert. IX. cap. II. n. 13. pag. 10.

(*c*) *Suaſit* (de Sereno loquitur Kieslingius) *officii, quod ſuſtinuit, ratio, ut ſuperſtitioni plebis mederetur, quum hæc cæca hominum pectora nubem pro Junone, picturas & imagines Sanctorum in parietibus expreſſas aut in lucis expoſitas ſumma animi veneratione pro Diis, aut ſumma auctoritatis apud Deum adminiſtris, & internunciis, adorarent. Quam ſuperſtitionis notam Ven. Abbas Fleurius non inficiatur.* Exercitation. XX. pag. 140.

(*d*) „Cette année 599. ſaint Gregoire envoia en Gaule Cyriaque Abbé de ſon „ Monaſtere de Rome, pour faire tenir un Concile. Comme il devoit „ paſſer à Marſeille, il le recommanda à l' Eveque Serenus, à qui „ il dit dans le meme: J' ai apris il y a long tems, que voiant quel„ ques perſonnes adorer les Images de l' Egliſe, vous les aviez bri„ ſées & jettées dehors. Je louë vôtre zéle, pour empêcher que ce „ qui eſt fait de main d' homme, ne ſoit adoré; mais je croi que „ vous ne deviez pas briſer ces images. Car on met des peintures „ dans les Egliſes, afin que ceux qui ne ſavent pas lire voient ſur „ les murailles ce qu' *ils* ne peuvent apprende dans les livres. Vous „ de-

ſed tantum id narrat, quod egerat Serenus, quidve illi repoſuiſſet Gregorius Magnus, gallica lingua id exhibens, quod latina tradiderat Gregorius Magnus [d].

AD

„ deviez donc les garder: & detourner le peuple de pecher en ado-
„ rant les peintures. Ces images étoient apparemment ſur des bois,
„ comme la plus part des anciens tableaux. Serenus ne ſe rendit pas
„ à cette lettre, & ecrivit à Saint Gregoire, comme doutant qu'
„ elle fût de lui. Sur quoi Saint Gregoire lui répondit l'année ſui-
„ vante 600 au commencement de l'indiction quatrieme. Vous ne deviez
„ avoir aucun ſoupcon de l'Abbé Cyriaque, qui etoit porteur de
„ mes lettres. Et enſuite parlant des images, qu'il avoit briſées:
„ Dites-moi mon frere? quel Evêque avéz vous jamais ouï dire, qui en
„ ait fait autant? Cette ſeule conſideration ne devoit-elle pas vous
„ retenir afin de ne paroitre pas ſeul pieux & ſage, au mepris de
„ vos freres? Et en ſuite: On dit qu'en briſant ces images vous avez
„ tellement ſcandaliſé vôtre peuple, que la plus part s'eſt ſeparé de
„ vôtre communion. Il faut les appeller & leur montrer par l'Ecri-
„ ture Sainte, qu'il n'eſt pas permis d'adorer ce qui eſt fait de
„ main d'homme. Puis ajoûter, que voiant l'uſage legitime des
„ images, tourné en adoration, vous en avez été indigné, & les
„ avez fait briſer. Vous ajoûterez: Si vous voulez avoir des images
„ dans l'Egliſe, pour vôtre inſtruction, pour la quelle on les a fai-
„ tes anciennement, je vous le permets volontiers. Ainſi vous les
„ adoucirez, & les ramenerez à l'union. Si quel qu'un veut faire
„ des images, ne l'empechez pas: defendez ſeulement de les adorer.
„ La vûe des hiſtoires doit exciter en eux la compunction: mais ils
„ ne doivent ſe proſterner que pour adorer la Sainte Trinité. Je
„ vous dis tout ceci pour l'amour que j'ai pour l'Egliſe; non pour
„ affoiblir vôtre zéle, mais pour vous encourager dans vôtre devoir.
Tom. VIII. pag. 227. edit. Pariſ.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM XXI.

Cui hic apponitur titulus: *de Claudio Taurinenſi*.

CAPUT I.

1 QUis fuerit Claudius ille, quem *Taurinenſem* dicimus, norunt omnes, neque te doctore egemus Kieslingi. Egit de eo ſatis Trombellius tum Capite VI. §. VI Diſſertationis II, tum etiam Capite II Diſſertationis X (*a*). Illius opiniones dum recenſes, argumenta recenſes, quibus & tu, & Proteſtantes reliqui innituntur, ut ſacrarum imaginum cultum reprobent. Quoniam Trombellii auctoritatem contemnis inter Sanctorum, cultuſque iis adhibiti hoſtes recenſentis Claudium, neque ejuſdem Trombellii dicta, locaque Claudii ab eo allata referre vis, cur non loca Claudii affers Kieslingi, quibus id comprobes quod tu dicis? An tibi tantum, an Centuriatoribus tuis fides habenda eſt? Scito tamen Kieslingi, te hominem diligentiſſimum atque accuratiſſimum, dum Claudii opiniones ſingillatim recenſes, id omiſiſſe, quod non omiſit Trombellius; ſcilicet peregrinationes, quæ pietatis cauſa ad Romanam Urbem inſtituerentur, ab eo fuiſſe irriſas = *Ego enim iter illud* (ad Romanam Urbem inſtitutum) *non approbo &c.* (*b*) Sed non in eo tantum loco tuam diligentiam deſideramus Kieslingi. Tu dicis a Claudio (*c*) *impugnatam fuiſſe autoritatem Romani Pontificis*: idque apparere ex Epiſtola *ad Theodomirum, qui & Theutmirus appellatur, Abbatem*. Quid ſi negem? Nego vero, & pernego: legi enim eam Epiſtolam, & nihil in ea inveni, quod Romani Pontificis auctoritatem impetat. Neque porro neceſſe erat ea, quæ ex Jona Aurelianenſi profers, hic deſcriberes: notiſſima enim ſunt; & Jonam Aurelianenſem Trombellius legerat, & allegarat: [*d*] Legi etiam ego, & allegarem, niſi viderem ſciri hæc ab omnibus, & notatos eſſe jam dudum ex Jona Aurelianenſi, aliiſque Scriptoribus Claudii errores.

2 Tu hæc deinceps adiicis (*e*): *Boſſuetus quidem Meldenſis aſſerit, Claudium Taurinenſem fuiſſe Arianum, & diſcipulum Felicis Urgelitani quin immo Neſtorianum.... ſed utraque calumnia de Arianiſmo & Neſtorianiſmo facile concidit, quum nulla hujus rei in libris Claudii Taurinenſis, quos recenſet Oudinus, fiat mentio.* Sed ſine Kieslingi mi, te amice interpellem. Videris ſane, dum hæc ſcribis, infantiſſimus, & plane neſcire, in quo ſita eſſet Felicis Urgelitani hæreſis, quidve ea admiſſa ex eadem infer-

(*a*) §. XVII. [*b*] Videantur ea Claudii loca, quæ hic attulit Trombellius: *pag.* 58. [*c*] Kieslingius. pag. 141.
(*d*) Diſſert. IX. cap. 2. §. 17. pag. 12. (*e*) pag. 143.

Digitized by Google

ferretur: In hoc ſita erat hæreſis Felicis Urgelitani, ut Chriſtum Filium Dei adoptivum eſſe vellet, non naturalem. Ea vero hæreſis tum aliis quidem argumentis, tum ex eo etiam impetebatur, quod ex poſita, ſequeretur Verbum non fuiſſe Patri conſubſtantiale, nam cum Verbum utpote dignius, perſonam Chriſti conſtituat, ſi adoptivus eſt Chriſtus, ſequitur, ut conſubſtantiale Patri non ſit Verbum, quod ejuſdem Chriſti perſonam conſtituit. Et en hæreſis Ariana conſequens ex Felicis Urgelitani ſententia. Neſtoriana quoque hæreſis ex eadem conſequitur. Si enim adoptivus filius eſt Chriſtus, cum aliunde negari non poſſit Divinum Verbum eſſe Patri conſubſtantiale, & filium illius naturalem, plane ſequitur, ut filius qui adoptivus eſt, non non ſit ille idem, qui naturalis. En itaque aſſumptio illa poſterior, quam inducere volebat Neſtorius, duoque illi filii in unam tandem Chriſti perſonam coeuntes, quos idem Neſtorius admiſit. Arianus itaque, Neſtorianus quoque ille erat, qui Felicis Urgelitani opinionem amplectebatur, docentem ſcilicet Chriſtum filium Dei adoptivum. Itaque ſi Claudius Taurinenſis Felicis Urgelitani opinionem amplexus eſt, Arianus, Neſtorianus quoque merito dici ille poterit. Porro ex probatis ſcriptoribus aſſequimur Felicis Urgelitani diſcipulum fuiſſe illum, ac peſſimi Magiſtri erroribus adhæſiſſe.

3 Hæc ſcires plane Kieslingi mi, ſi quid theologiæ, ſi quid hiſtoriæ ſacræ ſcires, noſtroſque Scholaſticos ipſos, ſane non malos conſuleres. Ineptiſſima eſt autem defenſio illa tua, qua Claudium ab hæreſi Ariana, ac Neſtoriana vindicare ſtudes. Dic mihi. An ſcis cunctos Claudii libros fuiſſe ab Oudino enumeratos? An non potuit aliquos præteriiſſe, quos ſcripſerit Claudius, nobiſque eripuerit vetuſtas temporis, aut qui inediti adhuc latent? Profecto a viris præclaris didici inter codices Capituli Piſtorienſis reperiri ea, quæ ſuper *Libros Regum* ſcripſerat Claudius. Fac tamen cunctos ab eo fuiſſe enumeratos. Unde ſcis illius errores non fuiſſe illius Opuſculis interſperſos, atque in libro, qui apertam hæreſim non haberet in fronte, non fuiſſe traditos, ut tutius evulgarentur? Sed fac etiam [vide quam comis ſim] fac, inquam, nullos fuiſſe ab eo conſcriptos libros, in quibus errores ſuos inſeruerit. An propterea eorundem errorum expers fuit? Minime vero, ſi aliunde conſtiterit, iiſdem erroribus adhæſiſſe. Conſtat autem ex Jona Aurelianenſi revera Claudium Felicis Urgelitani erroribus adhæſiſſe (a). An omnes hæretici ſcriptis errores ſuos mandant, an non potius plurimi ex iis cavent ne ſcriptis prodant, vel ut Eccleſiæ condemnationem evitent, vel [alias affines ob cauſas? Vide itaque Kieslingi mi, quam merito Boſſuetium diſtringas, & quam male Claudium Taurinenſem ab *Arianiſmi*, & *Neſtorianiſmi* accuſatione vindices.

(a) Vide præfation. *Jonæ Aurelian. adverſus librum Claudii*.

4 Tu etiam narras Boſſuetium collocare Claudium Taurinenſem inter Proteſtantium anteceſſores, propterea quia ſacras imagines fuerit averſatus: *Boſſuetus quidem Meldenſis* (*Epiſcopus* addendum eſt, ut puto) *Claudium Taurinenſem . . . . ex eo quod dejecerit imagines, eum inter Proteſtantium non ultimum occupare putat locum.* [*a*] Tam inepta non tradit Boſſuetius, ſed eos Proteſtantes irridet, qui hæc tradunt, oſtenditque, quibus incommodis ſubdantur, quoſve anteceſſores cogantur agnoſcere, ſi inter anteceſſores recenſere eos omnes volunt, qui ſententiam eorum aliquam tradidere. An Gallicam linguam calles? Cur non, quoniam anglicam, hebream, græcam callere te jactitas? En itaque quænam ſcripſerit Boſſuetius eo ipſo, quem tu allegaſti, loco, [*b*] „ Ce qu' ont entrepris nos Réformez, pour ſe donner des „ prédeceſſeurs dans tous les ſiécles paſſez, eſt inoüi. Encore „ qu' au quatrieme ſiécle le plus éclairé de tous, il ne ſe ſoit „ trouvé qu' un ſeul Vigilance qui ſe ſoit oppoſé aux honneurs des „ Saints, et au culte de leurs reliques, il eſt conſideré par les „ Proteſtans comme celuy qui a conſervé le dépoſt, c' eſt-à-dire, „ la ſucceſſion de la doctrine Apoſtolique; et il eſt préféré à Saint „ Jéroſme, qui a pour luy toute l' Egliſe. Aérius par cette raiſon „ devoit auſſi eſtre regardé comme le ſeul que Dieu éclairoit dans „ le meſme ſiécle, puis que ſeul il rejettoit le ſacrifice qu' on „ offroit par tout ailleurs, & en Orient comme en Occident, pour „ le ſoulagement des morts. Par malheur il eſtoit Arien, et on a „ eû honte de compter parmi les témoins de la vérité un homme „ qui nioit la divinité du Fils de Dieu. Mais je m' étonne qu' on „ n' ait point paſſé par deſſus cette conſideration. Claude de Turin „ eſtoit Arien, et diſciple de Felix d' Urgel, c' eſt-à-dire, Neſtorien „ rien de plus. Mais parce qu' il a briſé les images, il eſt compté „ parmi les prédécéurs des Proteſtans.

5 Sed æque falſa ſunt, quæ de Dupinio ais. *Dupinius* (inquis) *confirmat hunc librum* (Claudii) *gaudere argumentis ſatis firmis & validis, nec minus rationibus acuminis, & ſubtilitatis plenis.* Non ineptit, uti eum ineptire tu vis, Dupinius, neque tam inſulſa ſcripſit, ut tu ſcripſiſſe ais. Quis enim, niſi Kieslingius ſit, agnoſcat Claudii *rationes acuminis, & ſubtilitatis plenas?* En quid de illo tradit in eo ipſo quem tu deſignas, loco; ideſt pag. 3 tomi VII. Bibliothecæ Auctorum Eccleſiaſticorum. „ En Occident Claude Clement Prêtre „ Eſpagnol diſciple de Felix d' Urgel, et enſuite Evêque de Turin, „ imitant la conduite qu' avoit autrefois tenüe Serenus Evêque de „ Marſeille, s' aviſa non-ſeulement de refuſer d' honorer les Ima„ ges, mais auſſi voulut les ôter des Egliſes de ſon Dioceſe, et „ étendit ſa preſomption juſques à vouloir abolir la Croix. Theo-

„ de-

(*a*) Kiesling. pag. 145.

[*b*] ſcilicet n. 1. lib. XI. pag. 60. Tomi II. editionis Pariſienſis.

„ demire Abbé, ſuivant la doctrine qu' il attribuoit à Saint Gre-
„ goire, deſaprouva la conduite de cet Evêque, étant perſuadé qu'
„ on devoit retenir l' uſage des Images ſans les adorer. Il lui écri-
„ vit une Lettre pour l' exhorter à changer de conduite, & de do-
„ ctrine. Claude de Turin au lieu de ſuivre un conſeil ſi ſage, fit
„ une Apologie, ou plûtôr un long écrit contre lui, et contre l' uſage
„ des Images, dont nous n' avons que des extraits raportez par Jonas
„ d' Orleans, et par le Moine Dungale, qui écrivirent contre lui;
„ par les quels il paroît que ce Traité étoit écrit d' une maniere
„ fort vive, et fort ſerrée, pleine d' eſprit et de ſubtilité. „ An
„ verba hæc, ad quæ reſpicit, ut puto, *Kieslingius*, *rationes* Clau-
„ dii notant, an non potius ſtylum?

Proſequitur vero idem Dupinius hæc de eodem Claudio tra-
dens „ Cet écrit de Claude Evêque de Turin aiant été apporté à la
„ Cour de Louïs le Debonnaire, ce Prince le fit examiner par les
„ plus habiles gens qu' il avoit auprés de ſoi, qui le trouverent
„ fort mauvais. Il en envoia un Extrait à Jonas Evêque d' Orleans
„ avec ordre de refuter les fauſſetés & les erreurs qu' il contenoit.
„ Jonas comença cet Ouvrage; mais Claude de Turin étant mort,
„ il n' avoit tenu compte de l' achever croiant que ſon erreur
„ ſeroit enſevelie avec lui. Neanmoins aiant appris qu' il avoit auſ-
„ ſi laiſſé des écrits qui renouvelloient l' erreur d' Arius, et que
„ ſa doctrine ſe répandoit en ſon païs, il ſe crut obligé d' achever
„ ſon Ouvrage, qu' il dédia à Charles le Chauve. Il eſt diviſé en
„ trois livres. Dans le premier il ſoûtient l' uſage des Images, l'
„ invocation, l' interceſſion, et le culte des Saints, et la veneration
„ qui eſt dûë à leurs Reliques: Il y avoue que les François n' ado-
„ roient point les Images, reprend les Grecs qu' ils ſuppoſoient les
„ adorer, et prétend qu' il n' eſt pas à-propos de repreſenter la
„ Divinité ſous des figures corporelles. Dans le ſecond il établit
„ non-ſeulement l' uſage, mais auſſi la veneration des Croix. Dans
„ le dernier il juſtifie les voiages de devotion que ſe font à Rome,
„ et répond primierement au nom de Theodemire, à ce que Claude de
„ Turin lui avoit objecté.... Dans ces trois livres il rapporte les paroles
„ mêmes extraites du livre de Claude de Turin. Il répond enſuite
„ et appuie ſes réponſes des preuves les plus ſolides que l' on puiſ-
„ ſe apporter; comme des témoignages de Saint Jerôme, de Saint
„ Auguſtin, de Saint Gregoire, de l' exemple des Saints, des miracles
„ averez, et de la pratique de l' ancienne Egliſe.

6 Et tu his poſitis audes *Kieslingi* Boſſuetum, & Dupinium al-
legare, eoſque veluti tuarum ineptiarum, atque adeo apertiſſimorum
mendaciorum patronos dicere?

AD EXERCITATIONEM XXII.

Quæ inſcribitur:

De Catharis, & Waldenſibus.

CAP. I.

1 POſtquam cuncta quæ poteſt, in Trombellii libris dilacerat Kieslingius, in ea tandem incidimus, quæ ſilentio præteriens vera eſſe confitetur, & laudabilia: quamquam [quæ illius ſinceritas eſt] id palam & candide dicere recuſat. Omittens ſcilicet Kieslingius, quæ de Bogomilis Trombellius tradidit (*a*), vel invitus agnoſcit in hanc prorſus partem ſe ſævire non poſſe. Sed haud diu pacatum ſe præbet, nam ſtatim furorem ſuum, atque iram in Trombellium exercet. Hæc de Catharis ille ſcripſerat: [*b*] „ *A Catharis ſublatam Sanctorum invocationem novimus ex Thoma* „ *Waldenſi*: id vero excepiſſe ſe dicit ex *Guidone Carmelita*: nec te„ mere id dicit. *En ipſa Waldenſis verba*. Ab antiquis Catharis „ rapit [Witeleff] hanc hæreſim, velut libro hæreſum ſcribit Gui„ do Carmelita. *Non ita tamen accipias vocem illam antiquis* (ab „ antiquis Catharis) *ut id dictum ſit de hæreticis illis vetuſtiſſimis, qui* „ *ſe Catharos appellabant, & primis ipſis Eccleſiæ temporibus ea* „ *pervertere ſtuduerunt, ſed de aliis minus antiquis, quos Concilium Late*„ *ranenſe Alexandro III Pontifice damnavit. Hi ſcilicet, multorum quidem* „ *ſententia, ii eſſe creduntur, de quibus loquitur Evervinus, ſeu Hervinus,* „ *& Sanctus ipſe Bernardus n. 9. ſerm. 66. in Cant.* Porro (*inquiens*) „ mortuos viventium fraudantes auxilio, viventes nihilominus San„ ctorum, qui deceſſerunt, ſuffragiis ſpoliantes. „

2 Deinceps vero argumenta nonnulla ſibi obiicit, ex probabilium ſcilicet hiſtoricorum ſilentio petita: recenſent quippe Catharorum errores, & hunc reticent: tum his opponit Reinerum, qui expreſſe hac de re Catharos accuſat, denique concludit, non omnia fortaſſe errorum capita, quibus Cathari adhæſerunt, fuiſſe ab hiſtoricis illis recenſita, vel non omnes Catharos Sanctorum interceſſionem & patrocinium deſpexiſſe, ſed aliquos tantum. Trombellii verba utpote multa hic non afferro: quiſque enim per ſe legere illa poterit.

3 A Catharis tranſit Trombellius ad alios Hæreticos, qui Bernardi temporibus Eccleſiam ſuis erroribus inficere ſtuduerunt: tum auctoritate Thomæ Waldenſis, Ebrardi, Ermengaldi, & Pilichorfordii, quorum verba ille allegat, oſtendit Waldenſes etiam eodem errore fuiſſe infectos.

4 Quid

(*a*) Cap. VI. n. VIII. pag. 59. (*b*) n. IX. pag. 60.

Digitized by Google

4 Quid ad hæc Kieslingius? Mendacio (quod sæpe solet) caput incipit, & hæc scribit: *Transit nunc Ven. Trombellius ad Waldenses, quos per ludibrium Catharos, seu Novatianos appellitavit, ut suorum Civium odium excitaret & antiquum proscindendi morem obtineret.* Tum Trombellii verba hic, & illic resecta, & mutilata affert, quibus ostendat Trombellium confudisse cum Waldensibus Catharos.

5 Sed cui, nisi forte illi, qui Trombellii scripta non legerit, hæc impones? Falsa sunt hæc omnia, Kieslingi mi: neque aliquid in his verebis inest, quod a veritate non distet plurimum. Falsum scilicet primum est, quod tu dicis: transire Trombellium ad Waldenses: nam de Catharis primo differit, atque in his impendit numerum IX. X, XI, & XII. De Waldensibus porro sermonem instituit numero XIII. hosque apertissime distinguit a Catharis scribens: [a] *Sed quæcunque senserint Catbari, indubitata res est Bernardi temporibus impugnatum fuisse a nonnullis præsidium, quod nostrarum rerum cælites habent.* . . . . Tum indicans aliquos ignotos hæreticos per ea tempora Sanctorum interventum, & suffragia impugnasse, hæc demum subiicit, quæ ad Waldenses nondum antea attactos pertinent. *Neque vero inopportunum erit ea nosse, quæ de hisce Hæreticis, & Waldensibus narrat Thomas Walden titulo* XII. *cap.* CVIII.

6 Vides itaque minime confudisse Trombellium cum Waldensibus Catharos, teque ex verbis illius male compactis illi appositisse sententiam ab illius mente alienissimam. Trombellius sane (quod ex illo audivi) putat Catharos, aliosque, si qui fuerunt Bernardi temporibus, hæreticos, si originem spectas, diversos fuisse a Waldensibus, si progressum hæreseon illarum, sectas illas in unam fortasse convenisse, omnium errores complectentem. Sed quia hoc ipsum verisimile tantum vidit, neque aliquid ea de re compertum habuit, exploratumve, idcirco cavit, ne Catharos cum Waldensibus miscere. Non ergo multum a tua sententia abest Trombellius, neque is tibi succenset, cum hæc ais: (b) *forte origo hujus dicterii* (Manichæismi notam indicat) *hæc est, quod non pauci Manichæorum ex Bulgaria in Italiam, & Aquitaniam ad sedes a Waldensibus potissimum habitatas se contulerint. Orta deinceps vexatione, Waldenses ad eorum societatem per errorem abrepti, & iis sunt ascripti.* Quæ tu ipse videris num cum iis consentiant, quæ statim dicis: (c) *Non pudori est Ven. Abbati, Meldensi Bossueto, Albigenses, & Waldenses hoc nomine polluere, & asserere eos propterea Catharos fuisse appellatos. At valde se decipit Bossuetus, quum Cel. Banagius, & Pictetus ad oculum demonstrarint, Albigensibus, & Waldensibus cum Manichæis commercium interedere nullum.* Ex iis enim quæ tu antea tradidisti, plane assequimur, originem quidem Catharorum, & Albigensium, & Waldensium fuisse diversam, sed deinceps hos omnes fuisse permixtos. Hinc mirum non est, si inter Waldensium

(a) N. XIII. pa. 62. [b] §. VIII. Pag. 251. [c] pag. 252.

ſium errores deinceps inveniatur dogma aliquod, quod Manichæiſmum ſapiat: veluti eſt illud, quod diſcimus ex Stephano de Borbone: *Animam primi hominis eſſe divinæ ſubſtantiæ portionem, & ipſum Dei ſpiritum: vel de eo eſſe.* Vide quæ tradit clariſs. Ricchinius Diſſertatione II. inter eas, quas præpoſuit libris Venerabilis Monetæ a ſe editis.

7 Sed dic Kieslingi, quis te edocuit Waldenſes *Catharos* per *ludibrium*, *ſeu Novatianos* fuiſſe a Trombellio appellatos? Jam dixi Catharos nunquam fuiſſe a Trombellio cum Waldenſibus permixtos. Audeo adiicere Waldenſes nunquam fuiſſe Catharorum vocabulo demonſtratos: neque tu verbum ullum in Trombellio adinvenies, quo tua hæc jactantia comprobetur.

8 An porro Trombellius Waldenſes per *ludibrium* Catharos appellavit, qui omnino eos Catharos non appellavit? ſed neque *ludibrii* vocabulum illud erat, cum illud veluti honorificentiſſimum vocabulum aſſumpſerint hæretici illorum temporum; quippe voce ea, impollutos ſe, puroſque, ſeu mundos denotare non verebantur. An non Trombellius hoc palam tradidit, hæc ſcriptis mandans? (*a*) *Neque enim illos ſuorum pœnitebat criminum, neque ſe pollutos peccatis eſſe arbitrabantur, ſed impollutos quidem ſe, & mundos, [quod Græca voce ſe Catharos appellantes ſignificabant &c.*]

9 An vero dormitabas Kieslingi, cum hæc effudiſti? *Catharos, ſeu Novatianos appellitavit*, Vigilans, ſuique compos Trombellius ſcribit; hinc Catharos iſtos, quicunque ii forent, a Novatianis plane diſtinguit, neque voculam ullam in Trombellii ſcriptis reperies, qua oſtendas illum aut Novatianis adſcripſiſſe Waldenſes, aut eos omnes, qui a veteribus dicti ſunt Cathari, Novatianos etiam fuiſſe appellatos. Quî vero poterat *Novatianorum* titulo appellare Waldenſes, cum hi errores profiterentur Novatianis oppoſitos? Coarctabant Novatiani [quod quiſque novit] poteſtatem dimittendorum criminum, ampliarunt vero maxime Waldenſes. [*b*]

10 Quam vero amœna ſunt illa: *ut ſuorum Civium odium excitaret!* Adverſus quem excitari debebat Bononienſium odium? Tu quidem id reticens oſtendis, quam recte loquaris: Sed Waldenſes indicas, ut puto. An noſtra intereſt, ut odio habeantur, ac pereant Waldenſes, qui nulli iam ſunt? An vero Bononienſibus nocuere, cum extabant? Nihil minus.

11 Calumnia porro mera meraciſſima eſt quod his verbis adiicis, *& antiquum proſcindendi morem haberet* (Trombellius). Peream Kieſlingi, ſi alium invenias a maledictis & probris abhorrentiorem. Indica vocem, qua Trombellius nomen alicujus famamve proſcindat. Crebro teſtatus eſt Vir clariſſimus ſe noluiſſe tuorum Magiſtrorum nomina ſcri-

(*a*) N. 12. pag. 61. (*b*) Vide quæ tradit Ricchinius cap. III. Diſſert. II.

ſcriptis mandare, quum eorum errores redarguit, ut hanc ipſam offenſam effugeret. Et tu Trombellium veluti maledicum, & procacem obtrectatorem appellare non vereris? Sed jure tuo Kieslingi utere, & Trombellium maledictis ut libet, & calumniis infectare: dummodo noverit æquus Lector, adeo adverſus eos ipſos, quibus Virum clariſſimum iniquiſſimum defers, mitem fuiſſe ac levem, ut eorum errores, quantum potuit, attenuare ſtuduerit.

12 Cur ergo bilem tuam Trombellii monita lenia ſane ac mitiſſima moverunt? Niſi me mea fallit opinio, propterea illi ſuccenſes, quod negligenter, uti facere ſoles, illius ſcripta legens non advertiſti, eum manifeſto ſejungere Catharos a Waldenſibus, ideoque veritus, ne eos attingeret, quos tuos anteceſſores eſſe vis [jure ne an injuria, te vel invitum docebunt Boſſuetius (a), & Ricchinius [b]], in eum iraſceris, & maledicta evomis. An vero in Trombellium tantum? Minime vero. Audiat æquus Lector, quid de Bernardo pronunciet iræ temperatiſſimus ac modeſtiſſimus, ſua quidem opinione, Kieslingius (c): *Miror Ven. auctorem, Bernhardum Abbatem Clarevallenſem, & Ciſtercienſis Ordinis profeſſorem veluti cæcum ſequi præambulonem. Nihil enim non cavillationum & execrationum virus in hos evomuit Waldenſes, quos ruſticanos, idiotas, & prorſus contemptibiles appellitat homines*: & deinceps (d) *Miror hunc Sanctum veſtrum calidi fontis Abbatem hebetiorem, & ſtupidiorem eſſe Waldenſibus, quos idiotas & obtuſos appellitat homunciones, & illum tam inſulſe concludere. Mira ſane & levis concluſio, quam vel Davus ſolvet. Quod neque in hoc, neque in futuro ſeculo remittitur, remittitur in tertio quod fingit, ſeculo, nempe purgatorio, ſcilicet in loco, quo animæ a ſordibus expurgantur: quam tamen hæc negatio omnem omnino peccatorum excludat remiſſionem, quod in triviis notum eſt.* Sed quoniam me vel invitum a præcipuo propoſito noſtro aberrare vis poſtremis his tuis monitis, ſtatim audi reſponſionem, qua quidem tua adverſus virum ſanctiſſimum, & multo te doctiorem audacia reprimitur. Eo ſpectat Bernardi argumentatio, ut oſtendat peccatum aliquod eſſe, quod in ſeculo futuro remittetur. At quomodo remittetur, ſi in Purgatorio non dimittetur, pœna ſcilicet quam in Purgatorio non luet is, qui Deo quidem acceptus, ſeu [ut fere dicimus] *in gratia* moritur, habet tamen maculas aliquas, quas nondum prorſus eluit, neque ſatis pœnitentia deterſit. Dato antecedente, quod non temere proponit Bernardus, ſed illud probat, conſequentia rectiſſima eſt. At interea dic mihi Kieslingi eruditiſſime: cur primo Clarevallenſem, tum *Abbatem fontis calidi* Bernardum appellas? Nova mihi ea eſt poſtrema appellatio. An duobus Monaſteriis præerat ille, quorum unum *Clarevallis*, alterum *fontis calidi* appellaretur? Nihil minus. *Utinam ſaperes, & intelligeres*, Kieslingi, tedum

(a) Variat. lib. XI. n. 3, 4. cap. IV. n. 2. & ſequen.
(b) Prolo. ad libros Vene. Monetæ diſſ. II.
(c) Exerc. XXII. pag. 146.
(d) Pag. 148.

dum alios redarguis, palam prodere te nihil ſcire? Scilicet ex duobus Scriptoribus plane diverſis unum efficis, nec tamen vel cum ſcribebas, vel deinceps errorem profecto non levem agnoſcis.

13 Ceterum immerito Bernardo ſuccenſes, quod hæreticorum, quos ipſe accuſat, pravos mores deſcribat, redarguatque. Dic mihi Kieslingi: Cur fidem Bernardo præbes, dum pravos Cleri mores deſcribit, redarguitque: negas vero cum hæreticorum ab Eccleſia ſejunctorum pravos mores indicat, & reprehendit? An ſanctius Clero vixiſſe putas eos, qui ut arbitratu ſuo crederent, viverentque, neque a Præſulibus corriperentur, ab Eccleſia defecerunt?

14 Sed neque ſolus Bernardus is eſt, qui Catharos, Albigenſes, ceteroſque hujus generis homines, eorumque falſa dogmata, & corruptum vitæ genus reprehendat. Alii etiam ſunt, quos pridem Gretſerus collegit, collegitque quoque la Bigne, & ii quoque collegere, qui Bibliothecæ Maximæ Patrum Lugduni edendæ præfuerunt. Sed quis omittet Venerabilem Monetam, cujus ſcripta paucos ante annos evulgavit doctiſſimus P. Ricchinius eximii Ordinis Prædicatorum? Ex his ſcilicet omnibus liquet, non tantum improba fuiſſe dogmata, ſed pravos etiam mores hæreticorum illorum, quos hi condemnant. An in Scriptores hos omnes ſævire vis Kieslingi, tuamque rabiem exercere?

15 At Cenſor noſter, quaſi ea non legiſſet, quæ de Catharis, hujuſque nominis ſignificatione, & de Waldenſibus apertiſſime Trombellius tradidit, hæc adverſus eundem Trombellium ſcribit: [a] *Maculam Catharis, ſcilicet Waldenſibus Ven. Abbas aſpergit nullam. Non cedit hoc nomen, quo Venerabilis Abbas Waldenſes vellicat, & Catharos appellitat, iis opprobrio, ſed maximæ laudi, quum ſingularis ſanctimoniæ, & vitæ integritatis ſit encomium. Mores ipſorum ad vitam pie, & modeſte peragendam fuiſſe compoſitos, & eos propterea hac, ſi dicenda eſt, cavillatione, inſignitos teſtis haud fucate fidei eſt Claudius Seyſſillius Archiepiſcopus Taurinenſis, acutiſſimus alias Waldenſium Cenſor:* „ Non „ nihil etiam, *inquit*, ad horum Valdenſium confirmandam, tolerandamque Sectam confert, quod præter hæc quæ contra fidem, „ religionemque noſtram aſſumunt, in reliquis ferme puriorem, quam „ ceteri Chriſtiani vitam agunt. Non enim niſi coacti iurant, raro„ que Nomen Dei in vanum proferunt: promiſſaque ſua bona fide „ implent, & in paupertate parte maxima degentes, Apoſtolicam „ vitam doctrinamque ſervare ſe ſolos proteſtantur: ob idque pote„ ſtatem Eccleſiæ apud ſe velut innoxios, & veros Chriſti diſcipu„ los, reſidere affirmant; pro cujus fide, religioneque, in egeſtate „ vivere, & a nobis perſecutionem pati, pulcrum, & religioſum „ ducunt. „ *Quot verba, tot laudum encomia, quæ Waldenſium fidem, & integritatem non parum juvant. Ecquid enim Waldenſibus glorioſius, quam*

[a] Pag. 143. §. II.

quam recte credere, & pie vivere, qua tunc temporis in Romanenſibus eximii hi veritatis teſtes deſiderarunt.

16 At ſine Kieslingi mi, ut te rurſus moneam, Catharos, ſi originem ſaltem ſpectas, ſejungendos eſſe a Waldenſibus, neque hos permiſcuiſſe, quod tu ſæpe ais, [a] Trombellium: Moneam quoque ea ipſa quæ affers Claudii Seyſillii verba, Waldenſes (antiquos ſcilicet) labis, errorumque expertes minime declarare. Etenim iis manifeſto docemur *contra fidem, religionemque noſtram* eos inſurrexiſſe. Quam ob rem, tam etſi fatear veriſſima eſſe reliqua, quæ deinceps de iis traduntur, non propterea laudabiles fateor; nec quiſquis ſapit, audebit dicere in iis, quæ Claudius de iis docet, *quot ſunt verba, tot eſſe laudum encomia.* An encomiis annumeras a *fide deficere & religione?*

17 Quod ſi quæras, in quibus a *fide* & *religione* defecerint, candide fateor ea in re Scriptores minime convenire, vel quia errores alios prioribus erroribus deinde addiderunt, vel quia non una fuit in provinciis omnibus eorum opinio ac perſuaſio, vel quia denique ii qui ſcripſerunt, non omnes omnino eorum errores noverant, ſed aliquos tantum. Tamen ut ea omittam, quæ adverſus Eccleſiaſticorum Præſulum in populos ſibi ſubditos poteſtatem dixerunt, quam non pauci e Proteſtantibus agnoſcunt, & reverentur; ex vetuſtis auctoribus aſſequimur non ſolum circa baptiſmi neceſſitatem erraſſe, non ſolum probitatem in Sacerdotibus ita popoſciſſe, ut ſi improbi eſſent, eorum Sacramenta virtutis expertia eſſe dicerent [b], verum etiam circa ipſam Chriſti perſonam, & Trinitatem Sanctiſſimam erraſſe. Scilicet Stephanus de Borbone hæc de Waldenſibus tradit: *Hi ſunt errores in quibus* [Waldenſes] *infecti ſunt, corrupti, & abominabiles in ſtudiis ſuis .... XVIII. [c] Item & prima poſitione dicunt plurimi eorum, ſicut audivi per Confeſſionem multorum magnorum inter eos, quod quilibet bonus homo ſit Dei filius, ſicut Chriſtus eodem modo, de quo dicunt, quod non habuit aliam animam niſi Deum, aut Spiritum Sanctum, qui eſt Deus, quod etiam dicunt de aliis bonis hominibus. Et cum dicunt ſe credere Incarnationem, Nativitatem, Paſſionem, & Reſurrectionem Chriſti, dicunt quod illam credunt veram Conceptionem, Nativitatem &c. cum bonus homo concipitur, naſcitur, reſurgit per pœnitentiam, vel aſcendit in Cœlum: Cum Martyrium patitur, illa eſt vera Paſſio Chriſti. Similiter cum dicunt ſe credere Baptiſmum, Pœnitentiam, & ſic de aliis Sacramentis, dicunt ipſa eſſe vera Sacramenta ſolum, & tunc compleri, cum homo pœnitens bonus efficitur, tunc eſt ibi verus Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia vera, quia tunc efficitur Corpus Chriſti, tunc ordinatur, tunc fit in eo conjugium, & unctio. Et per iſtam ſpiritualitatem Fidem noſtram plurimi eorum in Articulis, & Sacramentis annihilant.* Et XX. *Item hæc eſt Trinitas, quam, vel in qua credunt, ut ſit Pater qui alium*

[a] §. X. pag. 154. [b] Vide quæ tradit clariſſ. Ricchinius Prolog. ad lib. Ven. Monetæ Diſſ. II. cap. 4. pag. 45. [c] Diſſ. 2. cap. III. pag. 42.

Digitized by Google

in bonum convertit : qui convertitur , Filius : id per quod convertit , & in quo convertitur , Spiritus Sanctus ; & hoc intelligunt , quando dicunt se credere in Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum : & Christum conceptum , natum , & passum &c. ut in Symbolo continetur , quod optimè in vulgari dicere sciunt. Causa autem quare in has abominationes ceciderunt, credo quod fuit præsumptio , & odium Cleri , & Fidei destructio , quia qui fundamentum amiserunt, in laberinthum & profundum malorum ceciderunt. Quanquam vero clariſſ. Ricchinius monet , vel non fuiſſe hæc ab omnibus Waldenſibus , ſed ab aliquibus tantummodo dicta , vel tum denique fuiſſe hæc ab iis dicta , quum ex Catharorum ſocietate novos errores , eoſque iniquiores ebiberunt : mihi tamen ſat eſt , hæc ab eis fuiſſe aliquando dicta : neque vero veriſimile eſt hæc a paucis fuiſſe effutita, quandoquidem Stephanus de Borbone hæc inter *errores* recenſet, *in quibus infecti ſunt , corrupti , & abominabiles in ſtudiis ſuis.*

18 Sed ut Waldenſes laudentur , Kieslingio ſat eſt, quod Sanctorum ſuffragia negaverint , vetuerintque eos invocari , quod adeo inculcat, ut paginam 149. in eorum ſenſis explicandis impendat , quaſi hæc Trombellius non tradidiſſet [a]: *Et ſane Waldenſes Sanctorum interceſſioni , atque invocationi fuiſſe infenſos non levia argumenta oſtendunt. Ebrardus contra Waldenſes ait eos loca ſancta , & Sanctorum miracula probibuiſſe viſitari. Ex Iconiſmo quoque Waldenſium certiores efficimur, in eorum conventibus non extitiſſe imagines , non Cruces &c. Etiam Ermengaldus contra Waldenſes ſcribens ab iis traditum monet :* „ Sanctos, & eorum orationes vivis adhuc in Mundo pro Chriſto certantibus non „ prodeſſe. „ Quibus quidem valde probabilibus Scriptoribus Pilichdorfium deinceps adjungit, aliumque ignotum quidem, ſed laudabilem profecto auctorem , quem habes parte II Tomi IV Bibliothecæ Patrum Pariſiis editæ. Et de hoc argumento hactenus ; neque enim ad rem, de qua agimus, attinet horum hæreticorum originem perquirere, neque noſſe , cur ii qui *Waldenſes* ſunt appellati , denominationem hanc fuerint aſſecuti. Is apte hæc perquiret, qui harum hæreſeon hiſtoriam texet . Lectori , qui a propoſito argumento aberrare non vult , ea ſatis erunt quæ de his hæreticis Trombellius tradidit , qui cum nunquam aut Wiclefitis , aut Huſſitis , aut Lutheranis Manichæiſmi notam inuſſerit, fruſtra ea de re doles, & querelis tua ſcripta Kieslingi infercis . Si multo meliora quum tu de Catharis & Waldenſibus tradis, edoceri vis , ea conſule quæ Vir doctiſſimus & valde diligens Auguſtinus Ricchinius Eximii Ordinis Prædicatorum Theologus, quem nuper etiam laudavi , Prolegomena præpoſuit libris, quos adverſus Catharos, & Waldenſes jam pridem ſcripſerat Vener. P. Moneta , primoque idem Ricchinius evulgavit .

AD

[a] Pag. 62.

AD EXERCITATIONEM XXIII.

Quæ inſcribitur:

De Wiclefo ſcilicet Wiclepho [a] incomparabilis Veritatis teſte.

1 SErio ne agis, an joco Kieslingi, cum primum quidem teſtari ais Natalem Alexandrum [b] Wiclefum *Sanctorum interceſſiones, invocationem, conſecrationem, feſtos dies, Reliquiarum cultum, & Orationes pro defunctis impugnaſſe*, id vero negare Trombellium? Quid ſi utrumque negem? Natalis Alexander in hoc ipſo, quem tu allegas, articulo, in quo ſcilicet de Witclepho, illiuſque erroribus, & damnatione diſſerit (c), hæc docet. *Invocationem Deiparæ Virginis, & Sanctorum explodunt Lutherani, & Calviniſtæ. Contra Wicleffus in quodam ſermone de Aſſumptione Beatæ Mariæ ait „ Videtur mihi quod impoſſibile eſt nos præmiari ſine Mariæ ſuffragio*: tum alia multa ex hoc ipſo ſermone verba depromit, ut ſcilicet id oſtendat, quod ſibi ad probandum aſſumſerat, nimirum Mariæ, ac Sanctorum invocationem palam a Wiclefo approbari. Indubitata ſunt ſane hæc Wiclefi in eodem ſermone verba a Natali Alexandro citata: *Non eſt ſexus, ætas, vel ſtatus, vel conditio humani generis, quin neceſſe habeat auxilium Virginis implorare.* Et mox. *Reliquiis, & Imaginibus Sanctorum cultum religioſum Lutherani, & Calviniſtæ negant.* Contra Wicklefus in tractatu magno de Euchariſtia cap. 9 ait. *Sed ideo adoramus imagines nudæ, ut ſigna, Deum autem debemus, quantum ſufficimus, adorare.* Et infra: *Conceditur ergo quod Imagines, Reliquiæ, & Sacramenta ſunt cum prudentia adoranda.* Et in Decalogum cap. 15. *Licet introductæ ſint imagines in Eccleſiam poſt firmitatem fidei primitivæ, feſtos dies libri Laicorum, & ſigna recordationis ſingulis Chriſtianis, ut adorent debite Sanctos Dei, tamen in veteri teſtamento hoc non licuit.* Et tu his poſitis Kieslingi audebis dicere, Natalem Alexandrum *non inficiari Witclephum Sanctorum interceſſiones, invocationem, & reliquiarum cultum aperte impugnaſſe*? O vere mirabilem Kieslingii veracitatem! Trombellius porro nunquam negavit in Wiclefi ſcriptis multa haberi, quæ Sanctorum interceſſioni, & cultui illis adhibito haud faveant; quin contra apertiſſime teſtatur nondum ſatis innotuiſſe illius mentem ex iis quæ ipſe nobis reliquit ſcripta: interdum

 enim

(a) Cur hanc explicationem adjiciat Kieslingius, ipſe viderit. Veteres ſane utroque modo Viclefi nomen facile ſcripſerunt.

[b] *Non inficiatur Natalis Alexander Wiclefum Sanctorum interceſſiones, invocationem, conſecrationem, feſtos dies, Reliquiarum cultum, & Orationes pro defunctis aperte impugnaſſe. Fruſtra hæc negat Ven. Abbas.* pag. 157.

[c] paragr. VI. n. 7. & 8. pag. 118.

Digitized by Google

enim admittit, interdum reprobat Sanctorum interceſſionem, & cultum illis adhibitum. Vis ne iterum Trombellii verba afferam? Sed tu ipſe Kieslingi attuliſti [a], ſic ut neceſſe non ſit ea hic recolere. Tu ipſe Kieslingi Trombellii dicta probas, cum hæc ais. [b] *Certum eſt, non caruiſſe Wicleſum ſuis nævis, eumque de prædeſtinatione & libero arbitrio, quod ſua jam ætate obſervavit Philippus Melanchton, non accurate ſenſiſſe. Quid? Quod Cel. Henric. Wartonius Wicleſum non ſemper ſibimetipſi conſtitiſſe profitetur, quod etiam argumento de Sanctis probat.* Diſſimulari, inquit, „ non poteſt, diverſa ſæpe, & contraria nonnumquam dogmata in „ illius libris reperiri poſſe, quod Wiclefo adeo non detrahit, ut in „ laudem potius illi cedere debeat. Neque enim prævervido quodam „ animi impetu abreptus, ſed maturo judicio, ac ratione ductus, „ Eccleſiæ Romanæ errores impugnavit, quos unico ictu eum non detexiſſe nil mirum eſt. Ut alios enim articulos taceam, in Expoſitione Orationis Dominicæ, Symboli Apoſtolici, & Decalogi, quas perlegi MSS. Purgatorium ſæpenumero admittit, preces Sanctis offerri, „ ut ipſi pro nobis Deum interpellent, monet, ſeptem Sacramenta „ enumerat. „ Nam quod hæc adiicit Wartonus: *Iſtiuſmodi tamen opiniones illum poſtmodum abrenuiſſe conſtat*: vellem probaſſet, non tantum dixiſſet. Quis enim fidem illi præbebit, cum nulla monumenta afferat, quibus conſtet a priori opinione receſſiſſe, nos vero plurima habeamus Wicleſi loca, quibus aſſequimur Sanctorum interceſſionem, & cultum illis adhibitum ei minime diſpliciuiſſe?

2 At cur, inquis (c), omnes Wicleſi libri condemnati, & igni traditi ſunt? Si omnes Wicleſi libri igni traditi revera ſunt, propterea traditi ſunt, ut oſtenderetur Eccleſiæ alienatio, & averſio ab iis erroribus, quos hi continebant: immiſcuit enim bonis mala Wicleſus, & nos difficile aſſequi poſſumus, num ille mala bonis prætulerit, an bonis mala; eandemque ob cauſam merito eoſdem libros condemnavit. An non jam pridem Eccleſia condemnavit Origenis libros, propterea quia zizania tritico immixta in iis erant? An non ex Paulo diſcimus, *Modicum fermentum totam inaſſam corrumpere*? cui quidem malo ut occurrat Eccleſia, hujuſmodi libros vetat; facile enim venenum bibitur quod cibis ſalubribus immiſcetur.

3 Nolo vero ab hoc loco diſcedamus, antequam duo expreſſiſſima Kieslingii mendacia Lectori ſubiiciamus. En illa (d): *Incredibili plane ſtudio Thomas de Walden, Monachus Anglicanus, Wicleſi libros infirmare eſt anniſus; & nullum prætermiſit verbulum, ex quo non errorem aliquem exculpſerit, ſed quod voluit, parum feliciter præſtitit, ut optime cunotarunt Cel: Lenſantus, & Natalis Alexander.* Erras Kieslingi, cum ais, *incredibili plane ſtudio fuiſſe anniſum Thomam de Walden Monachum Anglicanum Wicleſi libros infirmare, & nullum prætermiſiſſe verbulum, ex quo non exculpſerit errorem aliquem.* Habeo ſane apud me libros illos

[a] Pag. 156. [b] §. 3. pag. 157. (c) n. IV. pag. 158. & 159. (d) Pag. 156.

illos, quos adversus Witcleph, Witclefistas, seu [ut scribit ille) Witcleviſtas edidit Walden, nec video id quod tu dicis: scilicet *nullum ab eo prætermiſſum fuiſſe verbum, ex quo non errorem aliquem exculpſerit*: sed tantum video summa capita errorum Wiclefi a Thoma Walden fuiſſe notata & correpta: quod dum exsequitur, multa allegat ex eodem Witclefo, quæ typis edita in ea Witclephi editione, quam habeo, evulgata minime vidi, veluti est liber *De ideis*, quem sæpe citat libro I. art. 1. & alibi sæpe: reliquos libros, in quibus ab Eccleſia non discordat, minime attingit, neque enim sibi proposuerat Walden Wiclefi libros singillatim ac minute examinare atque expendere, sed ea tantum loca redarguere, in quibus minus recte docet. Multa etiam desumit ex propositionibus ter damnatis (quas plurimas fuisse constat; etenim 155. allegat & redarguit.) [a] Si libros Thomæ Walden consuluisset Kieslingius, tam aliena a veritate minime dixisset. Sed Censor noster dummodo *placentia* loquatur, minime curat, num vera loquatur.

4 Alterum Kieslingii mendacium est, Natalem Alexandrum pronunciasse, *parum feliciter* reprehensum fuisse Witclefum a Thoma Waldensi. Immo vero longe aliter se habet res. Adeo scilicet præstantes putat Natalis Alexander libros, quos adversus Witclefum elucubravit Thomas Walden, ut ex iis Witclephi errores eruat, eosque tum reliquorum quidem Doctorum, qui adversus Witclefum scripserunt, tum etiam Thomę Walden auctoritate redarguat. Consulat obsecro Lector quæ scribit Natalis Alexander §. 2. & sequentibus Art. XXII. quem quidem articulum *de Wicleffi hæreſi* inscribit: neque voculam ullam inveniet, ex qua assequatur *parum feliciter* Thomam Walden adversus Wiclefum scripsisse. Et id tamen dicere audet accuratissimus, idemque veracissimus censor noster.

5 Num iis positis merito concludat adversus Trombellium Kieslingius noster: (b) *Levis igitur est, quam adversus Wiclefum movisti ratiuncula, & tibi ipſi finxisti glaucoma*, judicet Lector. Illud sane constat (quidquid secus Kieslingius censeat (c)) posse adhuc jure meritoque ex Dialogo Wiclefi, quem allegarunt Fratres Walemburch, Bossuetius, & Trombellius, ejusdem Wiclefi sensa, ac mentem percipi: neque nos cogi, ut ad Trialogum confugiamus: perfectus est quippe per se Dialogus ille, neque nos ad Trialogum usquam amandat; neque constat in solo trialogo sensa sua pronunciasse.

AD

(a) Lib. 1. doctrinalis fidei art. 1. cap. XIII. *occaſionem ſumentes ex quodam dicto ejus, quod eſt etiam inter Concluſiones ter damnatas 155 Wiclefi: Deus* (inquit) *non poteſt Mundum majorare, vel minorare, ſed animam ad certum numerum creare, & non ultra.* (b) Pag. 159.

[c] *Pone Wiclefum in Dialogo inter Veritatem, & Mendacium, ut inſcribitur libellus, hæc poſuiſſe; lege ſtatim Trialogum, ibi rem retractat.* pag. 158.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONEM XXIV.

Quæ est

De Joanne Huſſio, Hieronymo Pragenſi, eorumque Sectatoribus.

1 NOn modo Huſſitas, verum etiam ipſum Joannem Hus Sanctorum cultui fuiſſe aliquando adverſatos, is ſane affirmabit qui Trombellii verba non oſcitans, quod tu Kieslingi facis, nec perfunctorie, ſed diligenter legerit. En illa [*a*]: *tamen extant non levia argumenta, ex quibus merito juſpiceris tum ipſum, tum illius Magiſtrum Wicleph hac etiam in re non omnino cum Catholicis ſenſiſſe. Nonne accuſatus hoc ipſo de errore eſt, & hinc in elucidatione fidei ſuæ ſe ſe purgare ſtuduit? Nonne in Bulla Martini V. in qua damnantur errores Wiclephi, & Joannis Hus, & proponuntur interrogationes faciendæ illi, de quo dubitatur, num adhæſerit falſis opinionibus Wiclephi, & Hus, inter ceteras interrogationes hæc extat?* „ Utrum credat & aſſerat licitum eſſe Sanctorum reliquias, & Imagines a Chriſti fidelibus venerari? „ *Ad hæc: Bohæmi, qui ſe diſcipulos Wiclephi & Hus jactabant, parum amicos Sanctorum cultui ſe ſe præbuerunt. Conſule Orationem ab Ægidio Carlero recitatam in Concilio Baſileenſi, ut errores Bohemorum reſelleret. Iterum conſule pag.* 1067. *& ſubſequentes quatuor tomi* 17. *Conc. videbiſque manifeſto a veneratione reliquiarum, & a peregrinationibus fuiſſe alienos Bohæmos.* Temere itaque pro more hæc de Trombellio pronuncias. *Quod ex juis fratribus de Walemburch obiicit argumentum, idem eſt Boſſueti ſubterfugium, quo probat, Joannem Huſſum fuiſſe bonum Catholicum, & non niſi in ſacra Cena jub utraque ſpecie celebranda, & poteſtate Pontificis, declinaſſe, ſed in ceteris omnibus recte ſenſiſſe.* Non hæc eſt Trombellii mens, non hæc illius ſenſa: ſed hoc tantum dixit: *ex elucidatione fidei* Johannis Hus, plane innoteſcere, eundem Hus Sanctorum interceſſionem, & Mariæ Sanctiſſimæ advocationem, ac patrocinium agnoviſſe. An hanc Fidei elucidationem illius epiſtolis annumerabis, aut inter ea Joannis Hus opera recenſebis, quæ juvenis admodum ſcripſit, ſenior vero emendavit?

2 Peſſime vero cum Trombellio agis Kieslingi, dum eum negligentiæ accuſas, ac *ſubdola ignorantiæ*, quaſi neſcierit, diſcereque, & referre contemſerit Huſſitarum Hiſtoriam [*b*]. Eam ſcivit Trombellius, dum hæc ſcripſit, eamque prodidiſſet, ſi tui ſimilis, eruditi laudem ea etiam ratione aſſequi voluiſſet, quam ſapientes irrident. An in eo capite, in quo *recenſet eos, qui Sanctorum cultum poſt Vigilan-*

(*a*) Pag. 64, & 65. (*b*) Pag. 161.

lantium ad noſtra uſque tempora oppugnaverunt, omnes Huſſitarum errores, diſſidia omnia ex eorum hæreſi in Bohæmia exorta, prælia commiſſa, aliaque huius generis enarrare debuerat? Minime vero, niſi deſpici voluiſſet a viris doctis, qui quum hæc ſcire volunt, ab iis Scriptoribus aſſequuntur, qui data opera de Huſſitis, eorumque hæreſi, & ſectis ex ea natis diſſerunt.

3 At Carlerum tantum modo Trombellius affert. *Carlerius autem* (ut tuis utar verbis) *rem totam non conficit*. Falſa narras Kieslingi. Alia attulit, eaque [dic tu quod libet] *fide digniſſima* probabilium Scriptorum monumenta: quam ob rem apertiſſime oſtendis Kieslingi te non legiſſe quæ Trombellius hoc ſuper argumento ſcripſit. Evitare is ſtudens eam levem laudem, quæ ex multis aggeſtis Veterum eadem de re locis acquiritur, præter Carleri orationem, ea omnia citat etiam quæ tradit *Bulla Martini Quinti, in qua damnantur errores Wiclephi, & Joannis Hus, & proponuntur interrogationes faciendæ illi, de quo dubitatur, num adheſerit falſis opinionibus Wiclephi & Hus*. Quin etiam hæc adiicit. Iterum conſule paginam 1067, & ſubſequentes quatuor tom. XVII. Conciliorum. An hoc eſt Carlerum tantummodo adducere?

4 Fac tamen Carlerum tantummodo ab eo fuiſſe allegatum. An non is ſatis erat? Utique ut puto. Tua ipſa verba profero, Kieslingi. (*a*) *Attentis* (Carlerus) *percepit auribus, qua ratione Nicolaus Taborita in Joannis Huſſi laudem deſcenderet. Audivit Bohemorum legatos Huſſi ſententias de cultu imaginum, de Reliquiarum quæſtu, & peregrinationum ſuperſtitione reprehendentes, & tanquam res admodum vanas, e Bohemorum finibus proſcribentes*. Et eum qui hæc tam probe noverat, qui (ut tuis hic quoque utar verbis) *velut Tertullus ad Concilium Baſileenſe fuerat miſſus*, minime aptum cenſes ad teſtificanda falſa Huſſitarum dogmata, eorumque errores teſtificandos?

5 Ea, quæ de Eccleſiaſticis aliquibus improbis abutentibus quoque rebus ſacris, ut quæſtum facerent: ea quæ adverſus Concilium Conſtantienſe affers, ad præſens inſtitutum nihil attinent. Improbos Sacerdotes non approbavit, ſed ſuſtulit, atque emendavit Eccleſia, ſuſtulit quoque fraudes, ſi quæ in Sanctorum cultum irrepſerunt: quo de argumento cum ſæpe egerit Trombellius, hic de eo agere ſuperſedeo. Concilium Conſtantienſe defenſores habuit ac vindices ſane non paucos: me quoque haberet, niſi a præſenti argumento valde alienum id foret. Laudibus porro, quibus Wiclephum & Joannem Hus cumulas, aliiſque his affinibus excurſibus, id quidem obtines quod potiſſimum cupis, ideſt ut tuis placeas, & librum inſercias, at non id obtines, quod tibi agere propoſueras, ut ſcilicet Trombellium refellas.

AD

(*a*) Pag. 161.

AD EXERCITATIONEM XXV

Quæ inſcribitur

De Luthero Sanctorum cultui haud amico.

CAP. I.

1 UT anſam habeat reprehendendi Trombellium, perſpicuo mendacio Kieslingius noſter Exercitationem hanc ſuam exorditur, hæc elocutus. *Peſſime agit Venerabilis Abbas, qui fidei noſtræ Anteſignanum Lutherum Iconoclaſtia inſimulavit. Nullum Sanctis, eorumque Reliquiis, & Imaginibus indixit bellum.* Et deinceps (*a*). *Quo igitur jure Lutherus imaginum debellator dici queat, & qua fide noſtra nomina bis Iconoclaſtarum Codicillis inſeri poſſint a Romanenſibus, non videmus.* Itane vero Kieslingi mi? Dic mihi omnium hominum candidiſſime, ubinam Trombellius Lutherum Iconoclaſtam facit? Nullam reperies vocem, auſim dicere, ne apicem quidem ullum reperies, quo id quod tu audaciter ais, comprobes. Hæc tantum de Luthero tuo, qui *tuæ fidei ſit Anteſignanus*, dum nos fidei noſtræ anteſignanos Apoſtolos a Chriſto miſſos, ejuſque fidei noſtræ *columnam* habeamus *Eccleſiam*. Hæc, inquam, de Luthero tuo tantummodo ſcripſit Trombellius. (*b*) *Subjequenti ſeculo eximios hos Anteceſſores* (Wiclephum & Joannem Hus) *ſubjecutus eſt Lutherus: tametſi enim multa illius ac perſpicua teſtimonia recitentur a Caniſio, & a Caſſandro, in quibus Sanctorum cultum, atque invocationem, aut approbat, aut certe approbare videtur: alibi tamen ſe ſe inquiorem Sanctorum cultui oſtendit, deprimitque eorum merita, & interceſſionem. Vide quę hoc de argumento tradit Caniſius tom. 2. Corruptel. lib. 5. cap. 14. pag. 943. Vide quoque caput 1. lib. 4. pag. 531. ejuſdem Caniſii, ex cujus etiam monitis aliis Lutherum haud multum Sanctorum venerationi amicum comperies.* An in his Lutherus Iconoclaſtię accuſatur; ut propterea queraris peſſime egiſſe cum Luthero Trombellium? Tu, quod ſoles, cuncta permiſces, & id quod Trombellius de aliquibus, qui *Luthero duce, atque Anteceſſore gloriantur*, ita refers, ut id de Luthero dixiſſe Trombellium velis. Si tu attendiſſes Kieslingi ad ea, quæ hoc ſuper argumento idem Trombellius docuit, non eum accuſaſſes. Sed tu aut minime intelligis ea quæ ille ſcribit, aut ſi intelligis, ad ea non attendis. En illa. (*c*) *Id quoque* [id innuit, quod de Luthero tradiderat, cum ſci-

(*a*) pag. 171. (*b*) Diſſer. II. cap. VI. pag. 65. n. XX. (*c*) n. XXI. pag. 65.

Digitized by Google

scilicet se se iniquiorem *Sanctorum cultui ostendisse*; ac *depressisse eorum merita & intercessionem*. Id, inquam, *quantum ego assequi potui, præstitere ii omnes, qui Luthero duce, atque antecessore gloriantur. Quamquam enim Canisius præcipuorum hujus generis Doctorum, veluti Buceri, Camerarii, OEcolampadii dicta affert, ex quibus certo dignoscas interdum haud infensos fuisse illos Sanctorum intercessioni, & cultui eisdem Sanctis adhibito: tamen alibi haud difficile offendes monita, in quibus multo aliter eos sentire agnoscas . . . . Non hi tamen omnes cultum Sanctorum aque improbant. Sunt, fateor, qui in Reliquias, & Imagines sacras quaslibet invehuntur, & in sepulcra ipsa, ex quibus Sanctorum corporum effodiunt ossa, & flammis devovent. Sed nostris temporibus pauci hi sunt: At utinam pauci essent, quibus Sanctorum intercessio, & cultus iis adhibitus displiceret.* Dic mihi Kieslingi: an nescis Calvinistas ipsos *Luthero duce, atque antecessore gloriari?* Si id negas, gloriam hanc Magistro tuo tribuet Bossuetius, ille, inquam, Bossuetius, quem etsi Luthero tuo iniquiorem pronuncies, hic tamen ea affert, ex quibus discas, quanto in pretio Lutherum tuum, aliosque tuæ sectæ magistros Calvinistæ habeant, quippe eos suos antecessores agnoscunt. Expressissima Bossuetii verba ad paginæ calcem rejicio. [a] Tu ipse novisti, quam male Sacræ reliquiæ, & Venerandæ Imagines, tum in Galliis, tum etiam in Bohemia atque in Belgio habitæ sunt. Tu ipse Frimmelium allegas monentem (b), *Calvinistas quosdam Ecclesiæ Ministros male tractasse imagines, eas de templis ejecisse, & igni culinari ad præparandum cibum tradidisse.*

2 Quamquam porro te valde in historia imperitum agnoverim, non ita tamen male de te sentio, ut hæc ignores. En quid denotent illa Trombellii verba. Sed ea hic recolere juvat. *Sunt* [de iis, uti dixi, loquitur, qui Luthero duce, atque antecessore gloriantur] [c] *Sunt*, inquam, *fateor, qui in Reliquias, & imagines sacras quaslibet*

(a) Nous voyons que l' année d' aprés, c' est-à-dire, en 1579. on espéroit encore l' union, puisque les Calvinistes des Païs-Bas écrivirent en commun aux Luthériens auteurs du livre de la concorde, a Kemnice, a Chytré, à Jaques André, & aux autres outrez defenseurs de l' ubiquité qu' ils ne laissoient pas d' appeller non seulement leurs freres, mais leur chair, tant leur union estoit intime malgré des divisions si considerables, les invitant *à prendre des conseils moderez, à entrer dans les moyens d' union pour lesquels le Synode de France* [c' estoit celuy de Sainte Foy] *avoit nommé des députez, & à l' exemple*, disent-ils, *de nos Saints Peres Luther, Zuingle, Capiton, Bucer, Mélanction, Bulinger, Calvin*, qui s' estoient entendus comme on à veû. Voilà donc les peres communs des Sacramentaires et des Lutheriens; voilá ceux dont les Calvinistes vantent la concorde et les conseils moderez. Tom. II. Variat. pag. 207.

(b) pag. 171. (c) Differ. II. pag. 66. n. XXII.

Digitized by Google

invehuntur, & in ſepulcra ipſa, ex quibus Sanctorum corporum effodiunt oſſa, & flammis devovent. Sed idem Trombellius, ut pote & verax, & non male erga vos animatus, ut ſtatim oſtenderet iſtorum veſaniam, atque impietatem, ab iis, qui nunc vivunt, Eterodoxis minime approbari, eorumque ſenſa lectori exponat, hæc ſtatim adjicit [*a*]: *Sed noſtris temporibus pauci bi ſunt: at utinam pauci eſſent, quibus Sanctorum interceſſio & cultus iis adhibitus diſpliceret. Compertum ſcilicet eſt, eos omnes, qui Catholicorum ſententiis noſtra etate adverſantur, hac etiam in re adverſari, tam etſi neque æque, neque ob res eaſdem adverſentur. Alii enim fundamentum ipſum, ut ita loquar, ideſt interceſſionem evertunt, alii vero cultum tantummodo improbant, &c.*

3 Non eſt vero, Kieslingi, cur Confeſſionis Auguſtanæ verba ſubjicias, quaſi hæc neſciremus. Scimus profecto, ſciebat quoque Trombellius, dum Diſſertationes ſuas ſcripſit: neque vero dixit ille, aut Luthero, aut vobis omnibus imagines diſplicere; cui enim ignota ſunt quæ adverſus Carloſtadium ſacrarum imaginum confractorem Lutherus monuit? Agunt ea de re tum alii plurimi, tum certe Boſſuetius, quem tu ipſe allegas, & Catholici omnes merito legunt. Sed cur hic de Signo Crucis & imaginibus tam multa affers? De ſigno Crucis, deque Sacrarum imaginum utilitate diſſeruit apto in loco Trombellius; de Sacrarum quidem imaginum utilitate capite poſtremo diſſertationis IX; de Crucis vero ſigno in appendice, quam *de Cruce* conſcripſit, addiditque diſſertationibus ſuis. De abuſibus itidem in ſacrum cultum interdum illapſis, ſed non propterea ſanctitatem ipſius cultus inficientibus jam egit Trombellius [*b*], quem, ſi vis, conſule;

[*a*] Diſſer. II. pag. 66. n. 22. (*b*) Diſſert. IV. cap. 24. n. 8, & 9. Rurſus diſſer. VIII. cap. 15, 22, 34, & alibi haud raro.

Digitized by Google

AD EXERCITATIONES ADVERSUS DISSERTATIONEM III.

MAgnum ad eloquendum campum ſibi aperit Kieslingius noſter, dum tertiam Reverendiſſimi Trombellii Diſſertationem aggreſſurus, non paucas quaſi velitares, & pugnæ prævias Diſſertationes adjungit, quibus quidem nugis ſuis copioſe conſequitur, quod vehementer is optat, ut ſcilicet grandem librum efficiat. Quamvis porro major harum pars plurimum diſtet ab eo, quod Trombellius pertractavit, argumento, ideoque minime cogar ad ea, quæ Kieslingius effundit, reſpondere, tamen ne videar Kieslingii loquacitatem vereri, illius Exercitationes ſequar, & quid unaquæque tradat, primum ediſſeram, tum ſi quid adverſus eam habeam, paucis exponam. Aggrediamur itaque ſtatim Exercitationem I, quam Cenſor noſter inſcribit:

De Vario Nominis *Sanctus* uſu.

1 INcipit Kieslingius noſter Exercitationes has ſuas ab explicanda ſignificatione hujus nominis *Sancti*. Hæc autem eo ſuper argumento eloquitur [a]: *Solemne eſt nobis, qui Chriſtianam profitemur fidem, beate defunctos, qui ex hac vita, tanquam e domo in domum, cujus opifex Deus eſt, in Chriſto migrarunt, & ad beatiſſimum illud animarum, angelorumque Concilium ſunt evecti, Sanctorum nomine ornare, & eos hac corona, tanquam victores donare. Illi enim vere ſunt Sancti omnis labis expertes, & in Sanguine Agni ab omni abluti menda. Nam illud apud Hebræos, ac Gentiles Sanctum eſt dictum, quod Sanguine expurgatum, & luſtratione apud Paganos conſueta fuit expiatum. Quem expiationis per ſacrificia apud Hebræos ritum haud obſcure indigitat Divus Joannes Apocal. c. VII.* 14. Stolas ſuas agni ſanguine perluerunt, ac dealbarunt. *Hac pia, ſine dubio, mente, & reverentia factum eſt, ut pii Chriſti teſtes, qui duriſſima vexationum ſupplicia fide in Chriſtum tulerunt, & ſuperiores ex his miſeriarum, & calamitatum certaminibus diſceſſerunt, nomine Sanctorum, tanquam virtutis præmio donarentur.*

2 Non ita ſum diſſidiorum amans, ut hæc Kieslingii monita reprehendere velim. Neque enim hæ ex eo genere controverſiarum ſunt, de quibus lis eſt cum Trombellio. Ceterum puto *Sanctum* id genera-

[a] Exerc. I. pag. 172.

Digitized by Google

liter dici, quod Deo *ſacrum* eſt; hinc duo ſuprema, ut ita loquamur, *Sanctificationis* genera denotantur in Scripturis; horum primum denotat deſtinationem ad cultum Dei: atque hanc quidem ſignificationem habet locus ille Gen. 2. 3. *Benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*: alterum exercitium ejuſdem cultus: hinc Exodi 20. 8. *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*. Hinc ſæpiſſime in Scripturis Chriſtiani *Sancti*, immo Nazaræi ipſi veteris Teſtamenti itidem *Sancti* appellantur, dum adhuc viverent.

3 Neſcio porro, quid denotare cupiat verbis illis Kieslingius: *nam illud apud Hebræos, ac Gentiles Sanctum eſt dictum, quod ſanguine expurgatum, & luſtratione apud Paganos conſueta fuit expiatum*. Miſcet enim hic multa, quæ permiſceri utique non debent. Sancti profecto dicebantur Nazaræi, qui tamen ſanguine non expiabantur, multo minus expiabantur *luſtratione apud Paganos conſueta*: immo pollutum id fiebat, quod luſtratione apud Paganos conſueta expiabatur. Hinc Deuteron. XX. [a] *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationem illarum gentium: nec inveniatur in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem*. Et Achaz merito reprehenditur, quod ceteris ſceleribus hoc etiam addiderit, ut [b] *luſtraverit filios ſuos in igne juxta ritum gentium &c.*

4 Quid? quod Gentiles ipſi multa & ſine ſanguine expurgabant & multa luſtrabant, nec continuo hæc *Sancta* appellabant. An *Sanctam* appellatam tu Romam ſcis, erga quam *luſtrationis* ritus, ac cæremoniæ ſæpiſſime adhibebantur? Sed hæc indulgeamus Kieslingio cupienti eruditionem ſuam modis omnibus prodere.

5 An hæc eidem Kieslingio indulgebimus? [c] *Qui ritus quarto demum ſeculo, ex quo halcyonia ſenſit Eccleſia Chriſtiana, ſuos debet natales. Tanta enim in Martyres fuerunt pietate primitivi Chriſtiani, ut in ipſorum memoriam, & honorem natalitia quotannis ſingulari cura, & veneratione celebrarent, & ſermones fucatos admodum & phaleratos, in quibus non raro modum in rebus, & certos fines leſerunt Patres, pie inſtituerent*. Minime vero. An impune ſanctiſſimis ac doctiſſimis Patribus detrahet Kieslingius ille, qui nihil præter audaciam ſecum attulit ad ſcribendum? Qui a *phaleris* ita abhorret, ut in hoc ipſo paragrapho halcyonia Eccleſiæ tribuat (*halcyonia ſenſit Eccleſia*). Qui adeo *modum in rebus, & certos fines* amat, ut nullum habeat in conviciando modum, & certos fines. Qui fucum ita odit, ut ſingulis pene verbis mendacia intermiſceat. Dic mihi Kieslingi: an tibi exquiſita videntur hæc tua verba, quæ poſt excitatum Sagittarium tuum te quidem multo temperatiorem, & doctiorem ſubjicis? *Nec abnuit Fileſacus; Chriſtianos his, de quibus agimus, potiſſimum ſeculis tam alte de Martyribus ſenſiſſe, & iiſdem ad luxuriam uſque in variis nominum appellationibus indulſiſſe, ut Gentilibus, qui ſuos Deos, & Divos Sanctos appel-*

[a] v. 9. & 10. [b] IV. Reg. 16. 3. [c] §. II. Pag. 173.

appellarunt, ſuſpicionem excitarint, quaſi & ipſi Chriſtiani ſuos Martyres pro Diis haberent. Cur non Fileſaci verba attuliſti, quibus revera dixiſſe oſtenderes, quod dixiſſe ais? An tibi credemus tam crebro erranti? Sed de quibus ſeculis loqueris, qui paulo ante de quarto tantum ſeculo locutus es? *Qui ritus quarto demum ſeculo, ex quo halcyonia ſenſit Eccleſia, ſuos debet natales.* Cur plura ſecula hic memoras, qui uſque adhuc unius tantum meminiſti?

6 Fateor Gentiles, dum honores viderunt, quibus vetuſti Chriſtiani Martyres proſequebantur, ſuſpicatos fuiſſe, ne eos divinis honoribus afficerent; ſed illorum ſuſpicionem amoverunt Chriſtiani, apertiſſime teſtati, ſe Martyres non veluti Deos, ſed veluti Dei veri amicos colere. Id, ut ceteros præteream, adnotavit Trombellius (*a*), qui etiam monuit, non propterea aut a colendis eximium in modum Martyribus abſtinuiſſe Chriſtianos, aut quidpiam remiſiſſe honoris iiſdem Martyribus antea tributi: ſolum monuiſſe ſe minime ſacrificare Martyribus, ideoque non eos veluti Deos colere [*b*].

7 Fateor vero inſcitiam meam Kieslingi. Quid tu denotare vis, dum hæc ais? *Non abnuit Fileſacus, Chriſtianos bis, de quibus agimus, potiſſimum ſeculis tam alte de Martyribus ſenſiſſe, & iiſdem ad luxuriam uſque in variis nominum appellationibus indulſiſſe, ut Gentilibus, qui ſuos Deos, & Divos, Sanctos appellarunt, ſuſpicionem excitarint, quaſi & ipſi Chriſtiani ſuos Martyres pro Diis haberent.* Dic age: quibuſnam nominibus in Martyribus laudandis uſi ſunt (*ad luxuriam uſque in variis nominum appellationibus indulſiſſe*), ut Gentilibus occaſionem præbuerint ſuſpicandi Martyres in Deorum numero collocari? An Deos appellarunt, an Divos? Minime vero: ſed tantum Dei amicos, aut dominos. Hæc ſane præſtantiſſima ſunt, & honorificentiſſima vocabula, quibus a Doctoribus IV, & V ſeculi appellati ſunt Martyres. An hæc ſuſpicionem præbere poterant, ne veluti Dii haberentur? Vide quæ capite XVII Diſſertationis IV Trombellius docuit, & manifeſto aſſeveris a reprehenſione alieniſſimos fuiſſe, eſſeque adhuc eos ritulos, quibus Martyres Eccleſia honeſtat.

8 Age porro: quid denotant poſtrema illa verba tua implexa ſane & obſcuriſſima? = *Indulſiſſe, ut gentilibus, qui ſuos Deos & Divos Sanctos appellarunt, ſuſpicionem excitarint, quaſi & ipſi Chriſtiani ſuos Martyres pro Diis haberent.* Explica obſecro, quid verbis illis intelligas: *qui ſuos Deos ac Divos Sanctos appellarunt.* An docere vis a Gentilibus Sanctorum titulo Deos ſuos fuiſſe honeſtatos? At ſcito non omnes promiſcue Deos *Sanctos* fuiſſe dictos: neque aut *Patellarios* Deos Sanctos fuiſſe dictos, aut Sanctum *Ditem*, aut Sanctum *Momum*: ſic ut moneant, qui de Veterum Diis diſſeruerunt, *Sanctum* quidem dictum fuiſſe Herculem, & paucos alios, quos virtus maxime commendabat: at reliquis eximiam appellationem hanc minime fuiſſe tributam. Sed fac omnes

(*a*) Diſſ. II. c. I. pag. 32, & 33. (*b*) Ibidem n. 4. pag. 34. Rurſus diſ. 6. c. 35.

omnes Gentium Deos fuisse *Sanctos* appellatos. An male ea denominatio tributa Martyribus? Nihil minus: immo iis rectissime tributa, demptaque Diis Gentium Dæmoniis, quibus ea impie tribuebatur. Sane si propterea eam denominationem Martyribus demimus, quia ea aliquando tributa est falsis Diis, Sanctum *Deum* appellare non poterimus, nec divinos honores eidem vero Deo tribuemus; etenim novimus falsis Gentium Diis eos fuisse concessos.

9 An docere vis Sanctos *Divorum* titulo fuisse a Patribus IV. seculi appellatos? At falleris: Nullum veterum Patrum exemplum adducere poteris, Kieslingi mi, quo tu probes *Divos* fuisse Martyres appellatos. Hinc nec vetustissimus est ille titulus, qui tum in usu apud Ecclesiasticos esse cœpit, quum jam omnes fatebantur nullum divinitatis honorem, aut notam ea appellatione significari; nec apud omnes probatus: multi enim Scriptores nostri *Sancti* nomen retinendum esse præcipiunt, cavendumque a nomine *Divus*: quo tamen nomine Divinitatem, aut Numen aliquod minime denotari ex eo comperis, quod Imperatoribus Christianis interdum concessum est: & *Divalem* iussionem, *Divales* litteras invenies a Scriptoribus ipsis nostris dictas fuisse Imperatorum iussionem, & litteras.

10 Reliqua quæ adjicis de Martyribus temere a Romana Ecclesia Sanctorum numero adscriptis, & quæ de Christianis, dum adhuc vivunt, hac eadem appellatione honestatis, nihil quidem ad rem præsentem attinent. Tamen primum deinceps recoletur, & ea indicabuntur loca, in quibus id facile refutetur. Alterum vero & satis attactum est antea, & jam adnotatum a Trombellio (*a*). Quod vero adjicis de Episcopis olim in Ecclesia Orientali *Sanctissimorum* titulo decoratis, verum est quidem, &, ut tu ipse fateris, jam traditum a Baluzio. Sed præter quam quod id notissimum omnibus est, & in Veterum scriptis frequentissimum, id peculiare Orientalibus Ecclesiis minime fuit: sæpe enim videmus Augustinum, & alios præclaros Episcopos eo honore affectos: & nihil pertinet ad rem præsentem: sed pertinere vult Kiesslingius noster, ut inde occasionem carpendi Romanos Pontifices desumat. Ceterum ratio, quam referente eodem Kieslingio affert Henricus Kalteisen, valde probabilis est: dignitate enim Ecclesiastica eminet super omnes Episcopos Romanus Pontifex. An non Sanctissimus erit ille, qui ceteris præest, si reliqui, quibus præest, *Sancti* appellari jure ac merito possunt? Sed Kieslingius noster ab hoc se expedit argumento Lectorem amandans ad Joannem Hus, suamque moderationem, ac dignitatem in differendo verbis his Kieslingio dignis declarans. *Sed lubens hoc abstineo argumento, ne Camarinas circa hoc nomen rursus moveam.* Movisti ne igitur alias [*rursus moveam*] Camarinas Kieslingi mi? Tibi gratulor. Egregiam sane, & tam præclaro Doctore dignam provinciam subiisti.

AD

(*a*) Differ. VIII. cap. 32. 3.

AD EXERCITATIONEM II.

Quæ inſcribitur

De Sanctorum Conſecratione.

CAPUT I.

1 TRombellium tibi propoſueras adverſarium Kieslingi Clariſſime, ſed is virtuti tuę, atque eruditioni non ſatis eſt. Catholicos omnes impetis aberrantes, te quidem judice, in venerandis iis, quos Sanctorum numero adſcribit Romanus Pontifex. Nihil horum ſane attigerat Trombellius, quippe uberrime, doctiſſimeque pertractata, ac typis evulgata hæc viderat a Sanctiſſimo Pontifice Noſtro Benedicto XIV, dum Bononienſi Eccleſiæ præerat, magnamque injuriam illius doctrinæ, atque eruditioni facere verebatur, ſi id pertractare aggrederetur, quod Sapientiſſimus Princeps quatuor ingentibus tomis perfecerat. Tu quaſi hæc neſcires Kieslingi mi, nihil horum attingis, & veteres fabulas mendaciis refertiſſimas recolis. An hæc tua ſinceritas, candor tuus, *bona illa fides*, qua libros tuos te elucubraturum eſſe promiſeras? Nihil itaque intererat tam multa de ſuperſtitioſa Gentilium apotheoſi a Pontificiis (ſi tibi credimus) renovata effundere, cum noſtra Canonizatio ab illa, & objecto, & cauſa, & modis omnibus diſtet: quod cum ſæpe alii, tum certe ita manifeſto oſtendit idem Sanctiſſimus Pontifex Benedictus, quem allegavi (*a*), ut nihil ſit quod adjungere iis poſſim, quæ ille diſſeruit. Si illa apud tuos legerentur, Lipſienſes Cives ſtrophis tuis dementare, inque veteri errore retinere utique non poſſes. At Caſalii auctoritatem affers: quippe hæc ais [*b*]. *Nec veritati evictæ contradicere audet Romanæ Eccleſiæ Scriptor ſatis celebris Jo. Baptiſta Caſalius, qui aperte profitetur Sanctorum conſecrationem a Paganis ad Romanam promanaſſe Eccleſiam, quæ hunc ritum ethnicum religioſius, & ſanctius recepit, & obſervavit.* „ Talis „ fuit, *inquit* (de Canonizatione) ritus ſuperſtitionis in conſecratio„ ne Imperatorum Romanorum, qualis autem religioſior, ac ſan„ ctior ſit Chriſtianorum obſervatio in ſcribendis fidelibus in San„ ctorum Catalogum, ex ſequentibus patet. „ Sed dum hæc ais, Kieslingi, apertiſſime oſtendis, aut te minime intelligere quæ latine ſcribit Caſalius, aut, ſi intelligis, impudentiſſimum eſſe, qui Viro Clariſſimo ſententiam ſuæ oppoſitam appingis. Quænam Caſalii affers

[*a*] De Canoniz. Tomo I. [*b*] Exercit. II. pag. 179.

tem Judæi, quam Gentiles jugem ignem, quem *Sacrum* Gentiles ipſi appellavere, ſervabant, agnos mactabant, cremabantque, libamina offerebant, & thure in ſacrificio utebantur, aliaque habebant in ſacris ritibus communia. Ut idem dici poſſit ritus, non aliqua tantum ſpectanda ſunt, ſed univerſa: præſertim vero attendendus eſt is, cui hæc offeruntur, & fiunt; alioquin tuos conatus irrita reddit laudatiſſima Hieronymi reſponſio [a]: *illud fiebat idolis, & iccirco deteſtandum eſt: hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum eſt.* Sed parum erat Kieslingio ſacros ritus noſtros veterum Romanorum ſimiles dicere. Ut magis adhuc ſuperſtitioſos diceret, a Chinenſibus quoque novo mendacio derivandi erant.

4 Quæ de Sacris imaginibus *ridicule* Auguſtæ Vindelicorum *piis* ais, ſi vera ſunt, irridendos, immo potius maxime redarguendos eſſe declarant, qui hæc elaboraverunt, & ſervant. Neque vero in Gallia, aut in Italia toleraretur pictura, quæ aut Monachos Chriſti ad necem ducti comites exhiberet, aut Virginem Mariam repræſentaret, quæ ex coſta Adami Mariam efformaret. Sed vera hæc eſſe vix credo: quis enim Germanos tam imperitos putet, ut hæc confingant?

5 Ea quibus Exercitationem tuam concludis: (b) *Laudarunt quidem Patres, in Conventu publico Martyrum vitas, & merita extulerunt verbis nonnunquam phaleratis; ſed in commercium Sanctorum eos non adſciverunt, neque ut internuncios Deum inter, & homines invocarunt. Aperte hoc profitetur S. Hieronymus Stridonenſis, qui adverſus Vigilantium ita diſputat:* „ Quis, o inſanum caput, aliquando Marytes adoravit? Quis hominem putavit Deum? Nonne Paulus & „ Barnabas, cum a Lyconibus Jupiter, & Mercurius putarentur, „ & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe „ homines eſſe dixerunt? „ *Videant Romanenſes, num ex his Hieronymi verbis ſuam Sanctorum Conſecrationem exculpere poſſint.* Ea, inquam, quibus exercitationem tuam concludis, reſponſionem hanc habent: Inſanis Kieslingi, inſanis, cum hæc effutis, tuamque prodis inſcitiam. Nimirum [ut hic omittamus, quod de phaleratis Patrum ſermonibus rurſum ais: ſatis enim id antea refutavimus] certa res eſt ſummam curam ad dignoſcendos veros Martyres adhibitam fuiſſe ab Eccleſia. At ubi eorum Sanctitatem ſatis teſtatam comperit, iis ipſis honoribus affecit, quibus nunc illos afficimus. Eo ſuper argumento diſſeruit tum alibi quidem Trombellius, tum copioſius capite XVI Diſſertationis VIII (c). Sed uberrime etiam hoc ipſum argumentum pertractavit idem ipſe Sanctiſſimus, itemque doctiſſimus Pontifex Benedictus XIV, quem crebro allegavi [d]. Hos conſule-

[a] adverſ. Vigilan. cap. 3. [b] pag. 181. (c) pag. 337. (d) prioribus capitibus Tom. I Operis inſcripti *de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione.*

Kieslingi, & poſtquam ad eorum argumenta reſponderis, tum demum quod libuerit, dicito.

6 Ad hæc tua monita: *neque* [Patres] *ut internuncios Deum inter, & homines invocarunt*, reſponſionem hanc habe. Inopportuna ad id, quod tibi pertractandum propoſuiſti argumentum, hæc ſunt; quid enim cum *Sanctorum*, ut tu appellas, *Conſecratione*, & *Apotheoſi* ea, quam hic violenter ingeris, Sanctorum invocatio, de qua copioſe alibi differendum eſt? At falſum id etiam eſt quod tu ais, *Sanctos a Patribus non fuiſſe invocatos*: quando quidem id uberrime oſtendit Diſſertatione V Trombellius, ad quem te allego. In ea vero parte, qua ais eos *ut internuncios Deum inter, & homines* non invocaſſe, captioſum eſt, aut ſaltem ambiguum. Si hæc ita intelligas, ut Cælites preces noſtras Deo deferant, commendentque, quaſi ille neſciret, aut eas mediatoris partes ſuſciperent, quas ſuſtinet Chriſtus, hæc veluti impia reſpuimus. Sin hoc tantum intelligis, quod ii patrocinium aliquod noſtri ſuſcipiant, Deoque & Chriſto ipſi nos commendent, id facile admittimus, nec temere admittimus: id enim Catholicum dogma eſt tum ab aliis, tum certe a Trombellio laudabiliter aſſertum ac vendicatum (*a*).

7 Hieronymi monitum rectiſſimum eſt, ſed neque ad rem præſentem id attinet [quomodo enim ex eo inferes: *ergo Eccleſia in Sanctorum numerum Martyres, alioſque Viros pietate eximios, quorum ſibi ſanctitas comprobata fuit, minime retulit*], & jam dudum illuſtratum eſt a Trombellio (*b*). Idem dic de illo loco Actorum, quem allegas, tametſi (quæ tua eſt diligentia, & eruditio) verba ea eidem Hieronymo tribuas, qui nihil horum habet. Locus iſte profecto jam dudum explicatus eſt a Trombellio [*c*], ad quem te allego.

8 Porro poſtrema hujus tuæ Exercitationis verba: *Videant Romanenſes &c.* Kieslingi, præclare oſtendunt, quantum tu ſapias. Quis dic, amabo, quis e Catholicis ex iis, quæ tu ſive ex Hieronymo, ſive ex Actis Apoſtolorum adducis, verbis Sanctorum Canonizationem infert? Nullus omnino, nullus utique Kieslingi, qui cum ad hunc modum concludis, aperte declaras, quam recte de tuis auditoribus judices, quaſi ii non poſſent ineptiſſimam hanc captioſamque tuam concluſiunculam agnoſcere, ac redarguere.

AD

(*a*) Diſſer. III. (*b*) Diſſer. I. cap. 3. n. 19. pag. 22.
[*c*] Diſſer. III. cap. 13. §. 3. pag. 281.

AD EXERCITATIONEM III.

Quæ inſcribitur

De dubio Sanctorum judicio.

CAP. I.

1 AT ne temere videatur locutus Kieslingius, dum & Romanæ Eccleſiæ ritus in ſolemni Sanctorum Canonizatione adhibitos irriſit, & fidem denegari vult Caſalio, aliiſque Catholicis aſſerentibus, omnino credendum eſſe Eccleſiæ, ſi quos illa veluti Sanctos proponit, exempla plurima aſſerre ſtudet, quibus oſtendere ſe poſſe ſperat, Eccleſiam erraſſe, atque adeo errare etiam nunc, dum varios veluti Sanctos colendos proponit, quos utique nunquam extitiſſe novimus. In horum numero Chriſtophorus primas tenet, cujus quidem hiſtoriam judicat Tillemontius perinde incertam eſſe, ac celebris eſt. Addit & hæc (*a*): *Vix cælum tot habet ſtellas, quot ſuperſtitioſa habet Roma Sanctos, de quorum vita, & rebus geſtis nihil certi conſtat. Ridiculum jane eſt commentum, quod Pontificii Doctores tradunt de S. Urſula, ejuſque undecim millibus Virginum. Dominus Po Craſſetus rem ita proponit. S. Urſula eſt ſponſa illa Cantici Canticorum, quæ ex Libano egreſſa eſt, ut reciperet tres Coronas, nempe Virginum, Martyrum, & Doctorum. Accepit Coronam Virginum, quia conſervavit Virginitatem ſuam, & Sociarum ſuarum; Martyrum, quia mortem ſubiit pro conſervatione fidei, & puritatis: Doctorum, quia erudivit* 11000 *Virginum, eaſque excitavit ad martyrium.* Quamquam porro eam veluti Patronam elegerint præcipuæ Theologicæ Academiæ, veluti Sorbonica, Viennenſis, & Conimbricenſis; compertum eſt tamen, meram fabulam id eſſe, quod in illius vita narratur, de martyrio quoque, & ſociis virginibus, quarum numerus undecim millium fuiſſe dicitur. Id quippe anilibus fabulis annumerat Tillemontius. *Errarunt proinde Monachi rudiores* (en præclariſſima Cenſoris noſtri verba) (*b*) *ut demonſtravit Cel. Valeſius non ſolum in voce* undecimila, *quæ nomen proprium eſt; ſed ipſa adhuc errat Romana Eccleſia, quæ Urſulam cum ſuis Sociis invocat, & pie colit. Innumeros adhuc Sanctos, de quibus nihil explorati conſtat, adhuc excitare poſſem. Fruſtra appellarem S. Catharinæ, Margaritæ, Gaſparis, Melchioris, Balthaſaris, Veronicæ, & aliorum nomina. Sed colophonem huic impono argumento, & multa dixiſſe arbitror, ſi Mo-*

(*a*) pag. 184 §. IV. (*b*) Exerc. III. pag. 185. §. V.

linarum ſub calce hujus argumenti excitavero. Subdit & hæc multo graviora. [a] *Tolerandæ forſitan adhuc eſſet Romanenſium, in colendis quibuſdam Sanctis, ignorantia, ſed hæc ipſorum ſuperſtitio, qua lignum, veſtimenta, lapides, aliaſque res ſenſu carentes, pro Sanctis colunt, vix ac ne vix quidem excuſari poterit. Bilem ipſis movebimus, ſed veritatis clypeo tecti, vera ſcribere non erubeſcimus. Feliciſſimus marmorum, quæ tempus rerum edax nobis conſervavit, antiquorum indagator P. Mabillonius lectu digniſſima de S. Viar, quem inter Sanctos coluerunt Hiſpani, nobis tradidit. Certiores nos fecit de literis, quas in Bibliotheca Ducum Barberini offendit, quibus ab Epiſcopo Romano Urbano hujus nominis octavo petiverunt Hiſpani, ut Sanctum Viar in Sanctorum numerum reciperet. Ita vero laudatus ſcribit Mabillonius.* „Notatu dignum „ eſt, quod Urbanus ab Hiſpanis quibuſdam interpellatus de concedendis indulgentiis ob cultum cujuſdam Sancti, cui Viar nomen „ inditum erat, negaverit Pontifex id ſe facturum, niſi prius ne„ ſciret, quis, & qualis eſſet ille Sanctus, & quo tandem argu„ mento ejus ſanctitas probaretur. Allatus eſt lapis, in quo hæ li„ teræ reliquæ erant: S Viar. At periti judicarunt, fragmentum „ eſſe veteris inſcriptionis, in qua quidem Præfectus Viarum lau„ dabatur. „ *O felicem Romanam gentem, cui ſui in viis publicis naſcuntur Sancti! Sic ſupina plane ſuperſtitione hic S. Viar, qui in rerum natura non extitit, religioſo in Hiſpania affectus eſt cultu. Vix a riſu nobis temperamus, cultum S. Amphibolo aliquando in Britania præſtitum contemplaturi. Subolevit dolum, & errorem firmis demonſtravit Uſſerius rationibus; hunc fictitium Amphibolum ex Martyrum Catalogo eſſe expungendum, quum non ſanctus veritatis teſtis fuerit Amphibolus, ſed pallium birſutum, quo indutus fuit mortem oppetiens Albanus. In hoc ſuperſtitionis barathrum delapſa eſt Romana Eccleſia, ut difficile ſit remeare gradum. Facilius erat bos in errores non ingredi, quam in iiſdem non progredi.*

2 His tamen exemplis nihil proficit Cenſor noſter. A Catholicis ſcilicet ſolemni, approbatoque ab Eccleſia cultu honorari aliquos, qui longe a ſanctitate abſunt, dicis tu quidem Kieslingi, ſed minime probas. Dictum porro tuum dum improbo, fateor, nec invitus fateor, in veteres Sanctorum hiſtorias quædam irrepſiſſe, quæ correctione indigent. Norunt omnes, quæ hac in re nos docuit Summus ille Romanus Pontifex, cui debemus Canonem illum, qui *Gelaſii* dicitur, ab aliis *Hormiſdæ*. Quot enim Martyrum hyſtorias erroribus infectas agnoſcit ille, & teſtatur? Præter eas quas ipſe notat, alias agnovimus nondum omnis labis expertes. Quo in argumento cum ſæpe verſati ſunt alii, tum certe verſatus eſt egregius Melchior Canus (*b*). Sed aliud eſt Sanctum aliquem temere Sanctum appellari,

(*a*) Ibidem §. VI. (*b*) lib. XI. loco. Theolo. cap. VI. §. qui ad hunc modum incipit: *In Herodoti lucubratione*.

ri, aliud eſt Sancti alicujus geſta ſincera nos minime habere? Utrumque miſcuit Cenſor noſter, qui id dum facit, oſtendit, quam infelix logicus ſit; quis enim neſcit valde diſtare iſta, poſſeque nos, ſi aliunde alicujus Sanctitas innoteſcat, recte illum colere, tam etſi Acta perierint, aut interpolata tantummodo ad nos pervenerint? Teſtatur profecto Gelaſius [nam Gelaſium eum eſſe plerique cenſent] teſtatur, inquam, Gelaſius, Romanam Eccleſiam aliquando abſtinuiſſe in Martyrum feſtis ab eorum actis recitandis, quoniam ea incorrupta minime habebat (a). Quis tamen negare audeat, eorundem Sanctorum feſta in Romana Eccleſia fuiſſe celebrata? Teſtatur etiam Gregorius Turonicus S. Patroclum Martyrem fuiſſe in veneratione apud populos (b), antequam etiam illius acta innotuiſſent: quamquam etiam fateri non renuit, auctum fuiſſe illius cultum, poſtquam paſſionis illius acta innotuerunt. (c)

3 Ceterum ſummam diligentiam impenderunt Eccleſiæ, præſertim vero Romana, ut ſincera haberet, & quantum fieri poſſet, emendatiora. Hinc Breviaria, Martyrologia, & ceteros hujus generis libros iterum, atque iterum examini, & correctioni ſubjecit, multaque deinceps ademit, quæ antea in ea irrepſerant (d). Si hæc negligeret Eccleſia, ſineretque impune vagari errores, tunc merito nos redargueres Kieslingi; ſed quum emendet, quum ſtudeant viri clariſſimi Eccleſiæ ſtudio inſervire, veluti Ruinartus, qui Acta Martyrum (rejectis ſpuriis, dubiiſque) ſincera evulgavit, & Bollandus in primis, tum reliqui e præclariſſima Societate Jeſu Bollandi imitatores, omnium Sanctorum Acta quam emendatiſſima evulgare ſtudeant, an nos merito reprehendes, ſi aliqua forte evulgata olim fuerint Sanctorum acta fabulis immixta?

4 Hæc porro ut emendemus, te doctore non indigemus Kieslingi Noſtri ſane ex laboribus ſuis non levem fructum retulerunt, & ut in exem-

---

(a) In Canone lato in Concilio Romano tomo V Conci. edition. Vene. Labbe. col. 387, & 388: & Tom. IV Anaſt. Biblioth. edit. Roma. Prol. LXIV. (b) De Glo. Martyr. lib. I. cap. 64. *De Patroclo martyre.*

(c) *Adeo ſecundum antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in Sancta Romana Eccleſia non leguntur, quia & eorum, qui conſcripſere, penitus ignorantur &c. Nos tamen cum pradicta Eccleſia omnes Martyres, & eorum glorioſos agones ..... omni devotione veneramur. Erat enim ſuper eum parvulum Oratorium, in quo unus tantum Clericus ſerviebat: loci enim homines parvum exhibebant martyri famulatum pro eo quod hiſtoria paſſionis ejus non haberetur in promptu .. Populus autem ex hoc magis honorare cœpit Martyrem, conſtructaque ſuper eum baſilica feſtivitatem ejus per ſingulos annos devote concelebrat.* Gre. Turo. Ibidem.

(d) Pio V Pontifice emendatum Breviarium Romanum eſt; Gregorio XIII Martyrologium; Clemente VIII utrumque examini rurſus ſubjectum, & emendatum. Nec defuere qui Urbano VIII approbante Eccleſiaſticos libros iterum emendarent. Martyrologium porro adhuc emendatius prodiit cura, ſtudioque Optimi noſtri Pontificis Benedicti XIV, quem diu incolumem ſervet Deus. Fortaſſe etiam ejuſdem Pontificis cura Breviarium correctius edetur.

Digitized by Google

exemplis a te allatis consistam, Christophorus, quem tu irrides, celebris Christi Martyr ille est, Decio fortasse imperante, Martyrium passus; idque jam dudum monuerunt nostri, qui fere putant *appellativum* esse, & adjunctum, minime vero proprium *Christophori* nomen; scilicet vocabulo eo denotari volunt, Christum gestatum ab eo fuisse in pectore, fortasse etiam tam Sanctum nomen ab eo in gentes exteras fuisse translatum. Tu ipse Muratorium, & Mabillonium in hanc sententiam allegas, viros sane præclaros, & de litteraria Republica optime meritos. Quid grandia Christophori membra a Pictoribus expressa denotent, pridem tradidit, præeunte Vida, Trombellius, cujus explicationem legere commode poteras. Vilne iursus exscribam? Ecce ea tibi (*a*):

Christophore, infixum quod eum usque in corde gerebat,
Pictores Christum dant tibi ferre humeris.
Quem gestans quoniam multa es perpessus amara,
Te pedibus jaciunt ire per alta mari.
Id quia non poteras, nisi vasti corporis usu,
Dant membra, immanis quanta gigantis erant,
Ut te non capiant, quamvis ingentia, templa:
Cogeris & rigidas sub Jove ferre hyemes.
Omnia quod victor superasti dura, virentem
Dant manibus palmam, qua regis altus iter.
Quod potis, ars tibi dat, nequeat quum fingere vera:
Accipe cuncta bono tu bonus ista animo.

Aliam explicationem symbolicam illam quidem, sed eo usque symbolicam, ut historiam prorsus excludat, præbet Pierius Valerianus. Fortunius Licetus Pierium ex parte videtur sequi, ex parte reprehendit: fatetur scilicet Licetus, symbolicam esse quidem imaginem eam, sed historiam aliquam sub ea delitescere etiam vult. Scriptores istos Lector conjulat.

5 Fatemur quidem, si vis, cum Pagio, quem tu adducis, aliisque magnis viris in S. Ursulæ historia nonnulla *fabulosa invenire*, sic ut frustra insudes, dum id ostendere studes. Sed ut a nomine ipso exordiar, non eam emendationem accipio, quam tu præbes: ita scilicet, ut *Undecimilla* sit proprium nomen Virginis, ut puto, comitis Ursulæ in Martyrio sociæ. Dixi *ut puto*, neque enim dicis, cujusnam proprium sit (*b*). Emendationis tuæ aut causam affer, quibusve conjecturis aut momentis illa nitatur, ostende; aut saltem probabilem Scriptorem, ex quo illa acceperis. Rem sane gratam feciſſes, si dum Valesium allegas, verba ipsa, aut certe librum Valesii allegasses, & quoniam duo

(*a*) Dissert. IX. Cap. XXII. n. 4. pag. 89.

(*b*) *Errarunt proinde Monachi rudiores, ut demonstravit Cel. Valesius, non solum in voce Undecimilla, qua nomen proprium est, sed ipsa adhuc errat Romana Ecclesia, qua Ursulam cum suis sotiis invocat, & pie colit.*

Digitized by Google

duo Valesii litteris fuere celebres, Henricus, & Hadrianus, quem tu indices, edocuisses. Quam enim fidem tibi tam sæpe erranti dabimus?

6 Nonnullis sane valde probabilis visa est illorum explicatio, qui monent [a], errorem ex eo fuisse ortum, quod ubi veteres Codices legebant *Ursula cum Sociis undecim M.*, ideirt *Martyribus*, lectum est ab incautis *Millibus*. Hæc porro explicatio si ad emendanda Martyrologia plurimum valet, ad emendanda acta Martyrii Sanctæ, & Sociarum omnino non sufficit: multo enim plures, quam undecim fuisse traditur Virgines Ursulæ comites. Ut reliquas explicationes omittam, mihi non improbanda videtur Baronii opinio, qui ex Guafrido Episcopo Asafensi, Vesulam illiusque socias ab Hunnis Gratiano Imperatori federe junctis, illarum virginitatem violare cupientibus, passas esse narrat. Rem non describo, ut pote multa continentem, quæ si referrem, nimio plus caput istud excresceret. At Baronius fuse rem totam narrat (b). Ad eum itaque Lectorem allego. Illud sane constat, potuisse eam Virginem, & illius socias in Patronas ab Academiis eligi. Quis enim, uti jam dixi, vetat, ne eos Sanctos venerer, quorum Acta mihi omnino perspecta non sunt? Si ea, quæ tradit Baronius, non plane respondeant iis quæ de Ursula Crassetus narrat, quis Crassetum Baronio præferat?

7 In dijudicanda Sanctæ Catherinæ historia Catholici dissident. Bellarminus vitiata fatetur acta, at ea facile emendari posse judicat, modumque tradit, quo illa emendentur. Alii alia proponunt. Mihi verisimilis videtur esse Baronii & Tillemontii explicatio: Censent quippe Catherinam, quæ a nobis colitur, eam ipsam Virginem esse, quæ ab aliis Dorothea dicitur. Vide obsecro quæ tradunt viri hi præclarissimi [c].

8 Vulgata Margaritæ acta falsa sunt procul dubio. Vide quæ habent Bollandiani Socii (d). At certe probatus ac vetustus illius est cultus. Multo meliora acta iidem Bollandiani Socii præbent. Hæc tu consulere si voluisses, poteras. Consule denique nunc, & disce aliquando, non fabulis oblectari Catholicos, sed potius si qua emendationis indiga in Sacras historias irrepserunt, ea pro viribus corrigere.

9 Gasparis, Melchioris, Balthassaris nominibus tres eos intelligimus Sanctos magos [tres enim fuisse eos apertissime tradit S. Leo] qui primitiæ gentium Christi incunabulis sunt advoluti. Num vere nominibus his appellarentur, minime asserit Ecclesia; & nos sane quum in festa Epiphaniæ die illos colimus, nominibus suis eos non appellamus. Vulgi itaque, non Ecclesiæ opinio ea est. An omnes vulgi opiniones approbamus, & sequimur?

10 De

(a) In annotation. ad Martyro. Rom. ad diem XXI Octobris.
(b) In annotation. ad Martyrol. ad diem 21. Octob. litt. B; in anna. ad an. 383. n. 3. [c] Baronius ad an. 307. §. 30. Tillemon. his. Eccl. Tom. V. pag. 446. edi. Vene. (d) Tom. V. Julii pag. 24. & seq.

10 De Veronica agit apto loco Trombellius [a]. Paucis hic dicam, nullom esse de fœmina *Veronica* vocabulo appellata Ecclesiæ decretum. Si extitit mulier aliqua, quæ Sudarium Christo præbuerit, in quo reliquit Christus sui vultus imaginem, potuit eadem fœmina dici *Veræ iconis*, ideſt fœmina, cui vera Christi Imago tradita est. Deinceps vero modica mutatione dici *Veronica*. Num vere extiterit an non fœmina hæc, disputavit (ut dixi) Trombellius [b].

11 Sed veniamus oportet ad præcipuum accusationum caput, ad illud scilicet, quo nos cum Idololatris comparat, quod lignorum, vestimentorum, lapidum, aliarumque inanimarum rerum cultores sumus. Quod porro *lignorum* cultores simus, nulla vel leviſſima probatione ostendit. Sed neque *vestimentorum*, neque *lapidum* cultores comprobant duo illa exempla, quæ adducit. Aliud est enim lapides colere, & vestes, aliud est putare ab aliquo Sanctum aliquem indicari ea voce, quæ lapidem [si lapidem denotassent voces illæ *S. Viar.*] aut vestem significat. Tu duo hæc Kieslingi permisces, quæ plurimum distant, & a priore quasi concesso, alterum veluti aut idem prorsus, aut certe consectarium infers: quod non faciet, nisi is qui imperitissimus est. Et sane postremum ex errore minime malo oriri facile poterit, ideoque criminis expers esse, primum vero gravissimum crimen est, illudque ipsum, quod vulgato nomine dicimus *Idololatriam*.

12 Sed fac Kieslingi, verum id esse, quod dicis, erroremque gravissimum admiserint boni illi Hispani, qui prava marmorei monumenti lectione decepti *S. Viar* colere studuerunt, ii quoque qui *Amphibolum* martyribus annumerarunt. Quid tum demum consequeris, quod causæ tuæ faveat? Nihil plane. Age: præclarissime Trombellii censor, qui dum putas nobis bilem movere, risum moves, & miserationem excitas, quod cum tam imperitus sis & indoctus, tantum audeas tamen: Age, inquam, & edisere, num Ecclesiæ sententia innotescat ex pauciſſimis, illisque indoctis, & rudibus, quorum errori obsistant Antistites, an potius ex ipsis Ecclesiæ Præsulibus, & Episcopis? Ab his utique dices: neque enim Concilia ex minuta, indoctaque plebe efformamus, neque hanc consulimus, cum aliquid circa Ecclesiastica dogmata, aut sacros ritus definiendum est, sed Episcopos, Clerumque cogimus, hosque consulimus, atque in primis Romanam Ecclesiam, ipsumque Pontificem. At quis Sanctum illum tuum *Viar* colere studuit? quis *Amphibolum* Martyribus annumeravit? An Clerus, an Episcopi, an Concilium aliquod? Nihil minus. Sed vilis, indoctaque plebecula, quam sæpe errantem fatetur Trombellius (c). Rudibus tamen Hispanis illis, illorumque errori obstitit Romana Ecclesia, obstitisset & iis qui *Amphibolum* in Martyrum numero

[a] Disser. IX. cap. 34, & 35. (b) Ibidem. (c) Cap. 9. & 15. Dissert. VIII. pag. 321. & 351. Recole etiam loca quæ ad litteram. [b] pag. 154. allegavi.

mero posuerunt ; si illam utique consuluissent errantes. An non ex hoc potius Romanæ Ecclesiæ sanctitatem, & sollicitam curam inferimus, quæ nullum in Sanctorum cultu errorem patitur, illosque reprimit, qui Sanctos sibi nec probatos, nec notos venerari student? Sane Trombellius [a] ex sollicitudine ac cura, quam habet Ecclesia, ne malus dolus, aut error in Sanctorum cultum irrepat, cujus quidem curæ non pauca ille adduxit exempla, merito infert, liquido constare reprobari ab eadem Ecclesia cultum quemlibet, quem fraus aliqua, aut error infercire pertentat, studereque illam, ut rectus undique, ac labis expers sit honor, quem Deo, is quoque, quem Sanctis adhibet. Sed tu, quæ tua est insciția, Kieslingi, aut etiam pravitas, hæc dissimulas, tuisque Lipsiensibus fucum facis, *ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant.*

13. At te magnum virum clamitas, qui Idololatras Catholicos omnes *ad oculum* demonstraveris. Sed quam sit levis tua hæc objectio, disce demum, si non ex me, quem suspectum fortasse habebis, ex Benedicto XIV, Sanctissimo, itemque doctissimo Romano Pontifice, quem honoris causa hic allego. En ipsa Optimi Scriptoris verba [b]: „ Apud Patrem Mabillon in Itinere Italico, & apud Langlet in *me-*„ *thodo studii historici* narratur, nonnullos existimasse, se novum quem„ dam Sanctum invenisse cultu dignum, Sanctum vid elicet *Viar* : sed „ crassum ipsorum errorem ex eo deprehensum fuisse, quod marmo„ rea inscriptio, cui potissimum innitebantur, fuisset erecta *Præfecto* „ *Viarum* ; ita ut littera, quę in marmore non integro legebatur, „ esset ultima littera verbi *præfectus*, & verbum *Viar* decurtatum „ *Vias* exprimeret. Hinc error detectus est : *sed quatenus eo modo de-*„ *tectus non fuisset, semper petito cultui obstitisset animadversio ; ex ti-*„ *tulo videlicet Sancti in marmore sculpto probari non posse cultum esse* „ *exhibendum*. Eam porro in rem proxime ante attulerat eruditissimus Pontifex Boldettum hæc edocentem (c): *Ne pure in conto veruno si tiene qual svoglia iscrizione, ancorchè in essa fosse registrato alcun titolo di santità, o altro simile attributo : sapendo noi molto bene, che nella primitiva Chiesa quello di Santo non era distintivo o di merito, o di martirio, ma bensì davasi ad ogni Fedele in riguardo della santità della Religione, che professava, ed era a tutti comune.*

(a) Dissert. VIII. cap. XVI. pag. 337.
[b] Lib. IV. par. 2 cap. 27. n. 14. pag. 200. editio. Patavi.
(c) Geme. lib. 1. cap. 47. pag. 252.

AD EXERCITATIONEM IV.

Quæ inſcribitur

De Eccleſia Primitiva per tria ſecula Sanctorum invocationis haud rea.

CAP. I.

1 LEve ne tibi videbatur *Kieslingi*, quod a via tibi a Trombellio propoſita aberraras, multaque miſcueras ab ejuſdem Trombellii diſputationibus valde remota, niſi etiam ea huc temere inferres, quæ nullum hic habent aptum locum? An verebaris ne promiſſis ſtares Trombellius, & poſtquam ſtatuerat Diſſertatione V peculiariter, & ſingillatim de invocatione diſſerere (*a*), Lectoris expectationem eluderet? Vide itaque quam recte ſermonem de invocatione hic inducas. Sed detur *Kieslingio*, ut non ſolum, quæ libet, ſed etiam quando libet, effutiat, audiamuſque eum magna minitantem. At quis illi indulgeat, quod dum de invocatione ſe diſputaturum promittit, de Reliquiarum cultu ſermonem inſerit? Quis illi indulgeat, quod Proteſtantium objectiones afferens, reſponſiones illas diſſimulat, quibus in hac ipſa priori Tomi primi parte Trombellius his ipſis Kieslingii objectionibus occurrerat, cuncta præveniens, quæ tanto verborum apparatu *Kieslingius* affert? An non vera narro? Quis ad invocationem pertinere dicat ea, quæ de S. Polycarpi reliquiis *Kieslingius* narrat? Sed qualiacunque ſint iſta, & allata, & ſoluta ſunt ſane a Trombellio partim Capite XIV Diſſertationis IV [*b*], partim capite XV ejuſdem Diſſertationis, ideoque, uti diximus, in hac ipſa Tomi I priore parte, quam ipſe exagitat. Atque in eodem ipſo capite XIV, immo in eadem etiam pagina ſolutionem invenies, quam adhibeas iis, quæ ex Hieronymo *adverſus Vigilantium* diſputante §. VI. producit [*c*]. Conſtat ſcilicet Hieronymum *Adorationis* nomen hic ſumere in ſenſu rigoroſo, quod capite III Diſſertationis I (*d*) jam adnotavit Trombellius.

2 At videte Kieslingii conſtantiam. Monuerat ille alibi Vigilantium temere accuſatum fuiſſe a Hieronymo. Monuerat ille antea [*e*] Hieronymum *aerius quam verius debellaſſe Vigilantium*; nunc autem Hieronymum laudat, quaſi Lutheranis faventem. Quod dum facit, prodit ille (ſicut con-

(*a*) *In quinta* (Diſſertatione) *de invocatione dicemus, & precibus quibus Sanctorum ſuffragia expoſcimus.* In Præfati. ad Audito. pag. 7.
(*b*) §. I. pag. 282. [*c*] Pag. 191. (*d*) §. 19. pag. 22. (*e*) Pag. 99.

conſtanter alibi) inſcitiam ſuam. Scilicet Vigilantius ad hunc modum Catholicos ſacrarum reliquiarum cultores irridebat: (a) *Quid neceſſe eſt tanto honore non ſolum honorare, ſed etiam adorare illud neſcio quid, quod in modico vaſculo tranſferendo colis?* = Et rurſus: *Quid pulverem linteamine circumdatum, adorando oſcularis?* Negat porro Hieronymus ſacras reliquias, quas a Catholicis *adorari* monebat Vigilantius, re vera ab ipſis *adorari*: Sumpto ſcilicet, quod jam dixi, vocabulo *adorationis* in *rigoroſa ſignificatione* [nam ad hunc modum vocem *adorare* ſumebat Vigilantius, qui propterea Catholicos quaſi ſuperſtitioſos, immo potius idololatras reprehendebat]. Adorationem nempe proprie & rigoroſe dictam ſoli Deo reſervabant Catholici. An vero Hieronymus (uti putat Kieslingius) *omnem qua in Martyres, & ipſorum reliquias ferebantur Chriſtiani, pietatem, civilem tantum eſſe dicit honorem, & reverentiæ ſignum*, qui adverſus eundem Vigilantium diſputans eum ſic reprehendit? *Dolet Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in ſterquilinio, ut ſolus Vigilantius ebrius, ac dormiens adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam confitentur? .... Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem vilisſimam, & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portaverunt?* (b) ..... *Male ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem pulviſculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria. Et non ſolum unius Urbis, ſed totius Orbis errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Baſilicas mortuorum &c. .... Rides de reliquiis Martyrum, & cum auctore hujus hæreſeos Eunomio, Eccleſiis Chriſti calumniam ſtruis .... Tales adverſarios habet Eccleſia: hi duces contra Martyrum ſanguinem dimicant: hujuſce modi oratores contra Apoſtolos perſonant; immo tam robidi canes contra Chriſti lutrant diſcipulos.*

3 Quod ſi Epiſtolam eam, quæ Pauli, & Euſtochii nomine prodiit, eidem Hieronymo tribuis: (tribuere vero merito poteris, locutione ipſa Hieronymum indicante) an Hieronymum civilem tantummodo Sacris Reliquiis honorem adhibuiſſe cenſebis, poſtquam hæc ſcripſit (c)? *Et Martyrum ubique ſepulcra veneramur, & ſanctam ſavillam oculis apponentes, ſi liceat, etiam ore contingimus: & monumentum, in quo Dominus conditus eſt, quidam æſtimant negligendum?* Et mox: *Ergo ne erit illa dies, quando nobis liceat ſpeluncam Domini Salvatoris intrare? ..... Samariam pergere, & Joannis Baptiſtæ, Eliſæi quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare?*

(a) Cap. 2. (b) Cap. 3. (c) Epiſt. olim 17, in Veron. edit. 46. n. 8.

4 An vero ad invocationem pertinent, quæ ex libro Auguſtini *De vera religione* obiicis, aut ea non prævenit Trombellius? Apage utrumque. Nimirum minime pertinent, & quamcumque habent Auguſtini verba difficultatem, adverſus invocationem certe non habent. Sed & illuſtrata ea ſunt a Trombellio Capitibus XIV, & XV Diſſertationis IV [*a*]. Et hæc novit Kieslingius, & præterit? & tamen candidi ſincerique Cenſoris titulum, & gloriam uſurpat, ſibique arrogat?

5 At aggrediamur, quæ ex Actis SS. Fructuoſi, & Sociorum adducit. Afferam vero ea ipſa verba, quibus diſputat egregius Trombellii Cenſor. [*b*] *Inſignem nobis conſervavit locum Baronius, qui rem cum Fructuoſo, ejuſque Diaconis, coram Æmiliano geſtam enarravit. Æmilianus Fructuoſo, ejuſque Sociis Deos colendos demandavit: quod denegarunt, hac fidei confeſſione prolata:* „ Ego unum Deum colo, „ *inquit Fructuoſus*, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia „ quæ ſunt in eis. „ *Æmilianus Fructuoſo perſuadens, Deos eſſe colendos adſeruit: Si illi vel maxime Deo eſſent inferiores; tamen honore quodam humano, & civili, ut Imperatores, coli & adorari poſſe. Scis, eſſe Deos? inquit, qui audiuntur, qui timentur, qui adorantur, ſi Dii non coluntur, nec Imperatorum vultus adorantur? Hanc Ethnici ſententiam in cultu Sanctorum prorſus ſuam faciunt Romanenſes, eodem colore ſuum errorem dealbantes: Si cultus vel reverentia Imperatoribus, Regibus, & viris ſummæ dignitatis exhibetur, multo minus eſt hæc pietatis ratio, & cultus Sanctis apud Deum gratioſis denegandus. Sed toto cælo differt cultus, qui ſoli Deo debetur, ab honore externo & civili, qui viris in dignitatis faſtigio conſtitutis merito, & citra omne ſuperſtitionis & idololatriæ crimen præſtatur. Sed hæc ipſorum excuſatio ulterius verbis Eulogii Diaconi Fructuoſi calamitatis comitis, refelli poteſt. Æmilianus hujus judicii præſes, ad Eulogium, quem ad ſuas partes trahere voluit, dixit*: Nunquid & tu Fructuoſum colis? *Eulogius Diaconus dixit: Ego* Fructuoſum non colo, ſed ipſum colo, quem & Fructuoſus. *Ex his itaque planum eſt, præter Deum hos fidei Chriſtianæ teſtes, neque jam defunctos Martyres coluiſſe, neque vivos veritatis teſtes, qualis Fructuoſus fuit. Quin imo cultum nulli creaturæ, ſed ſoli Deo ſummo hujus univerſi ſtatori vindicarunt, & verbo*, colere, *de cultu divino ſtrictiſſime in hac publica fidei confeſſione ſunt uſi.*

6 Sed quo aberras Kieslingi? Hæc minime ad invocationem ſpectant, & tamen tua diſputatio *de invocatione* inſtituta eſt. Hæc quoque temere adducta, & ex ingenio immutata: ſcilicet pro ut tibi libuerit. Vis ne tibi ſincera afferam? Ecce illa tibi. (*c*) *Æmilianus Præſes Fructuoſo Epiſcopo dixit: Audiſtis quid Imperatores præceperunt? Fructuoſus Epiſcopus dixit:* „ Neſcio quid præceperunt. Ego „ vero

[*a*] Pag. 283. & 284. & ſequen. (*b*) Exerc. IV. pag. 193. §. VII.
(*c*) Ruinart Acta Sincer. pag. 191. colum. 2.

Digitized by Google

„ vero Chriſtianus ſum. „ *Æmilianus Præſes dixit: Præceperunt Deos coli. Fructuoſus Epiſcopus dixit:* „ Ego unum Deum colo, qui fecit „ cælum & terram, mare & omnia quæ in eo ſunt. „ *Æmilianus dixit: Scis eſſe Deos? Fructuoſus Epiſcopus dixit:* Neſcio. *Æmilianus dixit: Scies poſtea. Fructuoſus Epiſcopus reſpexit ad Dominum, & orare capit intra ſe. Æmilianus Præſes dixit: Qui audiuntur, qui timentur, qui adorantur, ſi Dii non coluntur, nec Imperatorum vultus adorantur? Æmilianus Præſes Augurio Diacono dixit: Noli verbis Fructuoſi auſcultare. Augurius Diaconus dixit:* Ego Deum omnipotentem colo. *Æmilianus Præſes Eulogio Diacono dixit: Numquid & ne Fructuoſum colis? Eulogius Diaconus dixit:* „ Ego Fructuoſum non colo; „ ſed ipſum colo, quem & Fructuoſus. „ Simillima ſunt his ea quæ Baronius allegat. Ubinam porro Kieslingi in his invenis, quæ tu adducis? *Si illi Dei* (quos Fructuoſo colendos propoſuerat Æmilianus) vel *maximi* [fortaſſe legere volueras *maximo*] *Deo eſſent inferiores tamen honore quodam humano, & civili, ut Imperatores, coli, & adorari poſſe.* Nihil horum eſt in his Actis, ſed in iis tantummodo legimus hortationem Æmiliani, ut Deos colat Fructuoſus, & probationem [ſi loqui ita volumus] qua perſuadere illi volebat Æmilianus, ut eoſdem Romanorum Deos coleret; quoniam ſcilicet non muta atque inanima erant ſimulacra, quod ſæpe gentilibus objiciebant Chriſtiani, ſed veri Dii: nam *audiebantur* [num ad tonitrua reſpiceret Æmilianus, quæ aliquando *Jovis voces* dicuntur, an potius ad oracula per quæ Apollo, aliaque falſa numina voces emittebant, judicet Lector] *timebantur, adorabantur.* Quod ſi hæc divinitatis argumenta non erant, Imperatorum vultus adorari utique non potuiſſent, & tamen ab omnibus adorabantur. Nempe veluti numina reverebantur populi Imperatores, quia præſentes ipſi per ſe, abſentes autem per eorum Præſides, audiebantur & timebantur: adorabantur autem ab omnibus eorum vultus.

7 Quando itaque Fructuoſus ita reſpondit: *Ego unum Deum colo:* Quando Augurius Diaconus dixit: *Ego Deum Omnipotentem colo:* Quando Eulogius Diaconus dixit: *Ego Fructuoſum non colo, ſed ipſum colo, quem & Fructuoſus:* in rigoroſo ſenſu accipiunt vocem *colo:* ideſt pro obſequio, quod divinitatis proteſtationem conjunctam habet: quam quidem ſignificationem ſecutus Auguſtinus in ſermone, quo eundem Fructuoſum, & illius Martyrii ſocios celebrat, hæc ait (*a*): *Cariſſimi veneramini Martyres, laudate, amate, prædicate, honorate, Deum Martyrum colite.* An hæc miraris? quaſi neſcires Romanorum Diis ſacrificia, & reliquos divinos honores deferri conſueviſſe: immo Imperatoribus ipſis veluti veris Diis divinos honores fuiſſe delatos,

Sa-

(*a*) Num. 9. Sermonis olim 107. *de diverſ.* in nova editione 273.

sacrificia quoque illis decreta, & Sacerdotes, & Flamines [a]. Hoc exposcebat Æmilianus; illi hac in re parere merito recusarunt Fructuosus, & sancti illius Diaconi: neque omnino de civili cultu inter eos est disputatum, quem sane Imperatoribus adhibitum fuisse a Christianis, discimus, uti alibi monui, ex notissimo illo Tertulliani loco [b]: *Colimus ergo & Imperatorem sic quomodo, & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, & quidquid est a Deo consecutum, & solo Deo minorem.*

8 Quo quidem testimonio, quidquid secus Kieslingius sentiat, aperte constat, non esse determinatam vocem *cultus* ad significandum obsequium Deo reservatum; qua de re hic multa dicere superfedeo, quia eo de argumento & ego satis alibi [c], & copiose disseruit Trombellius (d): cujus monita Cap. XIV. Dissert. IV. recolas, obsecro, ne quid habeat Kieslingius, quod rursus opponat. Quod si licet Censori nostro aliquid in aurem dicere, eum enixe deprecor, ne deinceps, si alios Lutherana eruditione refertissimos libros edat, *Calamitatem* appellet sive Martyrium pro Christo toleratum, sive publicam testificationem fidei nostræ (e). Quis hæc ferat in homine Christiano, cujus potissima, quid non & unica gloria est *sequi Christum, & hunc crucifixum*, vitam pro Christo tradere, eumque coram regibus & potestatibus hujus Mundi confiteri? An publicam Christianæ fidei testificationem *calamitatem* appellabat Ignatius, dum hæc ajebat? (f) *Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ: quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne, sicut aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer. Ignoscite mihi filioli: quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus: nihil de his quæ videntur, desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, Crux, Bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantum Christo fruar.* An *calamitatem* appellat Cyprianus, dum verbis his nonnullos adhuc pavidos ad Martyrium hortabatur (g)? *Ut nihil aliud mortalitas ista contulerit, hoc Christianis, & Dei servis plurimum præstitit, quod Martyrium cæpimus libenter appetere,*

---

[a] Plurimi hoc de argumento disputant. Indico eos tantum, qui indubitatis exemplis id, quod agimus, comprobant. Philippus Bonarota præeat, cujus liber ad hunc modum inscriptus: *Osservazioni istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi*: pag. 2. 3. 40. 41. 71. 72.) id quod agimus egregie demonstrat. Bossuetius est alter, cujus expositionem in Apocalypsim locis, quæ statim notabo, consule. In caput III. parte 2. pag. 67. editionis Italicæ anni 1732. In caput XIII. pag. 162. 173 & 177. Et in compendio ejusdem explicationis pag. 279. (b) Lib. ad Scap. cap. 2. [c] ad Exerc. I. cap. 1. 2. &c. [d] Dissert. I. cap. I. & 3. (e) *Sed hæc ipsorum excusatio ulterius verbis Eulogii Diaconi, Fructuosi calamitatis comitis, refelli potest.* Exercit. IV. pag. 193. [f] Refert ex ejusdem Ignatii epistola Hieronymus *de Script. Eccl.* [g] Lib. de mortali.

cere, dum mortem discimus non timere. Exercitia sunt nobis ista, non funera. Dant animo fortitudinis gloriam, contemptu mortis præparant ad coronam .... Qualis i lic celestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi! quàm summa, & perpetua felicitas!.. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus.

9 Sustinuimus hactenus Kieslingium nostrum ea proponentem, quæ ad Trombellium utcunque pertinent. Sustineamus obsecro rursus eum, dum sermonem effundit adversus Pellizonium. Quorsum hæc? dices. Quia id Kieslingio placet. Metuebat scilicet, ne si adversus Trombellium tantummodo peroraret, non eo usque crescceret libri moles, quo illam crescere optabat, ideoque Pellizonium sibi fingit adversarium: non quo eadem cum Trombellio proponat; videbimus enim nihil horum attigisse Trombellium, sed quod invocationem hic temere intrudens, se ineptum, importunumque disputatorem præbet, ea etiam addens, quæ quoniam in hac ipsa disputatione nihil ad rem nostram pertinent, ineptissimum eum, & vanissimum manifestant. Audiatur itaque eximius Censor noster ad hunc modum differens (*a*): *Dictatoria hæc Romanensibus auctoritate prolata videntur, quum ingenioso, & acutulo Paullo Pelissonio non desint argumenta, quibus nobis persuadere allaborat, seculo jam secundo Sanctos fuisse invocatos. Prodiit ad annum 1690. liber, cui nomen: Reflexiones in differentias, seu controversias religionis, cujus autorem fuisse Paulum Pelissonium de Fontanier nobis tradit Du-Pinius. Omnes celeb. Pelissonius acuit, & intendit nervos, ut nobis suam obtrudat sententiam, seculo jam secundo Sanctos fuisse invocatos, quod ex Centuriatoribus Magdeburgensibus probare satagit. Ita ille: invocationem Sanctorum in Ecclesia agnoscunt auctores Protestantium, & a seculo jam secundo, eam in Ecclesiam introductam esse dicunt, ut Centuriatores Magdeburgenses in seculo secundo, Centur. III. Cap. IV. pag. 58. Quis non videt in Doctorum hujus seculi scriptis, non obscura vestigia invocationis Sanctorum? Habes ejus formulam apud Origenem: O beate Jobe, ora pro nobis! Non inficiamur laudatos Centuriatores, in enumeranda hujus seculi secundi doctrina de invocatione Sanctorum hæc tradere.* „ Videas, *inquiunt*, in Doctorum hu- „ jus seculi scriptis non obscura vestigia invocationis Sanctorum. Ha- „ bes ejus formulam apud Origenem: O beate Job, ora pro nobis „ miseris! „ *ut reliqua transeam. Quo argumento alios in suas partes trahere conatur Cel. Pelissonius. Verum enim vero nemo nostrum rerum Ecclesiasticarum adeo hospes est, & ignarus omnium, qui nesciat, hanc Centuriatorum Magdeburgensium mendam esse Pelissonii, & qui cum eo faciunt commentum. Profitemur, excitatos, qui res historicas adamantino plane studio nobis collegerunt, Centuriatores, quod & bono interdum accidit Homero, dormitasse, & a vero aberrasse tramite, Commentarium libri*

(*a*) Pag. 190. §. V.

libri II. in Jobum Origeni falso adscribentes, quum alii seculorum sequentium auctori, suos debeat natales. Nec hoc in argumento auctores fefellit augurium, neque ipsis defuit ratio, qua blateroues, fidem primitivæ Ecclesiæ fugillantes, ad silentium redigere potuerunt sempiternum.

10 At age Kieslingi, dic mihi: cur hæc adducis? An Trombellius Pellizonium adduxerat? An Centuriatores reprehenderat? An opusculum quod commemoras, allegarat, illudque Origeni adscripserat? an saltem de invocatione hic disputaverat? Nihil horum. Cur ergo adducis? Nisi ut liquido innotescat, te stertentem, somniantemque scribere, & dummodo aliqua effutias, nihil curare an apte, an inepte scribas. Hoc est quod paragrapho hoc tuo consequeris Kieslingi, quem minime juvant ea quæ ex variis Scriptoribus abradis, ut Origeni abjudicandum ostendas opusculum istud. Noverat hæc Trombellius, & propterea quum de invocatione agit, & Origenis testimonium perquisivit, Opusculum hoc omisit, & Homiliam in Ezechielem eodem Origene auctore a Hieronymo latinitate donatam allegavit; [a] ex presissime autem opusculum istud Origeni abjudicavit Capite V Dissertationis II. (b) quod te legisse necesse est, si caput illud impugnas. Recole obsecro Kieslingi mi, quæ Trombellius de eo auctore docuit. *Aliunde vero novimus eos, qui inter Arianos, aut certe inter Semiarianos enumerantur, a Sanctorum cultu minime fuisse alienos. Tales sunt Eusebius Cæsariensis, & auctor ille, cujus Commentaria in Job sub Origenis nomine prodierunt, quem Erasmus ariana labe infectum putavit.* Quibus quidem verbis, non modo quid de hoc auctore sentiat, tradit, verum etiam tradit, quid de hoc ipso loco, quem tu examini subiicis, judicet: propterea enim hæc ait, quia noverat Sanctorum invocationi expressissime favere Scriptorem illum ab Origenis quidem ætate, & merito remotum, non spernendum tamen. Alibi etiam hunc ipsum auctorem allegans, hæc ait: [c] *Sive Origenes, sive alius quisquis is est, cujus commentaria in Cantica sub Origenis nomine prodiere, quemque doctum, & disertum appellat Erasmus, suspicans illum ipsum esse, qui libros de vocatione gentium edidit.* Atque hoc quidem Trombellii de hoc libro judicium vidit Kieslingius, quando quidem hæc ait (d): *Hoc argumentum æque ac illud, quod ex commentariis Origenis, seu alius cujusdam auctoris in Cantica, pro Sanctorum invocatione, & intercessione adducit, a nobis eluditur.* Ipse consentit, quod hic commentarius sub Origenis *nomine prodiit. Argumenta de veritate hujus expositionis in Canticum Canticorum, in utramque ab auctoribus allata partem, leget apud Oudinum, quæ jam non repeto, quum ipse palam profiteatur, se hunc librum suppositis annumerare scriptis.* Et tamen, dum hæc novisti Kieslingi, hic tam multa de hoc testimonio ab Origene abjudicando immisces?

AD

[a] Diss. V. cap. 10. pag. 10. & seq. [b] num. 1. pag. 52.
(c) Differ. III. cap. III. pag. 73. [d] Exerc. VI. pag. 205.

AD EXERCITATIONEM V.

Cui præfigitur titulus:

De Sanctorum Interceſſione.

1 QUum ad Exercitationem hanc tuam perveni, Kieslingi doctiſſime, non nihil commotus ſum, videns nempe te exacui ad prælium, vires tuas experturum. *Experiamur itaque noſtras vires, & hæc Eccleſiæ Romanæ ſyrmata* (Sanctorum ſcilicet interceſſionem) *deſtruamus*. Nondum igitur vires tuas experti ſumus: tam etſi ducentas fere paginas adverſus Trombellium, atque adeo contra Catholicos omnes ſcribendo inſumpſeris? Cur porro hic vires exeris, & te paras ad prælium? Nimirum ut Romanæ Eccleſiæ ſyrmata deſtruas. Papæ. Egregius bellator es, qui tandem vires tuas exeris, ut ſyrmata deſtruas!

2 Sed age Kieslingi, cur ſyrmata hæc, quæ adeo tibi diſplicent, ut ad ea evertenda atrox prælium adverſus Trombellium pares, cur, inquam, ſyrmata hæc Romanæ Eccleſiæ hic adeo a te reprehenſa [ſanctorum ſcilicet interceſſionem] deinceps tibi in pretio eſſe, atque in deliciis profiteris? An non tua ſunt iſta? [a] *Nos univerſalem aliquam Sanctorum Angelorum, & Beatorum pro tota Eccleſia admittimus interceſſionem, & eam minime fidei contrariam eſſe dicimus, ſpecialem autem negamus .... Res eſt indubitata: Sanctos ſuas pro Eccleſia militante fundere preces. Non enim eos in lethargo quieſcere, & omnium operationum expertes eſſe ſtatuimus.* Item hæc [b]: *Id autem Romanenſibus quodammodo damus, orare poſſe defunctorum animas in genere, pro incolumitate, & ſalute totius Eccleſiæ, quæ adhuc in caſtris degit. Suam de hoc argumento fidem noſtri Auguſtanæ Confeſſionis auctores ita expreſſerunt:* „ *De Sanctis concedimus, quod ſicuti vivi orant pro Eccleſia univerſa in genere; ita in Cœlis orent pro Eccleſia in genere, tam etſi teſtimonium nullum extet de mortuis orantibus in Scripturis; præter illud ſomnium ſumptum ex libro Machabæorum poſteriori.* Id autem ut firmius ſit, Feurbornii auctoritate confirmas. Fateris itaque Kieslingi mi, duce tua Auguſtana Confeſſione, & fatentibus tuis ipſis, re vera pro Eccleſia Sanctos intercedere: ideoque fateris Sanctorum interceſſionem per ſe non eſſe *ſyrma recidendum*. Et his poſitis, tu *ſyrmata deſtruenda* interceſſionem appellas: eamque ut evertas, vires tuas acuis? O doctorem eximium: o virum incomparabilem!

[a] pag. 272. [b] pag. 309.

AD EXERCITATIONEM VI.

Quæ inſcribitur

De lubrica Eccleſiæ Romanæ auctoritate.

CAP. I.

ARgumentum ab Eccleſiæ auctoritate deſumptum, quod Cap. II Diſſertationis III propoſuit Trombellius, oſtendens ſcilicet Cælites omnes, ideſt tam Angelos, quam Sanctos mortali vita functos precibus, atque ope ſua nos adjuvare, ſic exhibet Kieslingius noſter: *Nauſeam nobis movet Ven. Trombellius, qui prædito animo cum auctoritate Eccleſiæ Romanæ in ſcenam prodit. Centonem exhiberem, ſi jam de auctoritate Eccleſiæ agere vellem. Auctoritas Eccleſiæ apud nos in ſuo eſt pretio, ſed non eſt principium, neque regula, neque norma, quæ nobis ſola eſt Scriptura S. Latet hic anguis ſub herba. Auctoritatem Patrum, Conciliorum, & Romanorum decretorum dignitatem hoc nomine tradit; & tamen de univerſa Eccleſia, quæ errare neſcit, agere videtur.* Hem quid ais Kieslingi? Nauſeam tibi movet Trombellius? Sed quos tibi cibos appoſuit, qui nauſeam moveant? An illos tibi appoſuit, quos tu tam ſæpe commemoras, dum Bellarmini *feces*, dum *ſtabulum Augiæ*, dum *Camarinam* tuis ſcriptis immiſces? Nihil minus. Vir modeſtiſſimus, & Theologicæ dignitatis retinentiſſimus ab his abhorret, neque voculam ullam, aut apicem invenies, in quo aliquid horum inſit. Quid ergo tibi ſtomachum movet? *Eccleſiam* univerſam Proteſtantibus objecit Trombellius, quam quidem errare non poſſe, oſtendit, ex eo quod Chriſtus proxime poſt aſcenſurus ad Cælos his verbis diſcipulos ſuos eſt allocutus (*a*): *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra .... Et ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Nimirum verbis his: *Ecce ego vobiſcum ſum*, peculiare, illudque ſummum Chriſti omnem poteſtatem in cælo & in terra aſſecuti, præſidium promittitur; item ut illis Judicum VI. v. 12. & 13. &c. *Dominus tecum .... Dominus nobiſcum eſt .... Ecce ego ero tecum*, peculiare illudque ſummum Dei præſidium ſignificatur. Et hæc tibi ſtomachum movent Kieslingi, atque in ea verba erumpere cogunt, quæ jam exſcripſi? Sed tu nihil eorum commemorans, quæ tibi ſtomachum movent, in hæc erumpis. [*b*] *Salvo igitur nunc tuo argumento: Quæro ex te, num univerſa Eccleſia Chriſtiana a primis inde incunabulis doctrinam de cultu & interceſſione Sanctorum crediderit? Quæro qua auctoritate dogma fidei, ſilente Scriptura*

[*a*] Matth. 28. v. 19. & 20. [*b*] Pag. 196.

ptura S. recipi potuerit? Quaro, num ab omnibus retro ſeculis uſque ad Apoſtolos creditum ſit? Effiagito, num primis tribus Chriſtiana Eccleſia ſeculis receptum fuerit? Univerſam Eccleſiam hoc dogma credidiſſe ſalva & bona conſcientia non dixeris: quum diſſidia ſeculis primis, & ſubſequentibus, de hoc capite orta, vel tironibus in hiſtoria Eccleſiaſtica ſint nota. Præſidia Scripturæ S. in hac doctrina invenies nulla. Nulla Apoſtolorum mandata, quæ & voce, & ſcriptis erant inculcanda. Deſiderabis trium primorum ſeculorum munimenta? Operam denique & oleum perdidiſti, quod nobis univerſam objeciſti Eccleſiam, quæ tamen hujus rei plane eſt expers. Stat Eccleſia vera medios inter vexationum ſcopulos, & hæreſium certamina, & inſidias, ſatis munita, & gaudet glorioſi ſui capitis, & ducis præſentia. Verum eſt, quod adducis „ Ecce ego vo„ biſcum ſum uſque ad finem ſeculorum. *Math. XXVIII.* 20. Eccleſia enim eſt columna & fundamentum veritatis. 1. *Tim: III.* 15. *proinde ſubverti penitus non poteſt, quod nemo noſtrum negabit, niſi de promiſſo Jeſu dubitare velit. Tota proinde, ſeu univerſa Eccleſia, hac Jeſu prædictione, tanquam aggere circumdata errare non poteſt, neque unquam erravit errorem fundamentalem. Et ſi vel maxime ad paucitatem eſt redacta, habuit tamen ſemper ſuos veritatis teſtes, & illibatas Jeſu doctrinas. Particularis ſæpius, ſæpiuſque & Vet. & Nov. Teſt. erravit Eccleſia, & quod in aprico eſt, tempore Athanaſii, quum totus fere Mundus videretur Arianus, nonnunquam, ceu Luna defecit. Sed nihil propterea veritati, & auctoritati, & exiſtentiæ Eccleſiæ decedit. Audi tuum Gregorium de Valentia.* „ *Novimus, inquit, aliquando errorum, ſchiſmatum,* „ *perſecutionum fluctibus agitatam eſſe Eccleſiam, ut imperitis quidem* „ *nec ſatis prudenter rationes temporum, rerumque circumſtantias æſtiman*„ *tibus cognitu fuerit difficilis, quod tum maxime accidit, cum Arianorum hæreſis in Orbe pene toto dominabatur. Nam eo tempore ſcripſit* „ *Hieronymus contra Luciferianos, Eccleſiæ navem pene obrutam fuiſſe;* „ *& Hilarius pluribus monuit verbis contra Auxentium, non fuiſſe Eccle*„ *ſiam tum temporis in tectis, & exteriori pompa quærendam, ſed po*„ *tius in Carceribus & ſpeluncis.* Et poſtea. *Ideo cum Eccleſiam ſemper* „ *viſibilem eſſe affirmavimus, non ad præſentem Eccleſiæ ſtatum, quo* „ *videbatur latere, reſpicimus.* „

2 Antequam ad poſtrema hæc tua monita Kieslingi reſpondeam, monendus es, te erraſſe plurimum, cum hæc antea dixiſti: (a) *Auctoritatem Patrum, Conciliorum, & Romanorum decretorum dignitatem hoc nomine tradit, & tamen de Univerſa Eccleſia, quæ errare nequit, agere videtur.* Eccleſiam eſſe volumus fidelium cœtum, cui legitimi Paſtores præſint, ideoque præſit in primis Romanus Pontifex. Deficere hanc poſſe ante conſummationem ſeculi, aut errores admittere poſſe, id eſt quod negamus. Neque vero id temere negamus, cum id a-

(a) Pag. 95.

pertiſſime oſtenderint Theologi noſtri, atque in primis Boſſuetius; quem Trombellius ſequitur, cujus argumenta hic non urgeo, ne illius verba non pauca hic exſcribere cogar: præſertim quum tu ipſe videaris ejuſdem argumenti vim percepiſſe, cum illud præteris, & hæc ais: *Salvo igitur tuo argumento &c.*

3 His poſitis, ad ea quæ deinceps attuliſti, modo reſpondeo. Hic Kieslingi inſiſtendum eſt in interceſſione, nam ea hic tantum inquiritur a Trombellio: quam ob rem, quæ de cultu, & invocatione Sanctorum immiſces, videri hoc loco poterunt non admodum opportuna. Sint tamen, ut libet, aptiſſima. Ajo vero *Univerſalem Eccleſiam Chriſtianam a primis uſque ſeculis*, & uti tu inquis, *a primis inde incunabulis* credidiſſe, & credenda Fidelibus propoſuiſſe ea dogmata, quæ nunc Romana credit Eccleſia, credebant autem omnes, antequam Lutherus ab Eccleſia deficeret. Id ne temere dictum putes, cum alii quidem oſtenderint, tum cumulatiſſime ſane oſtendit Trombellius Diſſertatione III, & ſequentibus. Ab eo porro diſces, ſeculis omnibus credidiſſe Eccleſiam: & intercedere Sanctos, & eos invocari poſſe, & coli tanquam Dei ſervos & cœleſti beatitudine jam donatos, noſtri tamen ſollicitos, & apud Deum ſuffragatores: at quod ad modum eos colendi attinet, variis viciſſitudinibus ſubeſſe illum potuiſſe: neque enim perſecutionum tempore ea publica honorificentiæ argumenta, quæ nunc Sanctorum ſepulcris, & imaginibus deferimus, deferri poterant. Sed quod ad rem ipſam, ſeu ad dogma generatim inſpectum attinet, indubitatum eſt ſane ſeculo XVI ineunte, ſi pauciſſimos Bohæmos, & reliquias quaſdam Albigenſium & Waldenſium excipias, reliquos Chriſtianos ea dogmata credidiſſe, ac credenda propoſuiſſe. Si itaque fateris *totam*, ſeu *Univerſam Eccleſiam* ea Chriſti prædictione: *Ecce ego vobiſcum ſum, tanquam aggere circumdatam, errare non poſſe, neque unquam erraſſe errorem fundamentalem*, cum tota Eccleſia ea circa Sanctorum interceſſionem & cultum crediderit, quæ nunc credimus: [quis enim putet, pauciſſimos, eoſque Paſtoribus deſtitutos homines, qui ſecus ſentiunt, efficere poſſe, ne *Univerſalis* appelletur ea Eccleſia, quæ per Orbem ſparſa, & legitimis Paſtoribus cuſtoditur, & alitur?] plane ſequitur, ea quæ nos de Sanctorum interceſſione ac cultu tradimus, erroribus, iis ſaltem quos tu *fundamentales* appellas, annumeranda non eſſe. Cur ergo *ſuperſtitioſum*, cur *idololatricum* appellas cultum, quem Sanctis deferimus? An levis error eſt ſuperſtitio, an error minime fundamentalis idololatria? Sed cur vis erroris fundamentalis tantummodo expertem Eccleſiam? An Chriſtus diſtinxit *fundamentalem* inter, & non *fundamentalem* errorem? An potius, cum validiſſimum præſidium eidem Eccleſiæ promiſit, ab errore quovis alienam fore prædixit? An putas aut potentiam illi deeſſe, ut ab errore quovis ſervet, aut tam levi erga ſponſam ſuam amore affici, ut fœdiſſimas tantum maculas ab ea amoveat? Longe aliter, ac tu loqueris, locutus eſt Cyprianus, cujus hæc verba ſunt,

sunt : [a] *Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica, Unam Domum novit, unius cubiculi Sanctitatem casto pudore custodit*. Porro cum Ecclesiam sequimur, Scripturam sequimur: quippe qui ex Scripturis discimus, Ecclesiam errare non posse, dixisseque Christum : *qui vos* (Ecclesiæ Præsides) *audit, me audit*. Neque vero necesse est, ut in dogmate & ritu quovis expressissima habeamus Scripturæ testimonia, quæ id doceant, sed satis est, ut Ecclesiam sequamur ducem. Dic mihi Kieslingi, quisnam Scripturæ locus te docuit Mariam Sanctissimam perpetuam virginitatem servasse? Quisnam te docuit Baptismum pueris collatum validum esse, eundemque baptismum infusione conferri posse? Utrumque tamen credis; quin etiam credis Sanctos pro Ecclesia Universa intercedere, tametsi indubitatum Scripturarum testimonium, quo id asseveres, nondum inveneris. Recole obsecro, quæ tu superiori exercitatione retulisti, & Feurbornii auctoritate confirmasti [b].

4 Quod porro de Ecclesis particularibus errori obnoxiis ais, opportunum non est. Nos enim exemplum attulimus non alicujus particularis, sed universalis Ecclesiæ, quam aliquando defecisse aut deficere potuisse quis credat, postquam a Christo audivit Ecclesiam eam Urbem esse, quæ in monte posita est, ut eam universi conspiciant? At cur, dum Ecclesias particulares errare posse doces, ad ea provocas tempora, quibus Ariana hæresis adeo increbuit, ut totum Orbem infecisse visa sit, fatente ipso Gregorio de Valentia, *quem meum dicis*, qui tamen tam *meus* est, quam alius quilibet Catholicæ Ecclesiæ Theologus. Monuit porro Hieronymus adversus Luciferianos scribens, Ecclesiæ navem pene obrutam fuisse, & Hilarius sæpe docuit per eadem tempora non fuisse Ecclesiam in *tectis*, & exteriori pompa quærendam, sed potius in carceribus, & sepulcris. Quibus quidem motus idem Valentia hæc scribere non est veritus: *Ideo eum Ecclesiam semper visibilem esse affirmavimus, non ad præsentem Ecclesiæ statum, quo videbatur latere, respicimus*. Vide tamen Kieslingi, quam sit aptum exemplum hoc tuum. Jam dixi, de particularibus Ecclesis nolle me agere, & de universa Ecclesia me disputare. Itaque necesse non erat, ut hæc produceres, si ad eum tantum finem producere volebas, ut ostenderes Ecclesias particulares errare posse, cum nulla foret ea de re lis inter nos; sed vereor ne exemplum hoc tuum, si quid probat, id probet, quod tibi quoque displiceat. Si verba Hieronymi adversus Luciferianos disputantis *rigorose* accipimus, *errore fundamentali* infectam fuisse Ecclesiam fatebimur: etenim hæc ait: *Et totus orbis se Arianum esse miratus est*. An totus Orbis particularis aliqua Ecclesia est? An *fundamentalis error* non est Ariana hæresis, Christo divinitatem adimens? Te itaque Kieslingi rogo, ut quoniam universam Ecclesiam *errore fundamentali* infici non posse ais, illud

(a) De Unitate Ecclesiæ. [b] Ibid. ideſt pag. 309.

illud non afferas exemplum, quo facile probare audebit te duce Socinianus aliquis, totum Orbem adversus Christi divinitatem conspiraſſe. Id dum Hilarii & Valentiæ auctoritate confirmas, difficultatem auges, & nodum tibi ſtruis indiſſolubilem.

5 Audi tamen, Kieslingi mi, haud difficilem ſolutionem. Hieronymi verba ad Concilium Ariminenſe reſpiciunt, in quo Urſacii, & Valentis fraude decepti Epiſcopi, ambiguæ formulæ, quæque & Catholicæ ſpeciem habebat, & talis credi merito poterat, ſubſcripſerunt. Fraudem poſtea detexere ii ipſi, qui ad ſubſcribendum induxerunt, ſeque ea protuliſſe monuere non eo ſenſu, quem Epiſcopi illi fraudis ignari ineſſe putabant, ſed in eo quem Semiariani excripſerant. Tum Epiſcopi Orthodoxi hoc ſenſu ea verba ſe excepiſſe negarunt, ſeque illuſos ſaſſi ſunt, quod crederent ea in catholico ſenſu fuiſſe prolata, non in eo quem poſtea iis verbis ineſſe monuerunt Urſacius & Valens impii perinde ac fraudulentiſſimi Epiſcopi. *Miratus eſt itaque Orbis ſe Arianum eſſe*: ideſt mirati ſunt Epiſcopi ſe formulæ, quæ in arianas partes facile deducebatur, incaute ſubſcripſiſſe; mirati ſunt quoque populi, quod ſibi ii præeſſent epiſcopi, quos ſibi conſenſiſſe dicebant Urſacius & Valens: quod licet, ſi mentem eorum ſpectes, a vero alieniſſimum foret, ſi formulam tamen ſpectes, æque ab Arianis, quam a Catholicis Epiſcopis ſubſcriptam, verum eſſe videbatur. Hinc iidem epiſcopi, ut fidem ſuam orthodoxam proderent, ſeque ab Arianiſmo remotiſſimos teſtarentur, ad atteſtationes, atque juramenta ipſa confugere non dubitarunt, palam ſcilicet docentes ſe non ea in propoſita formula intellexiſſe, quæ hæretici intelligebant, ſed catholicam veritatem, cui unice adhærebant, & perpetuo adhæſerant. Hæc copioſiſſime exſequitur Tillemont (*a*), ad quem te allego.

6 Quod vero ex Hilario profers, undique per ea tempora exagitatos Catholicos indicat, *Conſtantio* ſcilicet Semiarianis manifeſto favente, ſtudenteque in eorum partes cunctos trahere Epiſcopos. At nunquam negavit Hilarius partem aliquam Orbis Catholicam eſſe (& is ſane Gallias ab hæreſi immunes ſervavit, plurimæ quoque in Italia, & Hiſpania Eccleſiæ Catholicis Epiſcopis regebantur: quin Oriens ipſe Catholicis Epiſcopis minime caruit, tam etſi diu ab eis regi populos non ſineret Arianorum perfidia) ſed tantum docuit non æque manifeſto, imperante Conſtantio, Catholicæ fidei profeſſionem fieri, ac fiebat Conſtantino Magno imperante: etenim Conſtantii temporibus exagitabantur ubique Catholici Antiſtites, & vel in exilium mittebantur, vel etiam in carceres conjiciebantur: ſic ut in carceribus, & in locis abditis quærendi eſſent non pauci Epiſcopi, qui orthodoxam fidem profitebantur, uſurpatis ab Arianis & Semiarianis eo-

(*a*) Tomo VI. hiſt. Eccl. *de Arianis*. Art. præſer. 82. Saint Phebade &c. pag. 457. edit. Vene.

eorum ſedibus. Sic exulare juſſi ſunt Athanaſius, Meletius, Cyrillus Hieroſolymitanus, aliique non pauci præcipuarum ſedium antiſtites, illiſque ſubſtituti Conſtantio accepti. An propterea Eccleſia viſibilis eſſe deſierat? Nihil minus. Non ne etiam imperantibus Ethnicis incarceres conjiciebantur Epiſcopi, an non inquirebantur ad certam necem? An non in locis abditis eos quærere oportebat: & tamen viſibilem per ea ipſa tempora, licet exagitatam fatemur Eccleſiam? Hanc Valentiæ mentem fuiſſe nemo dubitat. non aliam quampiam: ipſe quippe data opera oſtendit viſibilem eſſe Eccleſiam, neque ullo unquam tempore adeo delituiſſe affirmat, ut viſibilitatem amiſerit ſuam, tametſi & fateatur ipſe, & fateantur Catholici omnes, quædam fuiſſe tempora, quibus exteriorem pompam prorſus amiſerit. Vide obſecro quæ tradit Beda in Caput VI Matthæi [a].

7 Sed nefas ſit poſtrema tua verba omittere Kieslingi doctiſſime. Ad hunc ſcilicet modum, ut tu bene noſti, exercitationem hanc tuam concludis [b]: *Quæ cum ita ſint, univerſa Eccleſia Jeſu promiſſo, donec ad ipſum evehatur ſponſum, fruetur, & erit ſalva, & pura, licet Meduſæ caput in medio ipſius offendatur. Quum igitur univerſa Eccleſia, non per unius anni ſpatium, & ut preſſius ſcribam, ne per minutiſſimam temporis particulam quidem, perſuaſionem de interceſſione, & invocatione Sanctorum, quam recipit Romana Eccleſia, crediderit, & admiſerit, ſequitur, vitioſe ad univerſam Eccleſiam hujus erroris minime ream a Ven. Abbate provocari. Nihil itaque agit, quod Eccleſiæ univerſalis auctoritatem, & perpetuitatem dictis Patrum ſuffulcit. Nam ſi vel totus rueret Orbis, & ſi errores ex Eccleſiæ Romanæ ſinu, veluti capita ex hydræ Lernææ trunco propullularent; ſtabit tamen Eccleſia univerſa, & veritatem divinam, tanquam depoſitum aliquod pretioſum, conſervabit puram & ſalvam.*

8 At quo te contradicendi ardor rapit Kieslingi? Puram ne dices Eccleſiam illam, in cujus medio *Meduſæ caput* offendatur; id eſt ſi recte aſſequor profanam hanc phraſim tuam, quæ erroribus graviſſimis adhæreat? Erras vero, & graviter erras ad hunc modum diſputans (c) *Quum igitur univerſa Eccleſia, non per unius anni ſpatium, & ut preſſius ſcribam, ne per minutiſſimam temporis particulam quidem, perſuaſionem de interceſſione, & invocatione Sanctorum, quam recipit Romana Eccleſia, crediderit, & admiſerit, ſequitur vitioſe ad univerſam Eccleſiam hujus erroris minime ream a Ven. Abbate provocari.* Negare nunc non poteris jam pridem putaſſe Eccleſiam Sanctos pro viventibus intercedere: id enim & tu fateris, in eo tantum a Catholicis recedens, quod ad univerſalem Ecclesiam reſtringis, quam Catholici ad ſingulares perſonas etiam ampliant ſanctorum interceſſionem: nec temere ſane ampliant; quod facile oſtenderem, niſi dudum oſtendiſſet Trombellius

(a)

(a) Lib. II. commen. cap. 28. ad verba illa. *Cum ſero eſſet factum, erat, navis in medio mari &c.* (b) Exerc. VI. §. III. pag. 197. [c] Ibid.

AD EXERCITATIONEM VII

Hoc modo inscriptam:

De intercessione Sanctorum variis dictis Scripturæ Sacræ falso afficta.

CAPUT I.

1. Mirabile est porro, quod hic agit Kieslingius. Scilicet apertissime (quod crebro dixi) Sanctorum intercessionem erga universalem Ecclesiam agnoscens, admittensque, (*a*), plurimas tamen paginas nunc insumit, ut omnino eandem intercessionem amoveat, adeo ut non solum eam minime in Scripturis propositam, sed neque ab antiquis Patribus traditam asseveret: quod dum agit, in duo gravissima incommoda incurrit, scilicet ut suam opinionem, & ut fere dicimus, *Statum quæstionis* eum inter, & nos tum demum aperiat, quum ad exitum deducta est disputatio; ut etiam opinionem ipsam suam probationibus sane non contemnendis privet. Sed agat ille quod libet, nos ad vindicandum adversus Kieslingii accusationes Trombellium convertamur. Vide obsecro benevole Lector, quam sincerus in referendis Trombellii sententiis, ac probationibus sit Kieslingius ille qui *sacre* ipsa Trombellii verba se describturum pollicitus erat. Hæc Trombellii sunt verba (*b*) *Plurimum virium habere veterum auctoritatem ad comprobandas Theologicas persuasiones nemo, ut arbitror, in dubium vertet. Insita scilicet animis nostris sententia est, jureque ac merito insita, veteres rectissime de rebus ad Deum, religionemque pertinentibus sensisse, utpote qui vel Deum ipsum magistrum habuerint, vel eos certe homines, qui a Deo ipso instructi fuerant, & eruditi. Rem itaque valde laudabilem faciam, si ostendero vetustissimos illos, ac probatissimos viros qui ante Christum duces fidei nostræ fuere, ideoque eos, quorum auctoritas apud omnes in summo est pretio, censuisse Sanctos vita functos sua nobis apud Deum suffragatione, ac precibus opem ferre. Porro Hugo Grotius hac in quæstione minime suspectus, se id ostensurum fore putavit antiquissimo exemplo. Abraham nempe, quod discimus ex Josepho, sic filium suum, mox Deo in sacrificium mactandum, fuit allocutus.* „ Ubi autem Deus cum precibus, & Sacro „ dimissam animam tuam susceperit, & apud se locaverit, tu mihi id eris, „ cujus præcipue causa te educavi, adjutor, & senectutis solatium; „ Deum mihi pro te exhibens.

[*a*] Exerci. V superiori. (*b*) Cap. 3 pag. 71.

2 En porro quomodo Kieslingius ea referat (*a*). *Venerabilis Abbas vetuſtatem hujus perſuaſionis de Sanctorum interceſſione oſtendere, & argumentis munire ſtudet. Incedit proinde pharetra ſagittis, admodum acutis gravida, armatus; ratus antiquiſſimum eſſe veriſſimum. Hugonem illum Grotium fere magnum in rem ſuam trahit, & in prima certaminis acie collocat.* „ *Hugo*, inquit, *Grotius hac in quæſtione minime ſuſpectus, ſe id oſtenſurum fore putavit antiquiſſimo exemplo. Abraham „ nempe quod diſcimus ex Joſepho, ſic filium ſuum mox Deo in Sacri„ ficium mactandum, fuit allocutus: Ubi autem Deus cum precibus & „ ſacro dimiſſam animam tuam ſuſceperit, & apud ſe locaverit, tu mihi „ id eris, cujus præcipue cauſa te educavi adjutor, & ſenectutis ſola„ tium, Deum mihi pro te exhibens.* „ *Sed bona fide ſi nobiſcum age„ re voluiſſet, ultima huic loco adduxiſſet e Joſepho verba. Deum loco „ tui hoc merito excitaturus.* „ Noſciſne optime Lector in his Kieslingii verbis Trombellii argumentationem, probationemque? an potius hominem vides detruncantem quæ libet, & huc illucque ſaltitantem, ne Lector argumenti vim percipiat? Et tamen ipſe quædam Trombellii afferens, Lipſienſibus ſuis illudit, quaſi expreſſiſſima Trombellii verba, ipſamque ſententiam retulerit. Hæc adnotaſſe neceſſe erat, ne putaret Lector deſipere Trombellium, quaſi ad eum modum diſputaſſet, quo eum diſputaſſe Kieslingius ait.

3 Omiſſa autem amœna illa lepidaque deſcriptione Trombellii pharetra, & ſagittis armati, (*b*) venio ſtatim ad Kieslingii accuſationes. Quamquam porro minime approbare videtur Kieslingius, quod his verbis tradidit Trombellius: *Neminem vocare in dubium, quin plurimum virium habeat veterum auctoritas ad comprobandas Theologicas perſuaſiones*, expreſſe tamen minime reprobat. Convenimus itaque, plurimum virium habere Veterum auctoritatem ad comprobandas Theologicas perſuaſiones; & num eorundem Veterum teſtimonia a Trombellio adducta Kieslingius enervet, expendamus.

4 Attulit ipſo referente Kieslingio, attulit, inquam, Trombellius Joſephi locum, quo oſtenditur ipſum Abrahamum credentium Patrem putaſſe, Sanctos mortuos ſuffragio ſuo nos adjuvare. Duo ad argumentum hoc evitandum quærit Kieslingius: horum primum eſt Joſephi teſtimonium *ſubdole* allatum fuiſſe a Trombellio; alterum Joſephi auctoritatem nullo in pretio habendam eſſe.

5 Ut a primo exordiamur, quoniam Kieslingii verba jam attuli, expendamus obſecro, quantum virium habeat ea reſponſio. Tu Grotium, cujus interpretatione atque auctoritate, viri ſcilicet minime ſuſpecti, uſus eſt Trombellius, Grotium, inquam, *fere magnum* appellas. Sed cur magnus omnino non eſt? Quia ſcilicet Trombellio favet. Is ne igitur tantummodo magnus eſt, qui opinionibus tuis præ-

(*a*) pag. 197. (*b*) *Incedit proinde pharetra ſagittis admodum acutis gravida armatus &c.* pag. 197.

Digitized by Google

præluceſcat? Si ita eſt, paucos invenies magnos. Sed hæc omittamus, accuſationemque ipſam examinemus. Cur *bona fide* Trombellium agere non vis, quia non addidit poſtrema Joſephi verba: *Deum loco tui hoc merito excitaturus*. Sed quantum Kieslingi falleris! Immo *peſſima fide* [ut elegantiſſimis tuis phraſibus utar] *peſſima*, inquam, *fide* egiſſet Trombellius, ſi ea addidiſſet. Nonne apertiſſime teſtatus is eſt Hugonis Grotii interpretationem a ſe exhiberi, locumque propterea in margine innuit, in quo hæc Grotius tradit? Porro tum Grotii interpretationem, non aliam quamlibet adducere Trombellius debuit. At Grotius hæc Joſephi verba τὸν θεόν ἀντὶ σαυτοῦ παραχρήσῃ ad hunc modum latine interpretatur: *Deum mihi pro te exhibens*. Itaque ſi ea verba addidiſſet, quæ tu addenda eſſe mones; nempe *Deum loco tui hoc merito excitaturus*, priori latinæ interpretationi aliam imprudenter, inepteque aſſuiſſet. Et tamen quia non aſſuit, eum Kieslingius reprehendit, eumque *violatæ fidei* accuſat. O præclarum accuſatorem, quem merito Lipſienſes audiant, & magnis laudibus prædicent!

6 Ceterum non eam tantummodo, quam Grotius exhibet interpretationem Trombellius allegat: Gelenii etiam interpretationem innuit, atque eam quidem a ſe minime allatam ait, quod illi, quam Grotius proponit, affinis ſit: vetuſtiſſimam quoque Rufini interpretationem adducit, quamvis hæc minus Trombellio faveat, quàm Grotii interpretatio. An omnes afferre ille debebat interpretationes, illaſque ipſas, quas apud ſe non habet?

7 Sed lege, ſi libet, poſtrema illa Joſephi verba ad hunc modum: *Deum loco tui hoc merito excitaturus*. An propterea cauſa cadimus? Minime vero. Superiora quæ non reprehendens admittis, lege cum Grotio ad hunc modum: *Tu mihi id eris, cuius præcipua cauſa te educavi, adjutor, & ſenectutis ſolatium*: tum hæc adjunge: *Deum loco tui hoc merito excitaturus*: ea ſtatim, ſi volo, interpretor: *merito, quod morte Dei juſſu tolerata* tibi comparas, Deum excitabis (ideſt permovebis) *ut tuam ſoletur abſentiam, meamque ſenectutem leniorem reddat*. En quam aſſero Iſaaci mortui interceſſionem. Et de primo Kieslingii effugio hactenus.

8 En alterum, quod ipſis Kieslingii verbis afferre æquum reor (a) *Hoc Joſephi ſomnium, & figmentum, parum, aut nihil omnino differt ab illo, quod deinceps de Veturia, & de filio Nonnæ adducam: Non uno loco injuſtas ſuas verbo divino obtruſit interpretationes Joſephus. Ubi quæſo hujus rei in toto Cap. XXII Geneſeos nota? ubi, quæſo nota veſtigium extat? Nullum habes præter Joſephum, hujus colloquii Abrahami cum filio moribundo teſtem, & omnes, quotquot evolveris, & Judæorum Doctores, & Chriſtianos, tibi aſſenſum denegabunt. Nihil in*

[a] Pag. 198. §. II.

toto Commentario Cornelii a Lapide ad hunc locum invenio, nisi illud, quod ex Josepho narret, qua ratione Abraham filio mandatum divinum declaraverit.

9 *Somnium* itaque, & *figmentum* narrationem hanc, Kieslingi, appellas, & Josephum accusas, quod crebro insulsas suas interpretationes divino verbo obtrudat? Tamen hoc Josephi, ut tu appellas, figmentum & somnium tanti fecit Hugo Grotius, Vir, cui si te comparavero, honestissimo loco te habebo, ut illo adducto sententiam quam de mortuorum apud Deum intercessione proposuerat, firmet. Tuum porro erat, ne malevolus videreris accusator, eas, quas ais *insulsas*, & tamen a Josepho *divino verbo insertas* interpretationes adducere. Etenim cum tibi hæc insit consuetudo, ut quæcunque tibi displiceant redarguas & distringas, merito reponam, eas quas *ais insulsas interpretationes*, ex earum numero esse, quæ a te propterea redarguuntur quod Catholicis dogmatibus suffragantur.

10 At hæc desunt, inquis, in Scriptura, absunt quoque a toto Cornelii a Lapide Commentario. Quanti id refert? An veluti ex Scriptura ea verba allegavit Trombellius, an non potius ex Josepho? Absunt fateor a Scriptura, nec Josephus veluti ex Scriptura allegavit, sed tantum attulit, sive id ex antiquis libris excerpens (quot enim perierunt quos ipse citat?) aut, si vis, veluti exponens, explicansque illud Abrahami cum Isaaco colloquium, quod ipse Abrahamus extremum fore putabat: quo scilicet ad mortem fortiter subeundam eundem Isaacum excitabat, seque solabatur in filii amissione.

11 Dicas tamen quod vis, illud certe ex eo testimonio eruitur, ad quod illud affert Grotius, scilicet de Sanctorum apud Deum intercessione persuasos fuisse veteres Hebræos; neque enim hæc scriptis mandasset Josephus, nisi vidisset hæc credibilia fore contribulibus suis. Atqui hæc [ais] omisit Cornelius a Lapide. Quid tum demum? An omnium prorsus Scriptorum exterorum etiam & Hebræorum scripta omnia legit Cornelius a Lapide? An omnium quos legit Scriptorum, verba in commentaria ab se edita intulit? Nihil horum, si sapis, dices. Scito vero argumentum negativum tum vires habere nonnullas, quum Scriptoris intererat hæc scriptis tradere: Quid porro Cornelii a Lapide intererat hæc in sua referre commentaria? An dogmaticos tractatus edidit, in quos hæc verba inferret? An in animo habuit Judæorum sententias omnes exponere? Mirabile est porro, quod Cornelium a Lapide hic tanti faciat Kieslingius, qui ejusdem Scriptoris interpretationes fere despicit, veluti *Papisticas*. Sed Kieslingio gratus hic fit, quod non rejicit ille quidem, sed tantum casu omittit Josephi locum, qui multum displicet Censori nostro.

12 Jam vero ad locum Jeremiæ, quem Trombellius adduxit, vertendus est sermo. Eum recolamus, obsecro, ipsaque Trombellii verba hic exscribamus, quibus ille eundem locum allegavit. *Versiculo primo*

mo [inquit ille (*a*)] *capitis XV Jeremiæ hæc occurrunt:* „ Et dixit „ Dominus ad me: si steterit Moyses, & Samuel coram me, non „ est anima mea ad populum istum: ejice illos a facie mea, & egre„ diantur. „ *Ex quibus verbis hæc merito eruimus. Ergo nisi immania Judæorum scelera adeo alienum a populo suo Deum effecissent, ut flecti omnino nollet, deprecantibus Moyse, & Samuele, permotus fuisset ad misericordiam. Porro id peculiare Moysi, & Samuelis privilegium esse non constat, sed quibuscumque justis commune est, ut nos precibus, & cura sua adjuvent, tum quia hoc privilegium, si appellare ita vis, minime exprimitur, tum etiam quia reliquis Sanctis id tributum fuisse perspicue sacra auctoritas edocet.*

13 Tu vero Kieslingi multis Trombellium mones; sed illud in primis, sensum hujusce loci hunc esse: (*b*) *Si vel maxime starent, si superstites essent, & se, ut olim factum est, deprecatores exhiberent, nihil tamen agerent; illorum preces non exaudirem*: tum multa adjungis de verbo *sto*, seu *stetit*, ad denotandas preces ad Deum fusas, multaque effundis de vario orandi ritu non modo ex Lightfooto, Spencero, & Sauberto, Broverio de Niedech, verum etiam ex Martiale, quasi hæc quæreremus, aut apta essent ad Sacros Hebræorum ritus explicandos (de quibus disputatio aliqua inter nos esse potest) versiculi illi Martialis [*c*]

Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues,
Aetbon in Capitolio.

Mones autem explicationi illi tuæ non modo favere plurimos e Protestantibus, veluti Grotium, Feverbonium, Chamierum, Kemnitium, verum etiam e Catholicis præclarissimum Thomam Aquinatem, & Calmetum, quorum postremus ad hunc modum locum eum interpretatur. *Licet Moyses & Samuel revivisserent, & pro illis deprecarentur, duo illi viri famuli mei de propria sententia me nequaquam dejicerent.* Atque ad hanc quidem Calmeti interpretationem hæc subiicis (*d*): *Quam limatam Ven. Calmeti expositionem omnino admitto; quia nihil de mortuis, sed vivis deprecatoribus dicit, & conditionem, quæ omnino statuenda est, rite ponit. Quod igitur Ven. Abbas detorsit, optime restituit Ven. Calmetus effatum.* Dixerat etiam ista [*e*]: *Sed si vel maxime verba ista ita essent efferenda, nihil tamen acquirerent Romanenses, quia locutio conditionalis nihil ponit in esse.*

14 Sed quid tandem obtines Kieslingi mi? Tu quidem ais locum hunc fuisse detortum a Trombellio. [*f*] *Quod igitur Ven. Abbas detorsit.* Sed quomodo id probas? Quia scilicet alii tum Catholici, tum Protestantes secus explicant. An propterea locus ille a Trombellio detorquetur? Minime vero. Norunt enim omnes eundem Scriptu-

[*a*] Pag. 72. [*b*] pag. 199. (*c*) Kiesling. pag. 199. (*d*) pag. 200.
(*e*) ibid. (*f*) ibid.

pturæ locum poſſe varie accipi, ſæpe etiam revera ab uno eodemque Scriptore, diverſas excipere explicationes: cujus quidem rei exempla non pauca nobis præbet Cornelius a Lapide, qui ejuſdem loci non raro duas aut tres explicationes adducit, & has quidem omnes *probabiles* appellat. Tuum igitur munus erat Kieslingi, ſi *detortam* nobis perſuadere volebas Trombellii explicationem, oſtendere aut hebraica verba male ab eo fuiſſe expreſſa, aut a veteribus, aut ſaltem ab aliquo probabili Catholico auctore eam fuiſſe repulſam. An id aſſequeris allegatis D. Thoma Aquinate, & Calmeto? [quamquam primum tantum allegans, nec locum indicans, in quo hæc tradat, vetas, ne locum ipſum conſulam, videamque, recte ne is citetur, an non?] Nihil minus, ſed tantum hoc obtines, quod facile dabo, aliam adduci poſſe, eamque, ſi vis, veriſimilem explicationem. At nonne Trombellius [a] adductis duabus aliis explicationibus diverſis ab ea, quam is attulit, hæc ad illas repoſuit: (b) *Haud invitus fateor, explicari ſic etiam poſſe, uti explicarunt adverſarii, Jeremiæ teſtimonium. At multo convenientius explicari illud arbitror, quemadmodum nos explicavimus; nempe de vero Moyſe, veroque Samuele jam dudum mortali vita functis. Cur nempe mortuorum meminit, cum poſſet plures viros Sanctos viventes commemorare, niſi quia & viventium, & mortuorum Sanctorum preces tum eventus expertes futuras fore edocuit Deus; quaſi diceret: tantum abeſt, ut ad pietatem erga ingratum, & ſceleſtum hunc populum moveri velim, ut etiam ſi non modo tu, & viventes reliqui Sancti mihi ſupplicarent, verum etiam ſi ſupplicarent præclariſſimi ex Sanctis mortuis, veniam omnino non indulgerem. Ex eo vero, quod vel tum non rogarint, vel etiam ſi rogaſſent, Deus non exaudiſſet; minime oſtenditur eos omnino non rogare Deum, aut quum eum rogant, non exaudiri; alias eodem argumentandi genere facile oſtenderetur viventes non rogare, vel ſi rogant, non exaudiri; propterea quia interdum ſe rogari Deus omnino paſſus non eſt.* (c) „Tu ergo noli orare pro po„pulo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non „obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.„ *Cui adde, ſi vis, verſiculum* 11, & 14 *capitis XI. Verſiculum quoque* 12 *capitis XIV ejuſdem Jeremiæ: denique Verſiculum* 15 *Capitis primi Iſaiæ.*

15 Cur hæc tu retices, & nunc D. Thoma & Calmeto adductis, additiſque aliis e tuis, ita adverſus Trombellium agis, quaſi is aut ita ſuam explicationem attuliſſet, ut alias quaslibet contemptiſſimas arbitraretur, quæque a viro ingenioſo adduci non poſſent? aut eam ipſam quam is attulit, temere attuliſſet, nullamque adduxiſſet cauſam, cur eam ceteris præferret? Tamen Kieslingius noſter in Trombellio *bonam fidem* deſiderare ſe ait, ſuumque candorem, & in referendis Trombellii ſententiis & ſinceritatem commendat. Et de Jeremiæ loco hactenus: neque enim oportet in eo immorari, quod tu pa-

ri-

(a) cap. 4. pag. 74. (b) pag. 75. §. III. [c] Jerem. 7. v. 16.

riter, ais : videlicet conditionalem eam esse propositionem, ideoque nihil ab ea poni in esse. Conditionalis est, fateor, declarat tamen adhuc quæ sit Dei propensio ad Moysem, & Samuelem exaudiendos: neque juvat alia adjungere iis, quæ antea attulimus, & alibi etiam Trombellius attulit (*a*).

16 Expendendus nunc rursum est locus ille, quem ex capite quinto decimo libri II Machabæorum Trombellius adduxit. In eo scilicet describitur Judæ somnium, quo monente Onia paulo ante defuncto, certus is reddebatur de victoria. Edocemur porro in eo somnio tam Oniam, quam Jeremiam orasse pro populo. Verba hic non recolo, cum ea quisque videre possit in Trombellio copiose de loco hoc differente.

17 Plurima aggerit hic Kieslingius, quæ nisi male intellexi, eo demum revocantur, ut *Apocryphi*, ideoque contemnendi libri testimonium Trombellius adduxerit: neque vero adducendus erat (Kieslingio judice) Grotius, quasi assertor opinionis Trombellii, propterea quia auctoritas Grotii apud Kieslingium & socios illius (*apud nos*) nulla est. Ac Machabæorum quidem libros, ut *apocryphos* esse ostendat, plurima affert; atque in primis veterum auctoritatem: Quis enim ut Canonicis eos libros annumeret, non se flectit sinat a Concilio Laodiceno, Gregorio Magno, Lyrano quoque, aliisque viris doctissimis, quos Kemnitius & Dupinius allegant? Hinc ludunt operam Catholici, qui Canonicis eos libros accensuerunt, ludit vero in primis Trombellius, dum hæc protulit (*b*), *Machabæorum libros esse Canonicos commodius alibi ostendemus*.

18 Verum ad hæc, & similia, responsio hujusmodi adhibenda est. Machabæorum libros esse canonicos, Catholici satis ostendunt. Quamquam vero Veteres aliquando, dum Sacrarum Scripturarum indicem texunt, eos omiserunt, non continuo ad *apocryphos* eos amandarunt; aliud est enim aliquid silentio præterire, aliud illud expresse negare. Laodicena Synodus, ad quam tu potissimum provocas, licet alios libros silentio præterierit, dum Canonicos libros enumerat, nunquam tamen eos expresse ab horum Canone amovet, quod utique, uti dixi, necesse esset, ut cum veritate testareris Laodicenam Synodum a tuis partibus stare. Dic mihi Kieslingi: an putas illum recte disputaturum, qui ex eo quod Nicæna Synodus nihil de Spiritus Sancti cum Patre & Filio consubstantialitate dicit, quamquam apte dicere potuisset dum Filii consubstantialitatem asseruit, inferret Spiritum Sanctum Patri, Filioque consubstantialem minime esse, aut negasse eos Patres consubstantialem esse filio? Non ita, ut puto, desipies. Cur vero eadem prorsus aut certe simillima argumentandi forma infers Laodicenam Synodum, apocryphos declarasse Machabæorum libros, quod expresse Canonicos non dixerit? Statuit nempe, compertum sibi esse eos, quos recenset, certo esse Canonicos; de aliis interea nihil sta-

[*a*] Capite 37 dissertationis III. pag. 221. & 222. (*b*) pag. 76.

ſtatuit, ad novum ac diligentius examen, quod aliquando feciſſet Eccleſia, queſtionem eam rejiciens: atque id revera primum quidem in Carthaginenſi III. cap. 47 (*a*), tum in Tridentino conſtitutum eſt, annumeratique Canonicis tum alii, tum duo etiam Machabæorum libri. Sed quoniam Carthaginenſis III decretum, aut non omnibus innotuerat, aut eo, utpote Provincialis Concilii, ſe obligari poſſe minime putabant Doctores Catholici, mirum non eſt, ſi ſtatim *Canonicos* non agnoverint Machabæorum libros, præſertim quum ii qui lati fuerant a Conciliis Africanis Canones ita lati fuiſſent, ut ſi vetuſto codici fidimus, a Romano Pontifice, aliiſque Italiæ Epiſcopis hujuſce decreti peterent approbationem, (*b*) quam tamen obtinuiſſe, minime conſtat. Sed deinceps ſtatuto in Tridentino Sacrarum Scripturarum canone, iiſque adſcriptis duobus Machabæorum libris, eos Canonicos faſſi ſunt omnes.

19 Porro non video in Auguſtini, quem tu allegas, loco, nimirum capite XXX libri I contra Gaudentium, regulam quam tu affers veluti ex eodem S. Doctore deſumptam: ſcilicet Machabæorum libros *legi quidem poſſe, propter hiſtorias Martyrum, quas ii continent, ſobrie tamen legendos*: hæc tamen inveni capite XXXI. alias n. 37. ad quæ tu fortaſſe reſpicis. *Iſtam vero ejus (Razie) mortem mirabiliorem, quam prudentiorem narravit, quem ad modum facta eſſet, non tanquam facienda eſſet, Scriptura laudavit. Noſtrum eſt autem, ſicut Apoſtolus admonet, omnia probare, quæ bona ſunt, tenere, ab omni ſpecie mala nos abſtinere. Et hanc quidem Scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi, ſicut Legem, & Prophetas, & Pſalmos, quibus Dominus teſtimonium perhibet tanquam teſtibus ſuis, dicens: Oportebat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis, & in Pſalmis de me: ſed recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobrie legatur, vel audiatur, maxime propter illos Machabæos, qui pro Dei lege ſicut veri martyres a perſecutoribus tam indigna, atque horrenda perpeſſi ſunt; ut etiam hinc populus Chriſtianus adverteret, quoniam non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, pro quibus paſſus eſt Chriſtus, ſi tanta patientiſſime pertulerunt pro lege, quam dedit Deus per famulum hominibus illis, pro quibus nondum tradiderat Filium.*

20 Sed advertas, volo, Kieslingi, aliud eſſe, librum non eſſe Canonicum, nec ab Eccleſia receptum: aliud eundem librum legi debere

---

[*a*] Vide Con. Labb. edi. Ve. Tom. II. pag. 1272. & 1409.

[*b*] *Item placuit ut præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine divinarum. Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, ideſt Geneſis, Exodus &c. ....* Adjungitur autem in veteri Codice: *Hoc etiam fratri & Conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium Epiſcopis pro confirmando iſto Canone innoteſcat, quia a Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.* Capite 24 Canonis Eccleſ. Africanę pag. 1272. To. II. Labbe.

Digitized by Google

bere *ſobrie*, ideſt cante, propterea quia poſſit quis ſcandalum ex eo pati. Ac primum quidem tantummodo ait Auguſtinus, adeo ut & *Scripturam* ſimpliciter appellet eoſdem libros [Scriptura autem antonomaſtice ſumpta ſacros libros denotat] : & hos tametſi ab Hebræis in Canonem ſuum non adſcitos, ab Eccleſia tamen receptos affirmat (*a*). Alterum vero quod etiam monet, nempe *receptos eſſe non inutiliter, & ſobrie legantur, vel audiantur maxime propter illos Machabæos*, hoc, ut dixi, ſignificat non omnia, quæ in iis libris proponuntur, eſſe laudabilia, & imitanda; aliqua enim, quæ ibi proponuntur, *mirabiliora ſunt, quam prudentiora*, veluti eſt mors Raziæ : *quamquam & iſte Razias* (ſubjicit deinceps Auguſtinus) *habeat quod legentibus profit, non ſolum ut mens exerceatur recte judicando quod legit, verum etiam ut animus humanus, immo animus Chriſtianus adverteret, quanta ferenda ſint ab inimicis ardore caritatis, cum a ſe ipſo iſte timore humilitatis tanta pertulerit.*

21 Sed hoc ipſum, ſi quod eſt, incommodum nonne in aliis etiam Scripturæ libris, quos hebræi ipſi recipiunt, occurrit? An neſcis Hebræos vetuiſſe, ne principia Geneſeos, nec Ezechielis exordium, & finis, & integrum Canticum Canticorum, paſſim ſed & ab omnibus legerentur [*b*]? Hos tamen libros Canonicos eſſe iidem Hebræi affirmabant. Ideo vero id vetuerant, quia tametſi optimi per ſe eſſent libri illi, poterat tamen incautus lector offenſionem aliquam ex eorum lectione ſubire. An non tuus ipſe Lutherus hæc ait? *Periculoſiſſima eſt doctrina legis, ſi traheretur ab imperito, & gratia ignaro magiſtro* (*c*). Veteres vero omnes tum crebro, tum apertiſſime tradunt venenum ſuperbis fieri poſſe ſaluberimum illum cibum, quem Deus humilibus præparavit. Utcunque ſit, non eſt cur neges Machabæorum libros ab Auguſtino inter Canonicos fuiſſe recenſitos, quando quidem hæc expreſſiſſime docet: (*d*) *Quorum ſupputatio temporum non in Scripturis Sanctis, quæ Canonicæ appellantur* (Hebræorum canonem hic ſane innuit), *ſed in aliis invenitur, in quibus ſunt Machabæorum libri, quos non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet*. An putas Auguſtinum Hebræorum auctoritatem auctoritati Eccleſiæ præponere? Idem etiam Auguſtinus [*e*] Machabæorum libros iis annumerat, *quos complectitur totus Canon Scripturarum*.

(*a*) *Sed recepta eſt ab Eccleſia* [Scriptura hæc, hiſtoria nempe Machabæorum.] (*b*) Hæc a Hieronymo (præfatione in Ezechielem) diſcimus. *Niſi quis apud eos* (Judæos) *ætatem Sacerdotalis miniſterii, id eſt XXX annum compleverit, nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis* [Ezechielis] *exordium, & finem legere permittitur.* (*c*) In Conciuncula Dominicæ XIV poſt Trinit. pag. 539. tom. III Ope. Luth. edition. Jene. anni 1582.

(*d*) Lib. XVIII. de Civita. cap. 36. (*e*) Cap. 8. alias n. 13. libri II. de *Doctrina Chriſtiana*; & n. 3. (alias cap. I.) libri *de Cura pro mortuis gerenda*.

22 Ante Auguſtinum hos ipſos Machabæorum libros veluti *Scripturam divinam*, quæque propterea indubitatam habeat auctoritatem, allegarat Cyprianus. (*a*) „ Sed non iccirco, (inquit) frater cariſſime, re„ linquenda eſt Eccleſiaſtica diſciplina, aut Sacerdotalis ſolvenda cenſu„ ra, quoniam conviciis infeſtamur, aut terroribus quatimur, quan„ do occurrat, & moneat Scriptura divina dicens [*b*]: *ille vero qui* „ *præſumit, & contumax eſt vir ſui jactans, nihil omnino proficiet, qui* „ *dilatavit tanquam infernus animam ſuam*; Et iterum: (*c*) [en porro allegati Machabæorum libri]: „ Et verba viri peccatoris ne timueri„ tis, quia gloria ejus in ſtercora erit, & in vermes. Hodie extolli„ tur, & cras non invenietur, quoniam converſus eſt in terram ſuam, & „ cogitatio ejus peribit. „ Qui quidem locus in Vulgata noſtra ſic reſertur. *Et a verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria ejus ſtercus, & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non invenietur: quia converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus periit.* Tum alios adducit Sacrarum Scripturarum certiſſimos locos, pſalmos ſcilicet, Iſaiam, Matthæi, & Lucæ Evangelium; atque hos quidem libros Scripturam divinam æque appellat, atque appellarat librum Abacuc, & Machabæorum. An Pſalmos, Abacuc, Iſaiam, Matthæum, Lucam denique audebis inter apocryphos recenſere, aut Cyprianum iis adſcribes, qui apocryphos a Canonicis libris minime dignoſcunt? Audet id tamen eximius cenſor noſter, & hæc dicere non veretur. (*d*) *Quod argumentum* [deductum ſcilicet ex hoc Machabæorum loco] *admodum leve eſt, ſi ſecum reputet Vir Venerabilis* [Trombellium innuit] *hos libros Machabæorum non ſolum ab Auguſtino, & Cypriano, ſed ab omnibus Viris veritatis divinæ tenacibus pro apocryphis haberi.* Et his poſitis verax haberi adhuc vult Kieslingius, & multum in Patrum libris verſatus?

23 Sed hoc de argumento nolo hic diſputemus, quamvis enim deſperet Trombellius (adeo occupatus officiis eſt) ea evulgare quæ ad Catholicorum de Machabæorum libris ſententiam vindicandam ſpectant, negare tamen minime audebis non levem habuiſſe, ideoque habere etiam nunc in Eccleſiaſticis quæſtionibus dirimendis Machabæorum libros auctoritatem. Quam ob rem hic tantum poſtulo, quod tradunt Biblia Tigurina ab eodem Trombellio allegata, a te vero ſubdole prætermiſſa, ne ſcilicet agnoſcerent tui, quanto haberentur in pretio, & quo vocabulo honeſtarentur ab ipſis, qui a Romana Eccleſia defecerunt, hi libri, quos Catholici Canonicos eſſe ajunt, Kieslingius vero contemptiſſimos judicat. Sunt nempe judicio eorum, quibus Biblia Tigurina debemus, quæ Biblia Lutherani ipſi æſtimant, ſunt, inquam, hi libri *Eccleſiaſtici, qui jem-*

per

[*a*] In Epiſtola ad Cornelium *de Fortunato, & Felicissimo*, ſive contra hæreticos, in editione Baluzii LV. in editione Vene. col. 176.
[*b*] Abac. 2. (*c*) 1. Machab. 2. v. 62. (*d*) pag. 201.

per pro ſacris ab Eccleſia habiti ſunt, & digni viſi qui legantur a piis (a).

24 Sed cur ad Biblia Tigurina confugio? Melanchthon ipſe, Melanchthon, inquam, celeberrimus ille Auguſtanæ Confeſſionis ex parte auctor, idemque acerrimus defenſor, & vindex non ita ſane deſpicit, ut tu facis, Machabæorum libros, ſed Sanctorum interceſſionem excipiens, ad eam quidem excipiendam, ſe loci hujus auctoritate moveri ſignificat, cum hæc ait: [b] *Præterea & hoc largimur, quod Angeli orent pro nobis. Extant enim Zachariæ I. ubi Angelus orat: Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem &c. De Sanctis etſi concedimus, quod ſicut vivi orant pro Eccleſia univerſa in genere, ita in cœlis orent pro Eccleſia in genere, tametſi teſtimonium nullum de mortuis orantibus extat in Scripturis, præter illud ſomnium ſumptum ex libro Machabæorum poſteriore. Porro ut maxime pro Eccleſia orent Sancti, tamen non ſequitur quod ſint invocandi: quamquam confeſſio noſtra hoc tantum affirmat, quod Scriptura non doceat Sanctorum invocationem, ſeu petere a Sanctis auxilium*: quibus poſtremis verbis haud obſcure innuit ſe quidem in ea eſſe ſententia, quæ cenſet in Scripturis non extare invocationis aut præcepta, aut exempla, ſed quod ad Sanctorum interceſſionem attinet, ſe exemplum reperire in Scriptura, illudque ipſum, quod Trombellius ex libro Machabæorum II attulit. An Melanchthonis auctoritatem deſpicies Kieslingi, eumque *nihil ſcientibus* annumerabis?

25 Non itaque unius Grotii auctoritate nititur Trombellius, ſed tui ipſius Melanchthonis, immo etiam nititur auctoritate Scriptoris illius, qui ſub Origenis nomine Commentaria in *Canticum Canticorum* edidit, qui quanquam Origeni & antiquitate, & merito concedat, non contemnendus eſt tamen, judice vel Eraſmo.

26 Quamquam dum ais, Hugonis Grotii auctoritatem *nullam apud vos eſſe*, temere id ais (c). Multa ſane eſt apud alios: ingenioſus quippe eſt, valde eruditus, & cautus, nec tamen a Catholicorum partibus ſtans. Sed tu Grotium deſpice, ut libet. An in unius Grotii auctoritate Trombellius nititur?

27 Quæ adverſus Scheleſtratem urges, conſulto prætereo, cum peculiariter reſpiciant quæſtionem eam, num Canonici ſint libri Machabæorum, an non, & de ea ſane quæſtione hic differere minime poſſim, niſi aberrem a præcipua meta mea. Mihi in hac controverſia id

[a] Biblia Tigurina in eorum librorum fronte, quos eorumdem Bibliorum interpretes negant eſſe Canonicos. Retulit vero hæc verba Trombellius differ. III. capite IV. §. 4. pag. 76.

[b] Auguſta. Confeſſ. capite *de Invocatione Sanctorum* pag. 101. Tom. I edition. Witt. an. 1580.

(c) *Fallitur Ven. Trombellius, ſi Hugonis Grotii auctoritate, qua apud nos circa hanc rem nulla eſt, nititur.* pag. 101. §. V.

concedas satis est, quod concedunt Melanchthon, & Biblia Tigurina: Ceterum, uti dixi, te vel invito, Cyprianus, & Augustinus, & auctor ille, cui debemus expositionem *Cantici Canticorum* præposito Origenis nomine evulgatam, Catholicorum sententiæ aperte favent.

28 Cur vero reprehendis id, quod ex Mabillonio describit Calmetus, his verbis? (*a*) „ Milites hi in fide, ac in justo prælio libertatem, patriasque leges tutaturi occubuerant. Præcipiti assensu, ignorantia, lucri aviditate procul dubio abrepti illud patrarunt. Denique Deus, cum permiserit, ut in acie caderent, voluit plane eos hac in vita plectere, ut eorum in altera misereretur. Hoc pacto charitas postulat, ut judicemus, donec nulla satis aperta in contrarium argumenta afferuntur. „ *Quo tanto magis suam confirmet persuasionem, ridicule satis literas Joannis VIII Pontificis de remissione demortuis Gallis data, affert*: „ Joannes VIII Pontifex, consultus a Galliæ Episcopis de eorum salute, qui in bello adversus Normannos, aliosve infideles cecidérant, quin hæreret, respondit, salvos esse, eisque absolutionem sua impertiit auctoritate „ *Vid. Mabillon. Tom. III. Anal. Benedict. p.* 215. „ Scilicet sic sunt accipienda ea Joannis VIII verba, ut quoniam Christi causa militiam susceperant, prælio se commiserant, & mortem obierant, ut Normannis, aliisque infidelibus Christianorum Regna, & præsertim Ecclesias depopulari cupientibus obsisterent, jure, meritoque credi posset sua crimina eos expiasse, antequam prælium committerent, veniamque peccatorum suorum ea de re fuisse a Domino consecutos. Quod si interdicto aliquo, aut alia Ecclesiastica pœna ii obligati fuissent, Pontifex ab ea absolvit. Ceterum si Christo odiosi mortui ii sunt, ad Inferorum pœnas deducti sunt. Nec vero Pontifex adeo fuit in ecclesiastico dogmate imperitus, ut nesciret nullam se habere in inferos potestatem. An nescis propositiones generales positivas, seu affirmantes plerumque intelligendas esse, uti eas Jurisperiti intelligi jubent: Scilicet *quantum in nobis est*: seu, *nisi aliquid obstet?*

29 Quis porro, nisi simillimus tui sit, approbabit postrema illa tua verba (*b*)? *etsi vel maxime genuinus esset, non tamen perspicerem, qua ratione hoc Origenis testimonium veritati divinæ aliquid detrahere possit. Sic ex multis vestri Sancti Bernardi locis, ut nuper admodum declaravi, absonis, & insulsis, Scripturam Sacram pessimorum errorum facile accusarem. Non auctoritas Patrum, sed Scriptura Sacra apud nos lex est suprema.* Scilicet tu, dum hæc ais: *Et si vel maxime genuinus esset, non tamen perspicerem, qua ratione hoc Origenis testimonium veritati divinæ aliquid detrahere possit*, cum, inquam, hæc ais, *supponis* [ut Scholasticorum more loquar] id quod est in quæstione: nimirum

(*a*) Exerc. VII. pag. 205.
(*b*) Pag. 206.

rum Sanctorum interceſſionem ex eo Machabæorum loco minime inferri. Hoc tamen pernego; nec temere pernego, ſed iis permotus rationum momentis, quæ nuper attuli; tibique Melanchthonem tuum objicio, cujus auctoritas in Lipſienſi Academia dictis tuis minime deprimetur.

3o Quæ vero ſubſequuntur, & nihil ad rem attinent, & impudentiſſima ſunt. Nihil ſane ad rem attinent: Ubinam enim de Bernardi auctoritate, & interpretationibus hactenus eſt diſputatum? Impudentiſſima vero ſunt; quis enim te ferat nulla proferentem argumenta, quibus graviſſima hæc tua accuſatio innitatur, & tamen audentem dicere probaſſe te *multis abſonis & inſulſis S. Bernardi locis Scripturam Sacram peſſimorum errorum facile accuſandam*. Quando id probaſti, quod te nuper admodum probaſſe dicis? Sed fortaſſe paulo ante hæc ſomniaras; vigilans vero (ſi vigilabas tamen, cum hæc ſcribebas) tibi probaſſe videbaris, quod re vera nec *paulo ante* [*nuper admodum*] nec ullo aut tempore, aut loco probaſti. Num Scriptura ſola *lex ſuprema* ſit, lis eſt Proteſtantes inter, & nos profecto non levis, quæque hic dirimi nequit, niſi velimus a propoſito ſcopo aberrare. Nonnulla tamen eo de argumento dicemus deinceps; interea te moneo nullo prorſus loco conſtitutos fuiſſe a Trombellio Patres, veluti judices ſupremos in iis quæſtionibus, quæ Catholicos inter, & Proteſtantes agitantur. Satis fuit Trombellio Patres attuliſſe veluti præclaros teſtes perſuaſionis Eccleſiæ, & ſententiarum ſuarum ſuffragatores. An eos contemnes, quos tui ipſi Magiſtri in honore ſe habere ajunt?

AD

AD EXERCITATIONEM VIII.

In qua (ut Kieslingius quidem ait)

De Vindiciis effatorum Zachariæ, Tobiæ, & Jobi agitur.

CAPUT I.

1 QUàm præclarus Magiſter es, Kieslingi doctiſſime! Non modo Trombellii cenſor es, ſed Magiſtrorum tuorum quoque Pedagogus, & acerrimus reprehenſor. Dic mihi Kieslingi: Scis, ut puto, olim ſcripſiſſe Melanchthonem (*a*), *Præterea & hoc largimur, quod Angeli orent pro nobis. Extant enim teſtimonia Zachariæ I. ubi Angelus orat. Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem &c.* Scis, inquam, quoniam eundem articulum, immo verba a me nuper adducta allegas Exercitatione XXIII. pag. 309: & tamen hæc ſciens, audes ea ſcribere, quæ tu ſcribis? [*b*] *Sed levia ſunt, quæ movet dubia, & vel ignorantia, vel dolo laborant. Primum quod affert, ſententiæ ſuæ argumentum, apud Prophetam Zachariam cap. 1. com. 12. ita ſunt*: „ Deprecans Angelus ad „ Deum dixit: Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis Je„ ruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jam ſeptuageſi„ mus annus eſt. „ *ad quæ verba Hieronymus in Commentariis. Ex „ qua reſponſione*, inquit, *Angelus qui interpellabat pro Iſrael, occaſio„ nem accepit pro populo deprecandi, & dixit ad Dominum: Cum omnis „ orbis quietus ſit, quare Domine &c.*

2 Non miror quidem quod Trombellium, tametſi perſpicua Hieronymi auctoritate innixum deſpicias, & carpas; at miror quod tu carpas, quum eadem profert, quæ tuus Melanchthon, & Bellarmino, aliiſque Catholicis tantum tribuas, quæ non modo ex iis, veram etiam ex tuis Doctoribus diſcimus. Vide ergo quam meritò hæc dicas: (*c*) *Quod argumentum quoque Bellarminus, & alii jam jam urſerunt. Et quæ demum ex horum Doctorum tripode, oracula, certe non Sibyllina, ſed detrita & obvia proferet?* Quibus quidem, & ſi paucis verbis, Poetarum more te leviter ludentem Kieslingi audimus, & Ethnicorum ineptias, immo potius deliramenta Theologico ſermoni immiſcentem. Sed tu hæc videris.

2 Nos

[*a*] In Apologia Confeſſ. Auguſtanæ; in defenſione art. 21. pag. 101. tom. I. Oper. Melanchthonis editio. Wite. an. 1580. & pag. 381. editionis ejuſdem Apologiæ Wittembergæ an. 1598.

[*b*] Pag. 206. (*c*) Pag. 207.

Digitized by Google

3 Nos interea audiamus, quæ ad eludendum locum hunc Cenſor noſter afferat. [a] *Peſſime confundit Ven. Abbas Bononienſis hoc effatum Zachariæ ſacrum, & de Angelo creato præſide Perſiæ accipiendum eſſe inculcat, & commata 8, 9, 10, 11, quæ præcedunt, pro lubitu omittit, ut nobis ſucum faciat. Audiat quæ verſu 8 leguntur. De ſua, cujus particeps factus erat Zacharias, viſione ita agit.* „ Vidi ego in noſte, & „ ecce vir inſidebat equo ruſo, & conſiſtebat inter myrtos in pro„ fundo: & poſtea vidi equos rufos, balios, & albos. *Auxius quæ„ rit Propheta: quinam illi ſint?* Qui iſti Domine? & dixit Angelus „ mecum colloquens: oſtendam tibi, qui iſti. v. 9. *Audi nunc iterum Angelum. Jehovah*, ſeu increatum. *Tunc reſpondens vir ille, qui ſtabat inter myrtos*: „ hi ſunt quos miſit Jehovah, ut terram perambularent. An„ geli diverſis equis inſidentes reſponderunt iterum ad virum, qui inter „ myrtos conſiſtebat, dixeruntque: Perambulavimus terram, & ec„ ce tota terra deſidet, & tranquilla eſt. v. 10. 11. *Tunc locutus eſt Angelus Jehovah*, מלאך יהוה *quæ ex commate* 12 *jam ſunt excitata. Non prætermittenda eſt emphaſis, quæ in duplici* ה *præfixo latet* המלאך הדובר בי *Angelus ille loquens in me. Qualis emphaſis in voce* המלאך *Geneſ. XLVIII.* 16. *occurrit, & præſtantiam hujus Angeli, quo cum commercium ſuit Zachariæ, ſatis prodit. Excellenter hic Angelus fœderis per* ה *Hajediah deſignatur. Lippum illum eſſe oportet oculis, qui hæc non ſeparare, & a ſe invicem diſcernere poteſt. Quis igitur Angelus locutus, & deprecatus eſt? Ille Angelus, qui appellatur vir, comm.* 8. *ob aſſumptam humanam naturam vir, Jehovah, verus Deus, & verus homo, ut vel ex uno effato Geneſ. cap. IV. comm.* 1 *ediſcitur: Angelus ſuas preces Deo obtulit, qui inter myrteta conſtitit, cui ceteri Angeli acclamarunt, & dixerunt ſe ipſius mandata eſſe executos, & terram perambulaſſe. Ubi, quæſo, unum Angelum alios, quin immo plures Angelorum cohortes, ut demandata fungerentur provincia, miſiſſe unquam leges? Angeli non aliorum Angelorum, ſed Dei mandata rite peragere ſolent Pſ. CIII.* 20. 21. *Eccur hic Angelus fœderis, Jeſus nobis inter myrtos proponitur? Qua ſubeſt ratio? niſi me fallit augurium, factum eſt, ad declarandum myſticum illud Jeſu cum Eccleſia conjugium. Nam myrto veteres in nuptiis utebantur, quia amorem inter conjuges conciliare putabatur, ut optime obſervat Ven. Fortunatus Scaccbus. Inde planta myrti Veneri olim ſuit ſacra, ut præter laudatum Scaccbum, Cel. Sam. Petiſcus tradit. Hic igitur Angelus Jehovah, nempe Jeſus, ſuas ad Deum emittit preces, ut genti Iſraelitice graviora a Babyloniis paſſæ halcyonia det, & otia faciat. Interponit lacrimis Judæorum, quorum Urbs adhuc vaſtata erat, ſua apud Deum vota. Nullum plane verbulum de Angelis, quod illi deprecati ſint Deum, audimus, ſed vir ille Deus & homo, Angelus ille Jehovah, ſua deprecatione Judæorum inopiam ſublevavit, quia eſt deprecator & advocatus totius Eccleſiæ, & fidelium apud Patrem 1. Joan. II.* 1. 2. *Sic ludit nobiſ-*

[a] Pag. 207. §. 11.

biſcum, tanquam cum rerum omnium inſciis, hic illuſtris Abbas? Vides igitur qua ratione hæc omnia, quæ de Viro & Angelo Jehovæ dicuntur, diſtorqueat, & quæ de Jeſu Angelo fœderis aſſeruntur, Michaeli, aut alii Angelo affingat: quum Jeſus non ſolum pluribus in locis Angelus Dei, ut ex Geneſ. cap. XXII. 10. planum eſt, vocetur, ſed & hoc ipſo Zachariæ loco, & quidem com. 10. Jehovah, Deus ipſe appelletur. Recte B. noſter Feverbonius judicat per hunc angelum non intelligi angelum creatum, ſed increatum, & quidem Meſſiam Mundi, quod monſtrant viſcera textus, quod fatentur Talmudici, & inſuper Chriſtiani Doctores.

4 Allegat vero in eandem explicationem Joannem Tarnovium, qui de myrto, cujus hic mentio fit, hæc tradit: *Myrtus eſt arbor pulcra, & pretioſa, unde Eſther ob pulcritudinem* הדסה, *id eſt, Myrrhina dicta. Myrtus ad funera adhiberi ſolet; ſic notat piorum in hac vita conditionem miſeram. Rom. VIII. 36. Myrti dicuntur conſitiſſe in profundo, ſic probi plerumque in profundo, hoc eſt in magnis calamitatibus. Pſ. 69. Cujus veſtigia premit acutiſſimus Coccejus, qui hujus dicti arcanum nobis ita enucleat. Myrti, inquit, ſunt Iſrael, non ſecundum carnem ſane, ſed magis ſecundum Spiritum. Erant enim inter illos electi. Iſrael tum non in alto monte, ſed in profunda valle erat collocatus, ibi virebat, ibi odorem proferebat, inter mundi regna, quorum unum poſt aliud emergit. Idem de Eccleſia porro intelligere licet. Filius Dei Populo ſuo adeſt, qui eſt princeps ille magnus, ſtans pro filiis populi Iſrael, ἀξιοχρεως vocari* מיכאל, *quis eſt ut Deus? Hæc enim ipſius gloria eſt. Dan. XII. 1. Idem* Ἀρχάγγελος, *hoc eſt, non tantum primus Angelus, ſed omnium angelorum dominus. Dominus & princeps Angelorum non eſt creatura, ſed creator angelorum.*

5 Hæc tua dicta Kieslingi, quoniam plura reſpiciunt, & ita ſunt diſſoluta, ut vim probabilis argumentationis amiſerint; hæc, inquam, tua dicta Kieslingi, niſi ego fallor, ad duo ſuprema capita revocantur: ut primo quidem Trombellii dolus redarguatur: quippe omittit verſiculos, qui duodecimum verſiculum ab eo allegatum præeunt, propterea vero omittit, ut Proteſtantibus fucum faciat. Secundo ut illius redarguatur inſcitia: quippe accipit de *Angelo creato præſide Perſiæ* (*a*) [Perſidis grammatici nos dicere jubent] quod de Angelo increato ſeu Jeſu Chriſto dictum eſt, & quæ *de Jeſu Angelo fœderis* aſſeruntur, Michaeli, aut alii Angelo affingit. [*b*] Porro Jeſum Chriſtum Angelum increatum, Angelum fœderis hoc in loco ſignificari his argumentis aſſequimur. I. Angelus hic, qui Deum deprecatur, Angelus Jehovah, ideſt Angelus Deus dicitur. Eſt itaque dominus Deus, Verbum Patris carne aſſumpta Zachariæ apparens, qui alibi [verſiculo ſcilicet 1. capitis IV. Geneſis] *Vir Jehovah* [homo Deus] dicitur:

(*a*) *Peſſime confundit Venerabilis Abbas hoc effatum Zachariæ ſacrum, & de Angelo creato præſide Perſiæ accipiendum eſſe inculcat.* §. 2. pag. 207.

(*b*) §. 3. pag. 208.

Digitized by Google

citur: homo, inquam, propter naturam humanam aſſumptam, Deus vero propter divinam, quam ipſe habet. II. [*Vir Jehovah verus Deus, & verus homo, ut vel ex uno effato* Gen. cap. IV. com. I. *ediſcitur*] hujus Angeli ſingularis eximiaque excellentia ac præſtantia eo ipſo, quod hic adhibetur, vocabulo declaratur: quippe duplici ה præfixo illius nomen ſcribitur, ut ab Angelis creatis dignoſcas. Quo quidem argumento, veluti indice quodam, aſſequeris eum ipſum eſſe, qui Gene. 48. 16. deſcribitur: ideoque Meſſiam Deum & hominem hominis ſpecie apparentem. III. id evincit auctoritas ac poteſtas, quam ipſe in alios Angelos exercuit. Nimirum reliqui Angeli Angelo (*a*) qui ſtabat inter myrteta, *acclamarunt, & dixerunt: Se ipſius mandata eſſe executos, & terram perambulaſſe. Ubi quæſo unum Angelum, alios, quin imo plures Angelorum cohortes, ut demandata fungerentur provincia, miſiſſe unquam leges? Angeli non aliorum Angelorum, ſed Dei mandata rite peragere ſolent. Pſ. CIII. 20. 21.* IV. congruit Chriſto locus, qui Angelo huic tribuitur: deſcribitur quippe ſtans inter myrteta. Innuit myrtus nuptias. In his ſcilicet myrto *utebantur Veteres, quia amorem inter conjuges conciliare putabatur: inde planta myrti Veneri olim fuit ſacra.* Porro Chriſtus Eccleſiæ ſponſus eſt. Ad hęc: [*b*] *Myrtus eſt arbor pulcra, & pretioſa, unde Eſther ob pulcritudinem* הדסה, *id eſt Myrrhina dicta. Myrtus ad funera adhiberi ſolet; ſic notat piorum in hac vita conditionem miſeram. Rom. VIII. 36. Myrti dicuntur conſtitiſſe in profundo, ſic probi plerumque in profundo, hoc eſt in magnis calamitatibus. Pſ. 69. Myrti pariter ſunt Iſrael, non ſecundum carnem ſane, ſed magis ſecundum ſpiritum: erant enim inter illos electi. Iſrael tum non in alto monte, ſed in profunda valle erat collocatus, ibi virebat, ibi odorem proferebat, inter Mundi regna, quorum unum poſt aliud emergit. Idem de Eccleſia porro intelligere licet.* Congruit pariter Chriſto munus, quod Angelo illi tribuitur, deprecatoris ſcilicet. At cui magis convenit deprecatoris munus, quam Chriſto? eſt quippe *Mediator noſter, & advocatus apud Deum.* His adde auctoritatem eorum, qui Chriſtum fuiſſe docent Angelum, qui a Zacharia deſcribitur, Tarnovii ſcilicet, & Coccei. En tua Kieslingi clariſſime argumenta, quoad potui, ordinata, illuſtrata, explicataque.

6 Horum primum ad hunc modum diſſolvo. Ideo priores illos verſiculos Trombellius omiſit, quia revera arbitrabatur, cum ea quæ tu exagitas, ſcriberet (nec temere id arbitrabatur) merum Angelum fuiſſe eum, cujus capite I meminit Zacharias. Cur ergo verſiculos illos priores deſcribi oportebat, cum in iis minime edoceamur id, quod Trombellius ad probandum aſſumpſerat: ſcilicet Angelos Deum deprecari, ut nobis beneficia elargiatur? Nullus ergo dolus in ea re extat, in qua tu extitiſſe ais.

(*a*) §. 3. pag. 208. [*b*] Pag. 209.

7 Veniamus modo ad inſcitiam, quam Trombellio objicis. Sed cur non eam Hieronymo objicis, cur non Melanchthoni, aliiſque plurimis palam Trombellio faventibus? Porro ego in te non levem inſcitiam & negligentiam in cenſore utique non ferendam deprehendo Kieslingi. Ubinam legiſti in Trombellio de Angelo Perſidis, (*Perſam* tu voca, ut libet) & de Michaele loqui illum, cum nullam aut Angeli Perſidis, aut Michaelis mentionem fecerit Trombellius, cum hunc Zachariæ locum explicavit? Angeli quidem Perſidis, & Michaelis mox meminit, ſed diverſum plane argumentum, locumque Scripturæ pertractans, decimum ſcilicet Danielis caput [*a*]. Tu porro utrumque miſcens, apertiſſime oſtendis te minime legere quæ impugnas: ſi enim legiſſes, vidiſſes manifeſto hæc plane fuiſſe a Trombellio ſejuncta, neque illa docuiſſe, quæ tu *mendaciter* illi imputas.

8 Veniamus nunc ad rationes, quibus inniteris. Dicis vocem illam *Jehovah* ejuſdem caſus eſſe atque eſt Angelus: adeo ut legendum ſit, *Angelus Deus* = *Angelum Deum*. Quid ſi negem? dicamque legendum eſſe cum vulgata, cum Hieronymo, & veteribus omnibus, atque adeo cum tuo Melanchthone Jehovah in ſecundo caſu *Angelum Dei*, *ſeu Domini*. Vetuſta ſane traditio, & probabilium interpretum auctoritas ita vertendum docet, a qua quidem lectione recedere utique non poſſumus, niſi invictiſſimis argumentis permoti. Quod autem affers invictum argumentum, quo præferendam doceas lectionem tuam vetuſtæ lectioni? An non Angelus Domini appellari poterat Angelus ille, quod præcipuus inter eos Angelos eſſet? item ut *Montes Dei*, *ſeu Domini*, *Cedri Domini* dicuntur alibi in Scripturis montes & cedri reliquis eminentiores; hæc quippe eſt linguæ Hebraicæ indoles, ac conſuetudo, ut quoniam ſuperlativo deſtituta eſt, ad id denotandum adjungat vocem *Domini*. Propterea etiam *Domini* Angelus dici ille potuit, quia ſpeciali juſſu a Domino miſſus eſt. Sane ſi Angelus ille qui ſtabat inter myrteta Chriſtus erat, ideoque Deus, cur ad hunc modum Angelo in Zacharia loquenti reſpondit: [*b*] *Iſti ſunt quos miſit Dominus, ut perambularent terram?* Si ipſe Deus & homo eos miſit, ut vult Kieslingius, multo aptius dixiſſet: *Iſti ſunt quos ego miſi, ut perambularent terram.* Igitur ſi ita loquitur, ut de Domino, veluti de alio loquatur, non eſt cur dicamus, eum eſſe qui pro-

(*a*) Proxime poſt verba illa Zacha. I. v. 16. *& perpendiculum extendetur ſuper Jeruſalem*, quibus clauditur § ſecundus, hæc § III. adjicit probationem aliam a ſuperiori diverſam habentia: *Angelum quoque pro reditu ejuſdem populi deum oraſſe didicimus ex capite X libri Danielis, illius partes adjuvante Michaele, uno ex Principibus, dum Princeps Perſarum utrique obſiſteret &c.* pag. 79. cap. v.

[*b*] Et *dixi*: *Quid ſunt iſti Domine mi? & dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: ego oſtendam quid ſint hæc: & reſpondit vir qui ſtabat inter myrteta, & dixit: iſti ſunt quos miſit Dominus, ut perambulent terram.* Zach. I. v. 9, & 10.

propria poteſtate, utpote Deus ſimul & homo, Angelis illis præceperit, ut terram perambularent.

9 Dicitur porro Angelus iſte *Vir* [*Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum.* v. 8.] quia ſpecie viri apparuit: ea enim ineſt Scripturis conſuetudo, ut Angeli denominentur ea ſpecie qua apparent, & ne ab ipſo verſiculo octavo diſcedamus, *equi rufi varii & albi* appellantur ii Angeli, de quibus v. 10. dicitur: *iſti quos miſit Dominus, ut perambulent terram*: quippe v. 11 hæc ajunt: *Perambulavimus terram, & ecce omnis terra habitatur & quieſcit.*

10 Non video autem, cur in rem tuam afferas verſiculum I capitis IV Geneſeos, qui in noſtra vulgata ad hunc modum ſe habet: *Adam vero cognovit uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Cain dicendo: poſſedi hominem per Deum.* Ubinam hic *Deus homo*, de quo tu loqueris? Si vulgatæ non fidis: ecce tibi celebratiſſimam interpretationem Sanctis Pagnini anno 1528 editam. *Et Adam cognovit Chavvah uxorem ſuam, & concepit, & peperit Cain, & dixit: Acquiſivimus virum a Domino.* Quæ quidem interpretatio fere retinetur in iis Bibliis, quæ Pagnini ac Vatabli nomen in fronte habent, editaque ſunt Baſileæ apud Thomam Guarinum 1564. En quomodo verſiculum illum editio hæc exhibeat. *Porro homo cognovit Havah uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Cain: tunc dixit, acquiſivi virum a Jehovah.* Porro Caſtalio ſic vertit: *Adamus autem cum Eva uxore rem habuit, quæ gravida facta Cainum peperit: Sic ideo nominatum, quod illa eum enixa dixiſſet: adepta ſum virum a Jova.*

11 At neque in his, neque in aliis omnibus, quas ego novi, interpretationibus, veſtigium video illius hominis Dei, quem tu in verſiculo I capitis IV Geneſeos extare ais: adeo ut vel hoc ipſo argumento palam innoteſcat, quam vera tradas. Et de prima probatione tua hactenus.

12 Altera porro perinde imbecillis eſt, ac prior. Nimirum Angelum hunc, de quo diſſerimus, fateor non vulgaris excellentiæ, ac virtutis, ſed non propterea Deum hominem fateor. An Deum hominem declarat repetita littera ה [He]? Tu quidem dicis; ſed minime probas. An ſcilicet probas repetitam hanc litteram oſtendere Deum hominem fuiſſe, de quo ſubſequentia dicuntur Gene. 46. v. 16. הַמַּלְאָךְ הַגֹּאֵל אֹתִי מִכָּל־רָע, ideſt, *Angelus redimens me ab omni malo*: quo in loco duplicatur littera ה (He)? Minime vero. Quod ne temere dixiſſe videar, Lectorem allego ad caput I diſſertationis V Trombellii, in quo capite locus ille Geneſis allegatus eſt. Interea ſcito valde dubium id eſſe, negatumque, ut tu ſcis, a Trombellio capite I Diſſertationis V. Hinc vides, quantum ad id, quod agis, aptum ſit exemplum quo uteris. Exclama itaque, ut libet: *Excellenter hic Angelus fœderis per duplex Hajediah deſignatur. Lippis illum oportet eſſe oculis, qui hæc non ſeparare, & a ſe invicem*

diſcernere poteſt. Trombellius [quæ Dei eſt beneficentia] acutiſſimis oculis eſt: nec tamen tuum Fœderis Angelum in eo, quo tu conſpicis loco, videre poteſt.

13 Jam tertium aggredior, atque illius ſolutio hæc eſt. Valde dubium eſt quod tu pro certo aſſumis: angelum ſcilicet inter myrteta degentem exercuiſſe auctoritatem, ac poteſtatem in alios Angelos: neque enim in Zacharia invenio, quæ tu veluti Zachariæ verba allegas: *ceteros* Angelos *acclamaſſe Angelo*, *qui ſtabat inter myrteta*, *& dixiſſe ſe illius mandata fuiſſe executos*. Nihil horum ego invenio in primo hoc Zachariæ capite. An id eruere te poſſe putas ex verbis illis: *Iſti ſunt, quos miſit Dominus, ut perambulent terram*? At jam dixi, hæc ipſa verba, *quos miſit Dominus*, haud obſcure ſignificare, non ab Angelo ſtante inter myrteta ſe mandata accepiſſe eos Angelos, ſed a Domino, ideſt a Deo, qui propterea diverſus indicatur ab Angelo ſtante inter myrteta. An ex eo quia reliqui *Angeli reſponderunt Angelo Domini, qui ſtabat inter myrteta, & dixerunt: perambulavimus terram, & ecce omnis terra inhabitatur, & quieſcit*? (ſic enim vertendum eſt, כל הָאָרֶץ יֹשֶׁבֶת וְשֹׁקֶטֶת, ideſt, verbum e verbo, *omnis terra ſedet, & quieſcit*: non ut tu vertis: *terra deſidet, & tranquilla eſt*. An idem eſt *eſſe deſidem*, ac eſſe quietum ſeu ſine perturbatione? Falleris, ſi id putas.) potuere quippe Angeli hæc reponere Angelo, qui ſtabat inter myrteta, non veluti illius miniſtri, ſed veluti confirmantes ea, quæ alter Angelus dixerat Zachariæ: *iſti ſunt quos miſit Dominus ut perambularent terram* (*a*), hoc adjungentes, quod eidem Angelo, & Zachariæ noverunt fore acceptiſſimum: totam ſcilicet terram inhabitari, & quieſcere.

14 Volo tamen tecum mitiſſime agere, tibique Kieslingi, ſi jubes, concedam Angeli ſtantis inter myrteta juſſa executos fuiſſe Angelos eos, qui dixerunt: *Perambulavimus terram*. An continuo Angelum inter myrteta ſtantem Chriſtum Dominum fuiſſe fateor? Multum erras, Kieslingi mi, ſi id vis. Cave putes hanc ineſſe bonis Angelis animi elationem, ut a Deo *immediate* mandata, quibus pareant, recipere velint: etenim ſi ab aliis Angelis etiam acceperint, quibus ſcilicet indixerit Deus, ut aliis declarent, ea ſtatim exequentur: neque vero dubitabunt, num Angelus qui id tradiderit, vera loquatur, an non; probe enim norunt in *Angelis veritatis* nullum ſuſpicari ſe poſſe mendacium. Hinc interpretes valde probabiles, Angelum illum, qui Job. 1. 6. dicitur *Dominus* (*ut aſſiſteret coram Domino*) præſtantiorem quemdam Angelum fuiſſe ajunt, cui Deo jubente minores, Angeli obſequerentur, rationemque eorum redderent, quæ geſſiſſent. Nec abſimile exemplum proponunt in hoc Zachariæ loco [*b*]: *Et oſtendit mihi Dominus Jeſum Sacerdotem Magnum ſtantem coram Angelo Domini, & Satan*

(*a*) v. 10. (*b*) 3. 1. &c.

Satan ſtabat a dextris ejus, ut adverſaretur ei ..... Et Jeſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli. Qui reſpondit, & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe, dicens: auferte veſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum. Ecce abſtuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis. Et dixit: ponite cidarim mundam ſuper caput ejus: & poſuerunt cidarim mundam ſuper caput ejus, & induerunt eum veſtibus: & Angelus Domini ſtabat. Et conteſtabatur Angelus Domini Jeſum dicens: hæc dicit Dominus Deus exercituum &c. Vide Riberam in locum hunc.

15 Cur vero ea de re dubitas, viſque eos erga alios Angelos minus obſequentes, quando quidem novimus erga homines obſequentiſſimos, ut pote adminiſtratorios Spiritus miſſos propter eos, *qui hæreditatem capiunt ſalutis*: neque aliud iis magis cordi eſſe, quam ut Deo obediant, & nos juvent?

16 Leviſſima porro ad ſtabiliendam opinionem tuam, quæ Angelo Chriſtum ſubſtituit, ea eſt conjectura, quam deſumis ex eo quod deſcribatur ſtans inter myrteta ille Angelus, qui dicitur *Vir*. Etenim in loco myrtetis conſito degebat tum Zacharias, quum facta eſt ſuper eum manus Domini. Sed tamen ego facile aſſentiar iis, qui allegoricum ac myſticum ſenſum hic perquirunt. Sane ex Ribera in locum hunc hæc aſſequor. [a] *In myrtis autem, ex ſententia multorum, viri juſti intelliguntur propter pulcritudinem & fragrantiam bonorum operum. Ita Eſther vocata eſt* הדסה, *id eſt, Myrtus, aut Myrtea propter pulcritudinem, & probitatem. Heſter. 2.* [*Qui fuit nutricius filiæ fratris ſui Hediſæ.*] *Significant itaque myrti, ſive myrteta viros juſtos, qui erant in Judæa, & qui relicti erant Babylone, utrorumque enim curam gerebat hic Angelus.* Et deinceps. *Cum igitur Angelus equo inſidens eſt inter myrtos aquis obſitas, ſignificatur proxima liberatio, & ſalus, & velle Angelum eos extrahere ex locis illis profundis, & aquoſis, id eſt, ex illis calamitatibus, & periculis. Quod optime intelligitur ex illo Habacuc. 3. Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum, ideſt quantumvis juſti cooperti ſint aquis calamitatum, tu venies equis tuis ad profundum, in quo ſunt, & inde eos educes.*

17 Sed quodcumque myſterium in iis myrtis agnoſcas, illud certe non probabo, quod tu affers; non quo nolim Eccleſiæ ſponſum eſſe Chriſtum: quis enim hoc, niſi plane deſipiat, negare auſit? ſed quod nondum hactenus probaveris, quod hic ſupponis, Chriſtum hic deſignari. Quid? quod ad denotandum ſacrum illud, ſi liceat ita appellare, connubium, haud multum apta eſt myrtus. An myrti fit mentio in Cantico Canticorum, in quo quidem connubium Chriſtum inter, & Eccleſiam per elegantem allegoriam indicatur? Cur porro myrtum commemoras *ſacram Veneri*? An Chriſtum Gentilium mores ſecutum vis? Mirum, quod corollas illius capiti intextas, & reliquos profanos ritus ſervantem non deſcribas. Apage hæc, & aſſi-

nia

(a) Tom. II. pag. 583. col. 2. comment. in Zachar.

nia Veterum deliramenta, quæ dum hic confectaris; palam insanis; teque in eorum numero collocas, qui Belial Christo temere sociant.

18 Fateor porro Christo apprime convenire munus deprecatoris: addo *Mediatoris*. An id negamus? Minime profecto. Sed munus hocce ab eo fuisse susceptum, antequam carnem ex Maria Virgine sumeret, mihi minime persuadebis, neque etiam persuadebis hoc ita Christi esse proprium, ut Angelis, atque hominibus interdictas ostendas preces pro aliis fusas. Sed Feverbonium, & Tarnovium, Coccejum quoque mihi objicis a tua explicatione stantes. Quid tum denique? Si ea tantum proponunt, quæ ab eis proponi ais; (te quippe cum invenerim perverse citantem Scriptores, vereor ne hic quoque id facias) tum eos explicationi meæ adversantes fatebor. Dixi, *si ea tantum*. potuere quippe varias explicationes probabiles afferre, eisque addere illam, quam tu adduxisti: tum vero explicationi meæ minime obsunt. Sed fac contrarios. Veteres Doctores omnes illis objiciam, atque in primis Hieronymum, cujus certe virtus ac scientia eorum virtutem, ac scientiam superat, quos tu objecisti. Recentiores quoque illis objiciam, in quorum numero Ribera eminet vir præclarissimus, quique Prophetas Minores summa diligentia, atque eruditione explicavit. Illius porro verba, quæ antea ex te allegavi, apertissime ostendunt eo in honore haberi etiam apud vos, ut eum consulere, & ex eo explicationes excerpere non recusetis. Compara, si vis, ea quæ nuper ex eo attuli, cum iis, quæ tu ex Coccejo attulisti, & si potes nega, ea quæ tradit Coccejus, ex Riberæ fontibus hausisse.

19 Sed ne videar Catholicos tantum, tametsi præclarissimos allegare, Melanchthonem allego, Kieslingi mi. An non Melanchthonis hæc sunt, quæ licet antea retulerim, hic tamen recolere merito possumus? (*a*) *Præterea & hoc largimur, quod Angeli orent pro nobis: extant enim Zachar. I. ubi Angelus orat: Domine exercituum usque tu non misereberis Jerusalem &c.* Chytræum etiam allego Doctorem summi nominis inter tuos: etenim locum hunc commentariis illustrans hæc ait: [*b*] *Allegoria etiam visionum ad Christi regnum accomodata consideretur. Angelus enim qui sub myrto insidet rufo equo, & pro Judæis orat, & bona, & consolatoria verba annunciat, typus est Michaelis magni principis populi sui, Domini & Redemptoris nostri Jesu Christi, qui in politia Judaica indutus humana natura, roseo sanguine, & morte sua, nos ex captivitate Babylonica Diaboli, peccati, & mortis liberavit: & solus est mediator Dei, & hominum intercedens pro Ecclesia apud æternum Patrem .... Reliqui Angeli insidentes rufis, spadiceis, & albis equis pingunt Apostolos, & eorum successores, qui a filio Dei in omnem terram mittuntur, ut fausium, ac fainturem nuncium de pace cum Deo re-*

[*a*] In Apolo. ad Confess. Augustanam ad art. 21. pag. 101. tom. I.
[*b*] Tom. II. Ope. pag. 403.

restituta ubique spargant: Horum alii Dominum imitati stolas suas in sanguine Agni laverunt, ut Martyres. Alii quamquam non profuderunt, tamen vitam erumnis, & doloribus plenam egerunt, ut Athanasius, & alii Confessores. Alii vitam pure & innocenter, ac tranquille transactam placide finierunt, ut multi Episcopi & Pastores, qui tranquillis & lætis temporibus Ecclesias rexerunt. = Putat itaque Chytræus, *verum*, & ut cum Kieslingio loquar, *Creatum* Angelum fuisse eum, qui inter myrteta degens, Deum verbis illis est deprecatus: *Domine Exercituum &c.* quamquam allegorice Christum Dominum repræsentavit, sicut allegorice tantum repræsentati fuerunt Apostoli, Confessores, & Innocentes Episcopi ab Angelis illis, qui equis rufis, variis, & albis insidebant.

20 Neque porro dum ait Chrytræus, fuisse ab eo Angelo Christum allegorice repræsentatum, ita illius verba excipias velim, ut Christi vices ageret, atque ejus nomine preces Deo porrigeret Angelus. Olim scilicet [ut monet Apostolus Paulus] *omnia in figura contingebant*, ideoque vera ipsa facta allegorice alia repræsentabant; nec tamen ea repræsentatio quidquam detrahebat veritati factorum. An non revera Abraham duos filios *habuit, unum de ancilla, & unum de libera (a)?* Et tamen hæc *sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt* [idest significant, seu adumbrant] *duo testamenta &c.* Itaque quamquam Chytræo judice, Christum Angelus ille repræsentavit, non propterea negandum est, vera esse quæ *litteraliter* ibi traduntur, ideoque suo nomine fuisse ab eo preces porrectas Deo.

21 Atque hanc quidem inhæsisse Chytræo sententiam confirmant, & magis comprobant subsequentia ejusdem Chytræi verba: *V. locus. Exemplum doctrinæ de officio bonorum Angelorum, qui regnis & nationibus præsunt, & orant pro Ecclesia, & singulis piis, eosque suis excubiis septos custodiunt, & diabolorum, ac hostium Ecclesiæ molitiones impediunt.* Statim vero docet Angelum in Propheta loquentem Christum Dominum fuisse: sed quod attinet ad Angelum considentem inter myrteta, Deumque verbis iis deprecantem: *Domine exercituum &c.* non recedit a superiore sententia.

CA-

[a] Gal. IV. 22. &c.

CAP. II.

Expenduntur locus Danielis adductus num. III. capitis V, locus quoque Tobiæ num. IV. ejusdem capitis allegatus, locus denique numero V in eodem capite allatus.

1 TAntum in superiore loco eludendo laborem impendit Kieslingius, ut proxime sequens illius diligentiam effugerit, is nempe qui ex Danielis X allegatus est a Trombellio, aut potius ea fuit in Trombellio legendo negligentia ac stupiditas, ut putarit duo valde dissita Scripturarum loca ab eo in unum fuisse permixta. Vide quæ numero septimo capitis superioris diximus. An id arte egisti, & vafre Kieslingi: videns scilicet te minime posse locum hunc evitare, consulto omisisti? Utcumque res sit, en quæ numero III capitis V attulerat Trombellius. (*a*) *Angelum quoque pro reditu ejusdem populi Deum oraſſe, didicimus ex capite X libri Danielis, illius partes adjuvante Michaele uno ex Principibus, dum Princeps Perſarum utrique obſisteret, deprecans ſcilicet, ne longe abiret a populo ſibi commiſſo populus Iſrael, a quo in veri Dei cultu Perſæ inſtituebantur. Obtinuere vero reditum Iſraelitici populi Angeli illi, qui hujuſmodi reditum a Domino poſtulaverant. Qua in re curam opto videas, & ſolicitudinem Angelorum, ut pro ſuo quiſque populo deprecaretur.* An ad locum hunc eludendum Christum nondum natum inducet Kieslingius? Nisi duos Christos fingat, argumentum illud minime eludet: duo enim Angeli deprecatores hic describuntur, Judææ scilicet, & Persidis. Judææ porro Angelo suffragator adjunctus est Michael, reditumque ad patrias sedes Judaico Populo obtinuit.

2 Sed aggrediamur oportet illum Tobiæ locum, quem numero IV ejusdem capitis Trombellius adduxit. Sic porro disseruit [*b*]: *Nequ .zo ad comprobandum, quod ſundantur ab Angelis pro nobis preces, contemni a te volo, quæ de precibus noſtris ad Deum ab Angelis delatis narrat liber Tobiæ cap. 12. verſ. 12. quippe credibile eſt munus id propterea impoſitum Angelis, ut ſuas adjungant precibus noſtris, quæ illo acceſſione efficaciores ſiunt. Vide Interpretes in locum hunc.*

3 Quid tu vero Kieslingi? [*c*] *Quod non contemni vult Ven. Pater Tobiæ teſtimonium, quod profert ex cap. XII. v. 12. merito rejicio, & mea opera indignum judico, tunc demum reſponſurus, ſi auctoritatem, quam & antiqui, & recentiores viri huic libro denegant, mihi evidentes probaverit.* Ita porro tua dicta concludis „ *Neque vero ad comprobandum, „ quod*

(*a*) Cap. V. pag. 79. [*b*] Pag. 79.
[*c*] Exerc. VIII. pag. 209. §. IV.

Digitized by Google

„ *quod fundantur ab Angelis pro nobis preces, contemni a te volo, quæ* „ *de precibus noſtris ad Deum ab Angelis delatis narrat liber Tobiæ* „ *Cap. XII. verſ. 12.* „ *Parum nos ſtringit hoc effatum, dum Canonica deſideratur auctoritas. Nec inde ſequitur Angelos propterea eſſe adorandos & invocandos, quia preces & deſideria noſtra Deo deferunt. Prius maxime incertum eſt & dubium, & poſterius difficulter ſtabilietur. Nam neque Deus demandavit, ut noſtra vota Angelis committamus deferenda, neque Angelos eo nomine invocandos præcepit, & nos per Angelos audiendos promiſit. Quæ quum nullo ſuffulciantur fundamento, nos Tobiæ locus non tangit. Explicentur ſupra allata momenta, & dictis Scripturæ Sacræ muniantur, tunc rite ad Tobiæ effatum provocabit Ven. Abbas.*

4 At quid ais Kieslingi? Igitur ſi Scriptoris alicujus, quem tu Canonicum eſſe non cenſes, tametſi multo in honore apud alios ſit, auctoritas afferatur, eum deſpicies, & tua opera indignum judicabis Lutheri igitur, & Kemnitii libros, quos tanti facis, deinceps deſpicias neceſſe eſt, quoniam certe Canonicis libris minime adſcribes. At non ita auſterus erat Apoſtolus Judas, qui librum non canonicum, probabilem tamen, allegavit, librum ſcilicet Enoch. Non tam auſterus Apoſtolus Paulus, qui Poetas ipſos aptos ad faciendam fidem cenſuit, ideoque attulit. Et ut in libro Tobiæ conſiſtamus, eum aptiſſimum ad promerendam fidem putarunt Hilarius Picavienſis [*a*], Zeno Veronenſis (*b*), & Auguſtinus, quorum poſtremus allegatus eſt a Trombellio n. V capitis VI: quæ tu tamen omnia omittis, ut difficultatem evites. Fac itaque Canonicum non eſſe, ſed tantum Sacrum, quod procul dubio concedunt Biblia Tigurina, & veſtri ipſi auctores; id mihi ſatis eſt: refero enim veluti probabilem teſtem, cui denegari non poteſt fides, niſi invicta ratio, aut virorum ſapientum auctoritas obſiſtat. At quam invictam rationem affers, quos ſapientes adducis, ut eorum ſaltem comparatione effugias vim, quam adjungit auctoritas Carthaginenſis III, Canonis Africani, & Auguſtini, a quibus diſcimus Canonicum eſſe Tobiæ librum?

5 Cur vero hæc ſubjicis (*c*)? *Nec inde ſequitur Angelos propterea eſſe adorandos, & invocandos, quia preces & deſideria noſtra Deo deferunt. Prius maxime incertum eſt, & dubium, & poſterius difficulter ſtabilietur. Nam neque Deus demandavit, ut noſtra vota Angelis committamus deferenda, neque Angelos eo nomine invocandos præcepit, & nos per Angelos audiendos promiſit. Quæ quum nullo ſuffulciantur fundamento, nos Tobiæ locus non tangit.*

6 Dum hæc ais Kieslingi, videris non meminiſſe eorum, de quibus nunc diſputamus, & ut argumenti vim eludas, quæſtionem aliam

[*a*] N. 7 interpretationis in Pſalmum 129. (*b*) Vide §. 2 capitis I; & rurſus §. 6 capitis II Diſſertationis I a Clar. fratribus Ballerinii præpoſitæ Sermonibus S. Zenonis. Vide etiam pag. 524 editionis Veronenſis Operum S. Zenonis. [*c*] pag. 209.

Digitized by Google

ſubſtituis. De Sanctorum interceſſione ac ſuffragiis apud Deum hic diſputamus; alibi de Sanctorum cultu, & invocatione ſejuncta diſputatione differetur. Videndum itaque, num Tobiæ locus a Trombellio allatus id evincat, quod evinci is putat, immo putarunt Hilarius, Zeno, Auguſtinus. Scis ne, quid diverticulis hiſce tuis obtines Kieslingi mi? ut palam oſtendas inenodabilem tibi eſſe locum hunc, ideoque quoniam ſolvere non potes difficultatem in eo tibi ſtructam, eum evitare, aut potius amputare ſtudeas.

7 Attulerat Trombellius verſiculum 23, & 24 capitis XXXIII libri Job: qui quidem verſiculus ad hunc modum ſe habet: „*Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus; ut annunciet hominis equitatem, miſerebitur ejus, & dicet: libera eum, ut non deſcendat in corruptionem: inveni in quo & propitier.*„ (a) Quippe hunc ſenſum (inquit Trombellius) *haud egre videntur exipere: Si Angelus aliquis fuerit deprecatus, miſerebitur illius Deus, Angeloque precipiet, ut ab iis liberet, quibus vexatur malis.*

8 Fatetur Kieslingius interpretationem hanc non modo placuiſſe Joanni de Pineda, & Sanctio, verum etiam Calmeto: quem quidem ait in ſententiam Venerabilis Abbatis tranſire: [perinde quaſi multis annis ante Trombellium non ſcripſiſſet Calmetus] (b). *Nec ſantora*, inquit Kieslingius (mirabili ſane, & tanto magiſtro digna locutione) *fovet principia Celeb. Balthaſar Corderius.* Sed Cenſor noſter (c) *nondum perterritus, & auxilii expers* (ideſt, ut puto, *nec auxilii expers*) Cenſor, inquam, noſter duas explicationes affert; vetuſtior illa eſt, quæ traditur a Chemnitio (d), a Gerhardo quoque [ſi Kieslingio credimus], & Chamiero. Hæc vel illa eadem eſt, quam ſibi objecit Trombellius numero II capitis VI [e], vel ſane adeo illi affinis eſt, ut peculiariter eam afferre minime oporteat. Altera, quæ Chriſtum Dominum illum Angelum eſſe docet, cujus hic mentio fit. En quæ in rem ſuam Kieslingius afferat: (f) *Utrumque hæc vox Angelus exprimit, quod adeo certum eſt, ut nullo plane egeat teſtimonio, quod vel ex Bibliis Polyglottis, & Lexicis intelligitur. Chriſtus eſt interpres, mandatique divini nuncius: nam annunciavit Patris voluntatem. Joa. V. 39. 40. Chriſtus eſt Paracletus ſeu conſolator, ut Chaldaica verſio hanc voculam explicat. Unicus eſt ille Magnus Sacerdos, Deum inter, & homines mediator 1. Tim. II. 5. & 6. Joa. II. 1. 2. Rom. VIII. 34. Tametſi Angeli rerum noſtrarum ſpectatores, & divinorum præceptorum ſint interpretes, ut Cel. Joannes Mercerus hoc verbum accipit: nullibi tamen eos eſſe noſtros apud Deum mediatores leges. Quid quæſo frequentius eſt, quam quod Jeſus unus e millibus dicatur electus, & ad excellentiam uſque pulcer. Cant. V.* 10.

---

[a] pag. 80. To. I. Diſſer. III. Cap. VII. §. IV. (b) Exercit. VIII. pag. 210. §. V. [c] Ibid. [d] Exam. Conci. Triden. *de invoca.* pag. 610. Edition. Gene. 1641. [e] pag. 81. (f) pag. 210, & 211. §. V, & VI.

Digitized by Google

10. *Eccleſiaſt. cap. VII.* 29. *Nihil aliud quam præſtantia, & dignitas rei cujuſdam hoc nomine indicatur. Illam enim rem, quæ e multis millibus ſelecta eſt, præſtantiſſimam dixeris, & nobiliſſimam. Quis unquam Angelus redemit nos? de quo tamen dicitur a Jobo*: & redime, ſeu, *ſi mavis*, eripe, & libera illum, ne deſcendat. *Non male hic ad Angelum provoco, cujus auxilium moribundus commendat Jacobus Gen. XLVIII.* 16. *Angelus qui me eripuit ex omnibus malis. Qualis ergo Angelus Jobo præſto fuit, ne deſcenderet, ſeu omnem ſpem ſalutis cum vita abjiceret, & diceret*: Nunc deſcendam in terram, & ſi quis me cras quæſiverit, me non inveniet. Job. VII. 21. *Hunc ipſum indicat Jobus*: Scio, *inquit*, quod redemptor meus vivit, & me deinceps ex terra reſuſcitabit. Cap. XIX. 25. *Et hæc eſt illa magna redemptio, de qua Angelus ſæderis veluti præſens ediſſerit ad Jobum*: *Ego inveni redemptionem.* Chriſtus enim ſemel intravit in Sanctuarium, & æternam invenit redemptionem. Hebr. IX. 12. *Quem Jobi verſum XXIV. de Jeſu redemptione etiam Mercerus interpretatur. Sin vero quis minus hanc redemptionem de officio Chriſti mediatorio intelligere velit, ſed potius de liberatione a morte, & calamitatibus, quibus Jobus tunc temporis vexabatur, auxilium cujuſdam Angeli fruſtra quæret: nam non Angelus, quem fingit Vener. Trombellius, ſed Deus ipſe hanc Jobi mutavit ſortem & calamitatem. Cap. XLII.* 10. Confirmat autem opinionem hanc ſuam auctoritate Schmidii, Kortumi, & Coccei.

9 Tamen his Kieslingii dictis nihil Trombellii monitis detrahitur; ſufficit nempe illi, ut probabilis ea ſit explicatio, quam is attulit; ceterum faſſus eſt, poſſe verba illa aliter accipi (a). Me porro verto ad eam explicationem, quam Kieslingius affert, quæ ſcilicet Chriſtum Dominum *Angeli* voce ſignificatum declarat. Sane Chriſtum Dominum hic indicatum fuiſſe ab Eliu, cujus ea verba ſunt, ægre nobis perſuadebit Kieslingius. Etenim locutio, ſeu commendatio Chriſti *actu* (ut cum Scholaſticis loquar) temporibus iis haberi ab Eliu non poterat: nondum enim Divinum Verbum *carnem aſſumpſerat*: porro veluti de re præſenti, ſeu quæ facile iis temporibus obtineri poterat, loqui videtur Eliu, cum hæc ait: *Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus*. Ad hæc [quidquid dicat Kieslingius] nulla hic *mediatoris* mentio fit: adeo ut ex ea nota Chriſtum Dominum Angelum eum fuiſſe innoteſcat. Tametſi porro Chriſtus dicatur

(a) Ea quæ in ejuſdem Trombellii libris occurrunt. pag. 83. *Poſſe illud* (teſtimonium) *aliter accipi, quam nos accepimus, ultro fateor: neque vero dum meam explicationem produxi, aliam quamlibet rejicere in animo habui. At oſtendere debet, qui rejicere eam cupit, a veriſimili alienam eſſe noſtram, quam ego veriſimillimam arbitror, & fortaſſe multo probabiliorem illis, quas attulerunt. Quis neget Angeli nomine tum vetum Angelum intelligi, quum vox Angeli occurrit, & nihil vetet, ne tum verus Angelus intelligatur?* Reliqua quæ ille ſcriptis mandavit, omitto, ne nimio plus prolixus ſim.

electus ex millibus; nunquam tamen dicitur *Angelus electus ex millibus*: quin & Sponſæ pulcritudo in Canticis Canticorum ea eſſe dicitur, ut ea quoque *electa* ex millibus appellari poſſit (*a*). An propterea ea Chriſtus eſt?

10 Illa verba: *libera eum* [ſeu vel ſi vis] *eripe eum, ut non deſcendat*, vel Deum reſpiciunt, non Angelum deprecatorem, vel ſi Angelum reſpiciunt, verba Domini ſunt præcipientis Angelo, ut hominem eripiat. An non poteſt Angelus, Deo jubente, hominem a malis eripere? an non in Pſalmo nonageſimo legimus? *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum &c.* Quæ de Angelo Geneſ. 48. 16 ais, reſponſionem habent capite I Diſſertationis V. Trombellii.

11. Quæ deinceps ex Jobi libro, aut ex Epiſtola Pauli ad Hebræos allegas, id minime probant, cujus cauſa tu affers; ſcilicet in eo, de quo agimus, loco Chriſti mentionem fieri: neque video, quamvim habeant in ea, de qua agimus, quæſtione. An ſi Angelum ſuperiori eo loco intelligimus, negabimus potuiſſe Jobum dicere: *redemptor meus vivit, & me deinceps reſuſcitabit?* An etiam negabimus: *Chriſtum ſemel intraſſe in Sanctuarium, & æternam inveniſſe redemptionem?* Nihil minus.

12 Hic veluti pro coronide Philonis auctoritatem Trombellius attulerat, ut nempe vetuſti hujus, & Hebræis valde probati ſcriptoris verbis evinceretur, putaſſe Hebræos *ab Angelis curam noſtri agi, multaque beneficia eorum precibus a Deo nobis impetrari.* Locum Philonis plane hic omittit Cenſor noſter, illique ſubſtituit Dionyſii locum, quem refutet. Sed deinceps [*b*] Philonem contemnit, utpote Platonis opinionibus plane adhærentem. Debebat tamen quæcunque adverſus V Trombellii caput effundere cupiebat, apto loco proponere. Sed non de loco apto tantummodo diſputamus. Diſplicet maxime, quod non modo Philonem, verum etiam Joſephum Kieslingius redarguat, quem tamen Platonis opinionibus adhæſiſſe nemo dicet: reliquos omnes accuſaturus, ſi a ſuis opinionibus minime ſteterint,

AD

(*a*) Cap IV. Et rurſus cap. VI. verſ. 3. *Sexaginta ſunt regina, & octoginta concubina, & adoleſcentularum non eſt numerus. Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Cap. VI. v. 7. & 8.

[*b*] pag. 215.

AD §. VII EXERCITATIONIS VIII. ET AD EXERCITATIONEM IX.

Quam Kieslingius appellat

De dictis nonnullis Scripturæ a falsa interpretatione vindicatis. [a]

CAP. I.

1 SEd cur *Kieslingi* Caput VI integrum prætermittis, in quo Trombellius vindicat ab objectionibus probationes eas, quas capite superioriori, ideſt V adduxerat? Hoc ne eſt *Kieslingi verba Venerabilis Abbatis accurate, ut ipſa ſuunt, apponere?* (b) *Nullam quidem mutaſti litteram* (ut tuis verbis utar), at prætermiſiſti, quod prætermittere non poteras, niſi forte inter *leviculeſes quæſtiones, quæque capita controverſiæ non laduat*, vindicias probationum a Catholicis allatarum colloces. Sed non ea tantummodo de cauſa tecum conqueror *Kieslingi*. Cur ea omittis, quæ ex Ambroſio in Lucam [c] Trombellius attulit ad id quod agimus valde apta? Cur ea hic omittis, quæ ex verſiculo tertio, & quarto Capitis octavi Apocalypſis idem Trombellius adducit, & in Exercitationem IX conjicis (d); quam quidem Exercitationem te edidiſſe jactitas ad Caput IX. pag. 91. & 94. cum tamen locus hic Apocalypſis expoſitus ſit a Trombellio §. 3. Capitis VII. pag. 85.

2. Cur dum locum Dionyſii, qui *Areopagita* nomen præfert, a Trombellio allegatum refers, ita refers, quaſi Trombellius certo tribuiſſet Dionyſio Areopagitæ, neque noſſet ille quæſtiones ac dubia, quæ circa libros eos vertuntur? Cur denique refers, quaſi Trombellius eum attuliſſet, ut oſtenderet Hebræos Sanctorum interceſſionem agnoviſſe, cum id a vero alieniſſimum ſit, & quaſi dolum in Trombellio inveniſſes, eum graviſſimorum criminum reum ad Lipſienſium Tribunal ſtatuis; cum tu quidem reus fraudis & mali doli ſis, Trombellius innoxius, & criminis expers?

3 Sed ne videar id temere locutus, præſtat verba tua Kieslingi deſcribere, eaque cum Trombellii dictis comparare, ut ex iis dijudicet Lector, uter cauſa cadat, Trombellius, an tu. En tua ipſa verba: (e) *Novo denique argumento, quod a Dionyſio Areopagita petit, ut probet, Hebræos credidiſſe Angelorum interceſſionem, ne manum quidem admoveo. Diſ-*

(a) pag. 213. [b] Præfatio §. XXVI. pag. 39. [c] libro 8. in Lucam n. 61. (d) §. X. pag. 121. (e) Exerc. VIII. pag. 218. §. VII.

Disputet Vir Vener. nobiscum ex libris fide dignis, & non suppositis. Miror, Virum tam gravem, & Venerabilem esse tam mutabilem, & versipellem, ut Dionysii libros, quos capite VIII. pro falsis, & suppositis habet, eodem capite §. VI. non omni privet auctoritate ita statuens: „ cer- „ tum est tamen, neque recentes esse, neque contemnendos eos li- „ bros. „ *non ignorabit hunc Dionysium subleste esse fidei scriptorem, quem Joannes Dallæus plus ultra XL. errorum reum fecit, & convitium dedit. Et si hic ipse niger, & evitandus videatur, adeat celeberrimum Nicolaum le Nourry, qui spissa satis dissertatione ejus auctoritatem infirmavit. Terminum ingenti ex Doctorum vestrorum numero faciat Cel. Du-Pinius. Non multus ero in excitandis aliis, e quibus Tillemontius, & Richardus Simon primas fere tenent partes. Sed rivulos claudam, hoc tantum monuturus, me omnia argumenta, quæ ex Dionysio, & aliis Scriptoribus fide plane indignis excitaverit, ne extremis quidem digitis esse attacturum. Tanti enim punitere e libris Italicis emere nolui. Hac nostra fert tellus.*

4 Primum quidem dicis Kieslingi novum argumentum a Dionysio Areopagita petitum fuisse a Trombellio, ut probaret *Hebræos credidisse Angelorum intercessionem*. Tam falsum id est, quam quod maxime. Trombellius locum hunc affert capite VII. cujus hic titulus est. (*a*) *De eadem Angelorum apud Deum intercessione persuasos fuisse Christianos ex iisdem veteris testamenti locis ostendimus: quibus etiam alia tum ex novo Testamento, tum ex Sanctorum Patrum libris desumpta testimonia adjungimus*. Et re vera ad id probandum affert scripta, quæ Dionysii Areopagitæ nomen præferunt, non audacter tamen affert, nec animose, sed quasi trepidans, cujus quidem trepidationis causam minime dissimulat, fatetur enim dubitari merito posse, num Dionysio Areopagitæ tribuendi sint ii libri, qui nomen illius præferunt. An non id innuunt subsequentia? (*b*) *Si libros, qui sub Dionysii Areopagitæ nomine prodiere, ab eo compositos putas, antiquissimum sane, & præclarissimum intercessionis & curæ Angelorum patronum habes*. Deinceps vero ad hæc verba, quibus tota, si qua est, Protestantium, ideoque Kieslingii difficultas continetur [*c*]: *Dionysio Areopagitæ tributos olim libros nostris temporibus nemo tribuit. Agnitum scilicet est Sancto Doctori fuisse suppositos a scitulo aliquo, qui quinto seculo vivebat, quique Monachos, & divisionem Ecclesiasticarum Præfecturarum, & Dignitatum ad Apostolica usque tempora producere studuit, invita tota antiquitate, cui tum hæc, tum libri Dionysii Areopagitæ ignota fuere*: Hæc ex sua sententia respondet: [*d*] *Dionysio Areopagitæ num tribuendi sint, nec ne, ii libri, qui sub ejus nomine prodierunt, hic disserere minime opportunum est. Certum est tamen, neque recentes esse, neque contemnendos eos libros*. At censor noster, aut per negligentiam minime ferendam, discrimen hoc objectionis, & responsionis minime advertens,

aut

[*a*] pag. 84. [*b*] Cap. VII. n. 3. pag. 85. [*c*] Cap. VIII. n. 2. pag. 88. (*d*) n. 6. pag. 89.

aut dolo malo plane diſſimulans, Trombellium mutabilem & verſipellem appellat [a].

5 Sed *quæ te dementia cepit* Kieslingi, ut mutabilem, ac verſipellem eum appelles, qui nitide adverſariorum difficultatem ſibi proponit, & deinceps ſolvit? Si ita eſt, verſipelles, & mutabiles facies Scriptores omnes, qui de re aliqua diſputant, uno enim in loco ſibi argumenta adverſariorum proponunt, in alio ea ſolvunt: nec tamen ſententiam mutant: ea enim quæ ſibi ſolvenda propoſuerunt, non veluti ſua, ſed veluti ab adverſariis obiecta proponunt. Et tamen quaſi hęc neſcias, audes virum doctiſſimum, propterea quia hæc ſervat, *mutabilem & verſipellem* dicere?

6 Neque vero opus erat, ut Trombellium moneres, quænam ſit virorum doctorum de libris, qui præpoſito Dionyſii nomine prodiere, ſententia. Dallæum, ad quem tu rejicis, multo ſæpius & accuratius legit ille, quam tu ejuſdem Trombellii ſcripta legeris: neque vero cum Dallæum legit, objectiones cum reſponſionibus permiſcuit, quod tu facis Kieslingi Sapientiſſime. Num vero Tillemontium & reliquos Scriptores noſtros Trombellius conſuluerit, is agnoſcet, qui ejuſdem ſcripta non malevolo animo, neque ſe niſi omno oculo, quod tu facis, expendet. Quænam ſit Trombellii de libris Dionyſio Areopagitæ tributis ſententia, ſcire potes, nam anno 1743, ideoque antequam tuas Exercitationes evulgares, jam prodierat Diſſertatio illius IX, in qua hęc tradiderat [b]: *Cujus quidem opinionis noſtra ſi fundamenta requiris, ſcito afferri quidem ab antiquis conjuevisse verba ea Dionyſii Areopagitæ, quæ mox adducam, quæque etiam allegat Adrianus primus . . . . Sed ſcripta hæc* [*quod nemo ignorat*] *in Criticorum offenſionem inciderunt, adeo ut vel iis auctoribus, quorum nomen in fronte præferunt* (de Dionyſii Areopagitæ, & Methodii libris loquitur) *temere adjudicata doceant, vel certe additamentis aliquibus interpolata, & pene dicerem polluta (c): qua de re alii judicent. His itaque omiſſis alio convertimur.*

7 Porro ad hæc, quæ probe noverat Trombellius, cum ea ſcripſit, quæ tu temere condemnas, reſpiciebat, cum dixit (quod jam monui) *neque recentes, neque contemnendos eos eſſe libros.* An recentes dices, quos critici fere omnes quinto vel fortaſſe etiam quarto ſeculo aut editos, aut certe haud raris additamentis interpolatos fuiſſe teſtantur? An vero contemnes quos veteres tum Latini, tum Græci ad conciliandam ſcriptis ſuis auctoritatem crebro allegarunt? Errores porro, quos in iis ſcriptis ſe adinveniſſe nonnulli putarunt, plerique amovent, oſtendunt quippe catholicas plane ſententias, tam etſi obſcurio-

(a) Diſſer. VIII. pag. 212. §. VII. [b] Cap. 65. pag. 303. [c] Vide quæ tradunt Tillemon. to. V. hiſto. Eccleſ. pag. 407. &c. edit. Venet. Dupin tomo I. pag. 125. & ſeq. præſer. 199. Denique Oudin to. I. pag. 299. & ſeq. Lipſ. 1722

Digitized by Google

rioribus locutionibus interdum involutas, ab eo fuiſſe propoſitas.

8 Sed cur laboro, ut oſtendam haud temere a Trombellio fuiſſe allatum Scriptorem eum, qui Dionyſii Areopagitæ fert nomen? Ad Kieslingium, inquam, appello, qui oblitus eorum quæ hic adverſus Trombellium effutiit, ita eum Scriptorem allegat, ut primis ſeculis eum vixiſſe innuat; *Areopagitam* quoque appellet, aptiſſimum quoque indicet ad declarandam Apoſtoli Pauli ſententiam. An non verum narro? En ipſa Kieslingii verba: [*a*] *Totus enim ferme terrarum Orbis hac Platonicorum opinione ſeculis primis eſt infectus, adeo quidem, ut, ſi apud Dionyſium Areopagitam res ſtaret, divus Paulus ipſe, qui Angelos, Dominationes, Principatus, & Thronos appellavit, ab hac macula non eſſet liberandus, ut Cel. Beauſobrius obſervat.*

9 Sed ubi eras Kieslingi, cum hæc effudiſti? [*b*] *Sed rivulos claudam, hoc tantum moniturus, me omnia argumenta, quæ ex Dionyſio, & aliis Scriptoribus fide plane indiguis excitaverit, ne extremis quidem digitis eſſe attacturum. Tanti enim pœnitere e libris Italicis emere nolui. Hæc noſtra fert tellus.*

10 Nolo in re ſeria tecum jocari Kieslingi. Scito tamen, dum tua legi, percepiſſe ſtatim, te, dum hæc ſcriberes, ad notiſſimum illum verſiculum reſpexiſſe:

Claudite jam rivos pueri, ſat prata biberunt.

ideoque te quoque dum hæc ſcribebas, non minus bibiſſe, quam prata? Sed utinam id bibiſſes, quod prata bibunt. Sane hæc plane inepta non effudiſſes. An fide indignus Ambroſius, quem numero I capitis VII citat Trombellius? an fide indignus Origenes *contra Celſum* diſputans, & homilia quarta in Lucam? an fide indignus auctor quæſtionum ad Antiochum? an fide indignus Syneſius Cyrenenſis? an fide indignus Auguſtinus, quos omnes citat Trombellius n. 4. 5. 6. capitis VII? An fide denique indignus liber Apocalypſis, quem numero II ejuſdem capitis Trombellius allegat? Et tamen dum eo uſque deſipit Kieslingius noſter, ut eos omnes prætereat, quaſi Scriptores fide indignos allegaſſet Trombellius, *doctus* haberi vult, imperitus Trombellius, quaſi Chriſtiani poſſent [ut de Veterum Sanctorum Patrum Scriptis interea ſileam] librum Apocalypſis inter *Scriptores fide indignos* recenſere, ſic ut propterea illum *ne extremis quidem digitis* Cenſor noſter *eſſet attacturus*.

11 Sed quo ſpectant illa Kieslingi: *tanti enim pœnitere e libris Italicis emere nolui?* An te pœnitebit, ſi tibi objectum Apocalypſis librum explicare conaberis? An te pœnitebit ſi aliquam impendas operam ut oſtendere ſtudeas, viros eos præclariſſimos, quos Trombellius citavit, tibi minime eſſe contrarios? Sed ita Catholicorum argumenta eluduntur, ita tuis places, plauſuſque excitas in tuis Scholis; quaſi *Itali imperitiſſimi* ſint, Lipſienſes vero ſoli *Magiſtri in Iſrael*.

AD

(*a*) pag. 362. [*b*] Exerc. VIII. pag. 213.

AD EXERCITATIONEM IX.

Quæ inſcribitur

De diſſis nonnullis Scripturæ Sacræ a falſa interpretatione vindicatis.

CAPUT I.

Occurrimus prioribus Kieslingii argumentis.

1 NUper conqueſtus ſum, quod Kieslingius tam levi in pretio ea habeat Scripturæ, ac Patrum loca, quæ Trombellius Capite VII in rem ſuam attulit, quæque Capite VIII vindicavit. Hic iterum ea de re conqueror, quod fortaſſe non facerem, niſi ſuam ſinceritatem adeo jactaſſet Kieslingius, ut ea tantum ſe omiſſurum polliceretur, quæ capita controverſiæ non lædunt. Conqueror quoque, quod ægre fert a Trombellio ea adduci argumenta, quæ Catholici Doctores ante eum attulerunt, perinde quaſi minime liceret iis uti armis, quibus parentes noſtri uſi ſunt, nec Kieslingius ea adduceret, quæ a Kemnitio, & reliquis Lutheri diſcipulis jam pridem allata ſunt, *multaque nova* (ut ipſemet Kieslingius fatetur) in Trombellii libris non inveniantur. Sed vehementius conqueror, quod Trombellii argumentationem capite IX propoſitam ita invertit, ut ex valde probabili, ridiculam faciat, & ineptiſſimam: quod poſtquam egit, Trombellio quaſi victor, & lætabundus inſultat. Sed ne Lectori illudat Kieslingius, ſicut Lipſienſibus ſuis illuſit, operæ pretium duco ipſam Trombellii argumentationem deſcribere, ut hac comparata cum ea, quam Trombellio Kieslingius apponit, palam innoteſcat, quam merito *ſinceri* nomen ſibi adſciſcat Kieslingius noſter.

2 Hæc porro fuit Trombellii argumentatio (*a*): *Primo itaque deduci potuere in eam perſuaſionem chriſtiani ab iis, quæ de Angelis diximus: nam ut præteream celebratiſſimum illud:* „ Erunt ſicut Angeli in cœlo „ *ſane eruunt præſtantiſſimi viri ex ope nobis collata ab Angelis, opem quoque nobis conferri a ſanctis vita functis. Sic Ambroſius:* „ Sicut, *inquit*, Angeli præſunt, ita & hi qui vitam meruerint Angelorum. „

3 Quid vero Kieslingius [*b*]? *Perſuaſionem de Angelorum, & Sanctorum*

(*a*) Differ. III Cap. IX. §. 2. pag. 91. (*b*) Exerc. IX pag. 213. §. 1.

rum interceſſione nobis ex Luc. C. XX. com. 36. affirmare audet: „ *erunt* „ *ſicut Angeli in Cœlo* „. *Sane erunt præſtantiſſimi viri ex ope nobis collata ab Angelis, opem quoque nobis conferri a Sanctis*. An in his Kieslingii verbis ſinceram integramque Trombellii argumentationem agnoſcis Lector? Mirum proinde non eſt, ſi paucis eam refutet, cum revera ratione hac expoſita refutari paucis poſſit. In eo vero potiſſimum inſiſtit, quod ſimilitudo, quæ hic exponitur, non aliud indicet, niſi nuptias a cœleſti beatitudine abfuturas; atque in eam explicationem Chryſoſtomum allegat, Didacum Stellam, cujus nomen *apud Trombellium multum valiturum* affirmat, Calmetum, & Natalem Alexandrum. Quin & hæc adjecit ad eludendum Ambroſii teſtimonium, quo Trombellius potiſſimum uſus eſt: (*a*) *Nullius eſt, quod affert Ambroſii effatum, ponderis, nam hoc non ſpectat. Verum eſt dicere Ambroſium Mediolanenſem*: „ *ſicuti Angeli præſunt, ita & hi qui vitam meruerint Angelorum*. „ *Adſunt quidem Angeli, quia ſunt ſpiritus ad ſervitium, & cuſtodiam conſtituti ad Hebr. I. 14. Sed inde male concludit Ven. Abbas ad invocationem & interceſſionem, de qua nullum ſubauditur verbum. Probet, Sanctos Angelos rebus humanis ideo eſſe præfectos, ut ſint internuncii, & deprecatores noſtri apud Deum. Recte enim hic infertur a Celeb. Ger. Jo. Voſſio*: „ *Angeli Dei ſunt nuncii ad homines, non hominum ad Deum. Nec per Angelos, ſed per ſe, nos ad Deum venire docet Chriſtus Jo. cap. XIV. 6.* „ *Et hæc nulla eſt, ut loqui amat Ven. Abbas*, Proteſtantium cavillatio, *ſed argumentum ſatis evictum*.

4 Sed ſine Kieslingi te paucis interpellem. Fateor beatitudinem hominum ad Cœlos evectorum, ac ſimilitudinem Angelorum, quam aſſecuturi ſunt, in eo loco tradi: fateor nuptiarum deſiderium, & ſexuum mixtionem in eodem loco indicari, arcerique a Sanctis cœleſti beatitudine potitis. Sed non propterea fateor, eos ipſos, qui beatitudine potiuntur, eadem beatitudine, ſi liceat ita loqui, otioſe frui: immo cum portio quædam beatitudinis ſit alios adjuvare, eos præſertim, quibus vinculo aliquo devincimur, hos adjuvabunt, ſi æquali cum Angelis beatitudine potiuntur: etenim Angeli procul dubio nos adjuvant. Pulcre Cyprianus (*b*): *Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copioſa turba deſiderat, jam de ſua incolumitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita*. Ne porro quis credat ſollicitudinem hanc inanem eſſe, eam in precibus ad Deum fuſis alibi non obſcure collocat, hæc ad Cornelium ſcribens: (*c*) *Si quis iſtinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeveret apud Dominum noſtra dilectio: pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio*. Quibus quidem Cypriani verbis, interceſſionem cum beatitudine convenire ſatis liquet. De quo argumento cum jam egerit Trombellius, hic dicere

(*a*) pag. 215 (*b*) De Mortalitate. (*c*) In Epiſto. ad Cornelium in Pamelii, & Baluzii editionibus 57. in Oxonien. 60.

dicere ſuperſedeo. Num ex ea fluat, [a] quæſtio eſt non admodum ad id, de quo diſſerimus, apta: neque enim neceſſe eſt, ut ab ea fluat, dummodo cum ea conveniat: neque id attigit Trombellius. Cæterum non deſunt, qui a beatitudine interceſſionem fluere aſſeverent; quippe beatitudine augetur caritas, qua quidem moventur Sancti, ut noſtri magis miſereantur, Deumque deprecentur, ut nobis faveat.

5 Cur autem invocationis mentionem hic facis, cum hic de invocatione minime diſſeramus? Quoniam tamen jubes me de ea loqui, non vereor dicere, a beatitudine profluere utcunque invocationem. Quippe beatitudo caritatem tum erga Deum, tum erga nos auget: beneficentiores ergo nobis ea Sanctos efficiet. Quid? quod cum Sanctos labis cujuslibet expertes faciat, cariores Deo etiam efficit, extollit quoque eorum ſtatum, ut noſtras egeſtates ſcire magis queant, & preces audire, aut certe noſſe, quam ſi vitam mortalem agerent. Rectiſſime itaque invocabuntur: quid enim aliud requiritur, ut recte invocentur, quam ut benefici nobis ſint: audiant quoque, & Deo porrigant preces noſtras precibus ſuis junctas, ideoque efficaciores effectas? Sed hæc, ut dixi, obiter, & ut tibi obſequar inopportunas ubique quæſtiones admiſcenti.

6 Quæ ex Chryſoſtomo adducis, veriſſima ſunt, ſed non id refutant, quod nos proponimus: dixi vero futuros eſſe Beatos in Cœlo ſicut Angeli ſunt, non modo quia æquali cum Angelis beatitudine potientur, non modo quia nullos concupiſcentiæ ſtimulos experientur, vetum etiam quia pii erga nos, preces ſuas atque interventum apud Deum porrigent, item ut Angeli faciunt.

7 Id ipſum ajo objectis Didaci Stellæ verbis, quem tamen noverit Kieslingius non tanto in honore haberi apud nos, quanto ipſe haberi a nobis ait: neque enim aut D. Thomæ, aut Bonaventuræ, aut Petro Lombardo, aliiſque primariis Magiſtris eum æquiparamus. Eadem vero reſponſione evitantur ea, quæ ex Calmeto, & Natali Alexandro objiciuntur.

8 Ais Ambroſii verba non eò ſpectare, quo Trombellius ſpectare arbitratur. Tua verba non repeto, cum ea paulo ante retulerim. Quibus quidem hanc reſponſionem habe. Non video cur vocem *præſunt*, qua utitur Ambroſius, vertas in *adſunt*, quod multo minus eſt. *Præſunt* itaque dicamus cum Ambroſio, *bi qui vitam meruerint Angelorum, ſicut Angeli præſunt*. Quod vero ſubdis his verbis: *probet Sanctos Angelos rebus humanis ideo eſſe præfectos, ut ſint interuncii, & deprecatores apud Deum*; hanc a me obtinet reſponſionem. Tibi ſtatim Kieslingi obſequor, & facile oſtendo noſtras preces Angelos ad Deum deferre, ſuaſque illis adiungere. Recole vero quæ ex Tob. 12. v. 12 allegata ſunt, ſed hic repetere præſtat. En quibus Angelus Raphael

[a] *Sed exinde fluere invocationem eorum, & interceſſionem abnuo.* Kiesling. pag. 214.

Tobiam verbis alloquitur: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Ad quæ quidem verba hæc ſubjicit Hilarius Pictavienſis [a], quem ſequitur Zeno Veronenſis: (b) *Sunt ſecundum Raphael ad Tobiam loquentem Angeli aſſiſtentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Dominum offerentes. Hoc ideo commemoratum ſit, ut ſi forte hos eſſe oculos, vel aures, vel manus, vel pedem Dei intelligere voluerimus, habeamus Job non improbabilis intelligentiæ auctoritatem, maxime cum ſcriptum ſit:* „ *Sunt enim efficientes ſpiritus in miniſterium „ miſſi propter eos, qui hæreditabunt ſalutem* „. *Interceſſione itaque horum non natura Dei eget, ſed infirmitas noſtra. Miſſi enim ſunt propter eos qui hæreditabunt ſalutem: Deo nihil ex his, quæ agimus, ignoranti, ſed infirmitate noſtra ad rogandum, & promerendum ſpiritalis interceſſionis miniſterio indigente.* His antiquior, & in libris adverſus Celſum ſcriptis æque probabilis Origenes eſt. Ecce porro quæ hoc ſuper argumento ille edocet. (c) *Quod ſi etiam magno numero cupimus eſſe, quos beneficos nobis volumus, docemur,* „ *decies millies centena „ millia aſſiſtere ei, & millia millium miniſtrare ei.* „ *Nam bi cognatos & amicos videntes eos, qui ipſorum in Deum pietatem æmulantur, ac Deum invocant, riteque illum precantur, eorum ſaluti collaborant, illis apparent, putantque ſui eſſe officii illis obſequium præſtare, & quaſi ex compacto venire ad beneficia, ſalutemque eis conciliandam, qui Deum orant, cui & ipſi preces offerunt.* „ *Sunt enim omnes adminiſtratorii ſpi- „ ritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* „ *Hebr.* 1. 14. Nonne etiam Chryſoſtomus hæc eloquitur: [d] *Ecquum dilecte illo tempore ſpem ſalutis habere poſſis? Non homines ſolum horrendam illam emittunt vocem, ſed & Angeli ante Dominum procumbunt & Archangeli precantur: habent tempus illud idoneum, oblationem ſibi faventem. Ac quemadmodum homines exciſis olearum ramis Reges movere ſolent, illaque arbore ad clementiæ ipſos memoriam revocant; ſic & Angeli tunc temporis pro olearum ramis ipſum corpus Dominicum protendentes, Dominum pro humana natura rogant, ac ſi dicerent: Pro his ſupplicamus, quos tu præveniens ita diligere dignatus es, ut animam tuam traderes: pro his ſupplicationes fundimus, pro quibus tu ſanguinem effudiſti; pro his rogamus, pro quibus hoc corpus immolaſti.* Adde Auguſtinum, quippe hæc ait [e]: *Unde & illud quod idem Apoſtolus ait,*

Po-

---

[a] n. 7. interpre. in Pſal. 129. (b) Vide §. 2. capitis primi, & rurſus §. 6. capitis 2. differt. primæ a clariſſ. Fratribus Ballerinis præpoſitæ Sermonibus S. Zenonis. Vide etiam pag. 324. (c) Lib. VIII. contra Celſum pag. 766. n. 34. editio. PP. Benedictinorum.
(d) Homil. III. *de incomprehen. Dei natura* n. 7. pag. 470. to. 1. Editio. Montfauc. (e) In Epiſt. ad Probam, olim 121. in nova ſerie CXXX. cap. IX. alias n. 18.

Poſtulationes veſtræ innoteſcant apud Deum, non ſic accipiendum eſt, tanquam Deo innoteſcant, qui eas, & antequam eſſent, utique noverat, ſed nobis innoteſcant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam. Aut forte etiam innoteſcant Angelis qui ſunt apud Deum, ut quodam modo eas offerant Deo, & de his conſulant, & quod eo jubente implendum eſſe cognoverint, ſicut oportere ibi cognoverint, hoc nobis vel evidenter, vel latenter apportent. Dixit enim Angelus homini; Et nunc quando orabas tu, & Sara, ego obtuli orationem veſtram in conſpectu claritatis Dei. Sed quoniam apud te multo plus virium fortaſſe habebit ſuorum Theologorum, quam veterum Patrum auctoritas, recole obſecro quæ ex Melanchthone alibi attuli. [*a*] Cur enim ea iterum afferam?

9 Me vero magnis vocibus ad ſe advocat Kieslingius, quippe Trombellio exprobrat, (*b*) quod hic quoque Dionyſium Areopagitam, & Philonem alleget; atque hunc quidem plane deſpicit, utpote *Platonicorum labe totum, quantus quantus eſt, infectum*: quod ut evincat duo Philonis loca adducit, deſumpta ſcilicet ex libro *de Monarchia*, ex eo quoque libro, qui inſcribitur: *quis rerum divinarum hæres?* At ſine Kieslingi mi, ut te amice interpellem. Ubi eras, obſecro, quum hæc ſcribebas: (*c*) *Magnopere delectari mihi videtur Venerabilis Abbas Dionyſii Areopagitæ, & Judæi Philonis teſtimonio, quos duum viros nuper admodum excitaverat.* Nulla prorſus in capite nono, quod tu exagitas, nulla in paginis 91, 92, 93, & 94, adverſus quas te ſcribere profiteris, nulla, inquam, mentio eſt ſive Philonis, ſive Dionyſii Areopagitæ: quorum primum allegarat multis antea paginis (*d*). Alterum vero, ideſt Dionyſium allegarat quidem, ſed, ut jam diximus, non aſſeveranter, ſed cum dubitatione (*e*) Capit. VII. & VIII. (*f*) An hic ad ea reſpicis, quæ Trombellius ex his auctoribus depromſerat? Sed præterquamquod falſa dicis, neque enim *nuper admodum excitaverat* Philonem, ſed multo antea, Capite ſcilicet V: cur hic iterum quæſtionem miſces inopportunam, & cum de Dionyſio tam multa antea tradideris, hic rurſus Dionyſii mentionem inſeris? de Philone vero, quem tot antea capitibus omiſeras, hic ſermonem inſtituis, cum nulla prorſus hujuſce mentionis ſe occaſio obtuliſſet? Sed Cenſor noſter virtutibus reliquis ſuis, hanc etiam addit, ut quæ dicit, permixte, & confuſe dicat, ne ſcilicet ordinate redargui, ſi volumus, poſſit.

10 Sed ad ea revertamur, quæ Capite IX Trombellius docuerat, tuque reprehendere ſtudes. Quod antequam aggrediar, me tibi plurimum debere profiteor, quod Canonicam fatearis II Petri Epiſtolam. Facis quod non faciunt omnes ex tuis [*g*].

11 At

[*a*] Apolo. ad Confeſſ. Auguſtan. ad Art. XXI.
(*b*) §. 3. pag. 215. (*c*) pag. 215. §. III. [*d*] pag. 80. cap. V.
(*e*) pag. 85. [*f*] pag. 89. (*g*) Vide quæ tradit Bellarminus de verbo dei lib I. cap. 18.

Digitized by Google

11 At me minime tibi quidquam debere profiteor, quod ita frigide, ita jejune probationem Trombellii expoſueris, cum procul dubio aliam habeat ſpeciem, ſi integram exponas, quam ſi detruncatam ac mutilatam exhibeas. An id expectabamus a tua adeo celebrata ſinceritate? At fortaſſe, inquis, plane ea rejecta eſt, cum monitus Lector eſt, nihil eam habere, quod nos moveat ad eam proponendam, cum *jam jam confutata ſit, & proſtrata in Gagneio, Salmerone, Gregorio de Valentia, Bellarmino, & aliis, quibus expoſitio ea placuit, quum precum poſt obitum effundendarum nullam Petrus faciat mentionem*; diverſam vero proponant non modo ii Proteſtantes, quorum *ſcripta* Trombellio ignota ſunt (*a*), verum etiam Cornelius a Lapide, Eſtius, Calmetus, aliique Pontificii Doctores. *Quid vero Leo Magnus*, adiicit Kieslingius (*b*) *& alii preter planum dicti ſenſum ſenſerint, parum aut nihil curo, quia iſti Commentatores veritate, & verborum auxilio divinorum deſtituuntur.*

12 Dicas tamen quæcunque vis Kieslingi, Trombellii expoſitio rejecta non eſt, nec proſtrata, dum tu nova non affers, quibus ea revera rejiciatur ac proſternatur: immo illa ſcholiis Græcis [quæ tu non affers, allegavit tamen Trombellius] innititur; innititur quoque (quod tu fateris) Leone Magno, innititur Sermone *de laudibus Principum Apoſtolorum*, qui antiquus eſt ſane, nec ita abjectus, ut Chryſoſtomo olim tribui non potuerit: inniti quoque videtur Epiſtola ea, quæ S. Clementi adſcribitur, quæque ad Jacobum Apoſtolum directa eſſe dicitur, quæ quidem Epiſtola tametſi ab aliquibus S. Clementi ſuppoſita eſſe dicatur, antiquiſſima tamen eſt, ſic ut eam Rufinus veluti ſinceram latinitate donaverit.

13 Hæc Trombellius jam dixerat, fuſiuſque expoſuerat; tu vero aut ea diſſimulas, aut contemnis, propterea quia iſti commentatores *veritate, & verborum auxilio divinorum deſtituuntur*, illiſque objicis interpretes alios, qui expoſitionem eam minime afferunt.

14 His tamen artibus nihil proficis Kieslingi. Dum hæc diſſimulas, tuis quidem illudis, qui Trombellii ſcripta minime legentes, tibi credunt quæcunque effutias: ſed accurato Lectori minime illudis; videt enim te propterea diſſimulare, quod aptam ſolutionem illis adhibere non potes. Dum vero contemnis, eorum imitaris exempla, qui *quæcunque ignorant, blaſphemant*. Sane Leonem, & reliquos, quos Trombellius attulit, probabiles, vetereſque Scriptores contemnere minime potes, quod *careant veritate*. Hoc tu quidem dicis, ſed minime probas Keislingi mi, cui ſi repoſuero, te non modo veritate, verum etiam prudentia, & pudore carere, quod temere eos deſpicis, quos Ec-

(*a*) *Sed quoniam hæreticorum, ſeu ut verius dicam Proteſtantium, ſcripta, quibus me tangant terminos veſtros, & inde teſte Bellarmino, Lutheranæ peſtis exoriatur, lex ab Epiſcopis jam dudum poſita eſt, viro venerabili, quantum ego video, ſunt ignota.* Exercit. IX. pag. 218.

(*b*) pag. 217.

Ecclesia veluti Magistros venerata est, quos Concilia antiquissima a te quoque admissa tanti æstimarunt, ut dicere non verentur: *Sanctus Petrus in Leone locutus est*; quid repones Kieslingi mi? Sane quod ais Scriptores eos *testimonio verborum divinorum fuisse destitutos*, eaque de causa a te despici, responsionem hanc habeo: si hoc tantum intelligis, eos Scriptores non esse canonicos, nec cum Scripturis Sacris comparandos, hoc utique fateor: quis enim Leonem Magnum, alioſque, quos allegavit Trombellius, Canonicis Scriptoribus annumeravit? Si vero verbis iis significare vis, hæc temere ab iis dici, ut pote præsidio Sacrarum Scripturarum destitutis, hoc nego, pernegoque; Sanctorum enim interceſſionem Scriptura ipsa tradit, quod jam ostendi: & dum hæc respondes, operam ludis, & id *solutionis loco adducis, quod est in quæstione*.

15 Cur vero tuos objicis, atque ad eorum scripta Trombellium amandas, quasi eos vir doctissimus ignoraſſet? multo plus studii in vestris Scriptoribus ille impendit, quàm tu putes Keislingi. Quod si eos non citat, vel propterea est, quia ab ostentatione alieniſſimus eorum nomina per seriem recitare recusat, quasi multigenæ eruditionis vir, vel quia summa moderatione eorum nominibus parcit, dum ab eorumdem opinionibus, atque explicationibus recedit. Utinam tu exempla hæc tibi imitanda propoſuiſſes. Moderatior sane, aut certe minus insolens appareres.

16 Inutilem vero operam impendis, Kieslingi, cum Catholicos Doctores affers explicationem aliam adducentes. Noverat hæc Trombellius, nec diſſimulat, quod ipse vidiſſes, ſi numerum III Capitis X conſuluiſſes. Sed non continuo causa cadit: satis Trombellio est, ſi ea, quam attulit, explicatio probabilis ſit: probabilem autem declarant ea, quæ ipse ad eam firmandam attulit, ſive ex ratione theologica, ſive ex veterum auctoritate deſumpta, quæque tu [uti dixi] retices, quoniam ſcilicet vides te ad illa rejicienda minus idoneum. Tum sane tua eruditio aliquid proficeres, ſi rationes theologicas attuliſſes, quibus ea explicatio rejiceretur, aut ſaltem Catholicos Scriptores allegaſſes, qui eam redarguerent. Id autem minime exequeris. Nos porro fatemur poſſe aliter eum Petri locum explicari; ſed ſimul etiam volumus recte explicari, uti explicavit Trombellius. An prohibemur uni Scripturæ loco multas adhibere, eaſque probabiles explicationes? Sane ille ipse Cornelius a Lapide, quem tu veluti Trombellio adverſantem allegas, & affert, nec tamen improbat eorum interpretationem, qui monent intelligi hæc poſſe de precibus ad Deum fundendis a Petro pro illis, ad quos litteras has dirigebat: etenim explicans verba hæc *habere vos post obitum meum* expreſſiſſime hæc ait: „ Habere ſcilicet in mente & memoria mea, ut crebro ve„ ſtri ſim memor apud Deum, eumque pro vobis orem, ut horum „ menitorum meorum memoriam vobis refricet. Ita Oecumen, Salme„ ron, Catharinus, Gagneius & alii hic, Petrus Damiani lib. 3. epiſt. 8;

Suarez

„ Suarez 3. p. tom. 2. disp. 23. Bellarm. li. 1. de Sanctis cap. 18. Unde S. Chrysost. orat. in princ. Apost. Sancti Petri opem invocans, citans „ hæc ejus verba ita legit. *Succlamas enim B. Petre sic dicens: studebo „ post meum obitum vestri memoriam facere.* Huc facit quod S. Clemens „ Epist. 1. ait S. Petrum sibi dixisse: *Certus esto quod necesse est te su- „ scipere omne periculum, quia nec ego pro salute omnium obsecrando ces- „ sabo.* Sic Græci dicunt ἔχω μνείαν idest *habeo in memoria*, hoc est reminiscor. Secundo Erasmus, Vatabl. Clarius, Adamus, & Cajetanus „ cum ἔχειν idest *habere*, vertunt *posse*; ut hæc sit sententia: *Dabo „ operam frequenter posse vos post exitum meum horum mentionem facere, „ sive orando Deum pro vobis*; &c. Et postquam hæc scripsit Cornelius a Lapide, tu audes illum Trombellio adversantem dicere?

17 Clauserat Trombelliuscaput IX hujusmodi verbis: [a] *Verum non in hoc tantum testimonio innitimur* [eo scilicet, quod nuper expendimus]. *Quippe haud obscure Sanctorum in Cœlo degentium preces indicatas plerique putant in Capite V. Apocalypsis v. 8. ex quo novimus, Seniores viginti quattuor procidisse coram agno*: „ habebant vero singuli citharas, & phialas „ aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. „ *Porro sive putes phialas has plenas odoramentorum*, quæ sunt orationes Sanctorum, *significare orationes, quas Seniores ipsi offerunt Deo, sive putes esse orationes viventium, quas ut efficaciores redderent, fortasse etiam, quia sibi, ut ita loquar, concreditæ erant, Seniores ipsi Deo offerebant, sive aliud quodpiam his affine: certa res est, orationes Sanctorum hic palam fuisse significatas: quas cum non possent pro se fundere Seniores illi, nullius rei indigi, reliquum est, ut pro aliis funderent, & sibi concreditas, Deo, Agnoque porrigerent.*

18 Argumentum istud sic invertit, irridetque Kieslingius. (*b*) *Argumentum nunc testimonio Apocalypseos munitur, asseriturque*: „ *verum non hoc tantum testimonio innitimur. Quippe haud obscure Sanctorum in cælo degentium preces indicatas plerique putant in cap. V. Apocal. v. 8. ex quo novimus, Seniores viginti quattuor procidisse coram Agno; habebant vero singuli citharas, & phialas aureas plenas „ odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum.* „ *Miserе se detorquet Ven. Trombellius, & modo de precibus, quibus Sancti bi Seniores aliquid expetiverunt, modo de precibus vivorum sumit, & his fidiculis nihil aliud intendit, quam ut Sanctorum intercessiones probet.* Tum monet, probationem hanc afferri non modo a Trombellio, verum etiam a Mahisio, a Concilio Hierosolymitano, & a Calmeto: monet denique preces has non aliud esse, nisi *orationes*, & laudes, quas Deo ipsi offerunt. *Recte enim observatur* (inquit ille) *hic non intelligendas esse preces ἀπτώτους, sed ὑμνητικὰς, quod ex vers. 9. planum est, in quo gratias persolvunt pro sua, & totius Ecclesiæ militantis redemptione, quod solide eunclevit Ger. Joan. Vossius*: cui statim addit Gulielmum Perkinsum.

19 Ve-

[a] pag. 93. §. VII. Tom. I. (*b*) pag. 219. §. VIII.

19 Verum ad hæc facilis est responsio: [Falsa loqueris, cum mones Trombellium se misere detorquere, & modo de precibus, quibus Sancti hi Seniores aliquid expetiverunt, modo de precibus vivorum ea sumere. Non se misere detorquet Trombellius, sed constanter loquitur, & animose ait, quoniam Sanctorum preces eæ phialæ indicant, quascunque facias has preces: (possunt enim eæ phialæ varie accipi) sive scilicet eas, quas Sancti ipsi Deo immediate porrigunt, sive eas quas nos fundimus, Sanctisque commendamus, id revera se consequi, quod assequi contendit; Sanctos nempe preces suas apud Deum interponere, ut nos adjuvent. Si hoc est aliquem *misere torqueri*, nemo hoc miserum torturæ genus subire recusabit.

20 Tu quidem cum Vossio, & Perkinso ais (*a*), preces, quæ hic describuntur, non *στατικὰς* esse, sed *Eucharisticas*, id est gratiarum actiones. Sed certe tota antiquitas voce ea *preces veras* intellexit, idest deprecationes; ideoque Trombellii argumentum consistit adhuc.

21 Sed accuratissimus noster Kieslingius, quasi eum pœnituisset omisisse locum Apocalypsis, quem Trombellius capite VII [*b*] allegarat, hic eum objicit (*c*). Recolamus obsecro locum eum. En itaque quæ proponant versiculus III, & IV capitis octavi Apocalypsis: *Data sunt illi* (Angelo) *incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Quibus quidem verbis positis argumentari sic possumus. Si Sanctorum omnium orationibus componuntur incensa, quæ accenduntur super altare aureum, non illorum tantum Sanctorum, qui mortalem vitam agunt, orationes super altare offeruntur, sed eorum quoque qui vita mortali functi, beatitudine potiuntur: Deum itaque orant isti. Cur vero orabunt? An ut aliquid sibi impetrent, cum nullius egeant rei? An potius ut viventes orationibus suis juvent?

22 Porro argumentationis hujus vim, se facile eludere posse sperat censor noster, monens *Angelum*, cujus mentio fit, Christum Dominum esse, cui multa traduntur *incensa* ex orationibus composita, ut ea in altari aureo, quod est ante thronum Dei, incendantur. Allegat autem veluti expositionis hujusce patronos fautoresque Viegam, Vitringam, Coccejum, Chamierum denique.

23 Non ego is sum qui velim de Blasii de Viegas præstantia studioque contendere. Sed certe Blasius de Viegas is non est, cui nos primas demus. At quisquis is est, fallitur quicumque affirmat *plerosque interpretes confiteri*, per Angelum hunc Christum Dominum significari. Sane si nostros interpretes consulamus, in horum numero non est Ribera (*d*), qui expresse reijcit eorum interpretationem, qui Ange-

(*a*) §. IX. pag. 221. [*b*] n. 2. pag. 85. (*c*) §. X. pag. 222.
(*d*) In locum hunc Apocalypsis.

lum eum, de quo hic fit mentio, Chriſtum fuiſſe ajunt. En ipſius illius verba. „ Et alius Angelus venit. Hunc multi Chriſtum eſſe „ exiſtimant, ſed nuſquam Chriſtus abſolute Angelus dici ſolet. „ Præterea quum dicit *& alius Angelus*, ſimilem illis ſeptem eum „ eſſe oſtendit, ſicut cum cap. 7. dixit: *Poſt hæc vidi quatuor Angelos*, „ & paulo poſt: *& vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis*. „ Quis ſit hic Angelus, non conſtat, quoniam Scriptura non indi„ cat: non videtur improbabile fuiſſe Gabrielem, qui Danieli pro „ ſalute populi oranti apparuit, Danielis nono: aut certe Michaelem, „ cui tota Eccleſia commiſſa eſt: ideo fortaſſe in ejus officio repetit „ Eccleſia quod de hoc Angelo ſcribitur: *Stetit Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua*: quod magis ex ejuſ„ dem Angeli officio intelligetur. Quod ſi forte in illis ſeptem prioribus numeretur Michael, hunc ab eo mitti, ſive ipſum hoc face„ re per Angelum minorem haud inepte dici poterit. „ Riberæ plane obſequitur Boſſuet [*a*]. Nec interpretatio hæc Gagnæio diſplicet: Cæteros e noſtris omitto: ſatis enim, ut puto, eorum auctoritate, quos retuli, præclariſſimorum virorum oſtenſum eſt, cenſere probatiſſimos Catholicos interpretes Angelum verum, ſeu, ut cum Kieslingio loquar, *creatum* hic denotari. An vero hic contemnam Grotium? Minime vero: immo eum omnino hic afferam, utpote qui Kieslingio minime ſuſpectus eſſe deberet. Porro Grotius octavum Apocalypſeos caput annotationibus ſuis illuſtrans primo ait (*b*), Angelum eum, cujus fit mentio, *Eſſe Angelum precum Eccleſiæ ut ex ſequentibus intelligitur*: Tum hæc ſubjicit: *Talis Angeli meminit Hebræus liber Chaſidin, & Tertullianus de Oratione*. Porro hi quos allegat, Tertullianus &, liber Chaſidin hunc Chriſtum eſſe minime affirmant. Et re vera quis Chriſtum eum, de quo agimus, Angelum intelligat, quum neque eo vocabulo conſueverit Joannes Chriſtum Dominum appellare: neque comitatu, aut lucis apparatu is ſe viſendum dederit, quo dignoſci poſſet a reliquis Angelis, & Chriſtus dici? Quid? quod Joannes ipſe perſpicue ſimplicem Angelum eum fuiſſe innuit, cum hæc ait: *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare*: nam reliquis æqualem facit is qui *alium Angelum* eum vocat. An ea locutione in ſuperioribus capitibus Chriſtus appellatur?

24 Ad hæc. Chriſtus in Apocalypſi non Angeli, ſed Agni ſpecie deſcribitur, eoque vocabulo ſignificatur non modo ante hoc caput octavum, veluti verſiculo ſexto Capitis V, verſiculo primo Capitis VI; verum etiam deinceps: hinc *Sponſa Agni* [*c*] Eccleſia dicitur; *Apoſtoli Agni* [*d*] Apoſtoli Chriſti; *Sedes Dei, & Agni* [*e*] ſedes, in qua ſedet Deus & Chriſtus. Cur ergo vis *Angeli* nomine hic Chriſtum denotatum, nec tamen cauſam ullam affers, ob quam id velis, niſi id ipſum, de quo contendimus, num ſcilicet Angeli Deo preces offerant?

CA-

(*a*) in locum hunc. (*b*) n. 3. [*c*] XXI. 9. (*d*) XXI. 14. [*e*] XXII. 1.

Digitized by Google

CAPUT II.

De altero Apocalypſis loco, & de Origenis pariter loco diſſeritur, quos a Trombellio in rem ſuam allegatos Kieslingius ait.

1 VIdeat porro Lector, quam acutus ſolerſque ſit in Trombellio legendo Kieslingius. Trombellius Capite X, cujus hic titulus eſt (*a*): *Quædam Proteſtantium cavillationes proponuntur*; quodque ipſum Caput his verbis aggreditur: *Non aliud quidquam contendunt hic adverſarii, niſi ut noſtra argumenta, probationeſque diſſolvant*: Trombellius, inquam, Capite X duo attulerat loca, unum Apocalypſis, pag. 95., & Origenis alterum pag. 94. Atque Apocalypſis quidem locus hic eſt. *Et clamabant* [animæ interfectorum] *voce magna dicentes. Uſquequo Domine (Sanctus & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra? .... Et dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conſervi.*

2 Hunc porro Apocalypſis locum attulerat ex ſententia adverſariorum inter ceteras ſolutiones hanc etiam adducentium, non compelli nos ut dicamus Sanctorum preces eas eſſe preces, quas ipſi Deo pro nobis fundant, aut quas ipſi commendatas, & veluti concreditas Deo porrigant precibus ſuis auctiores factas, Deoque gratiores: poſſunt enim pro ſe etiam aliquid poſcere Sancti. *Novimus quidem ex eodem libro Apocalypſis quædam interdum poſcere Sanctos* = atque huic quidem a Proteſtantibus propoſitæ ſolutioni fit ſatis n. 3 Capitis XI. Iterum autem locum hunc Trombellius recolit, nimirum Capite 27. ejuſdem Diſſertationis [*b*]: ſed veluti objectionem ab adverſariis propoſitam. Quid vero Kieslingius? Ita locum hunc allegat, veluti Trombellius eum inter probationes ſententiæ attuliſſet. [*c*] *Reliqua Apocalypſeos loca* [Et tamen locum unum affert Kieslingius] *non majoris ſunt roboris. Quæ enim Capite VI. 10. leguntur, huc redeunt: Animæ Martyrum eſſlagitant, ut vindictam de effuſo ſumat ſanguine, & ſe ad utramque & animæ, & corporis partem in æternum Deus reddat beatas & ſecuras. Exoptant expectatum illum diem, quo fideles, qui ſub vexillo Chriſti adhuc militant, ad Capitolium illud cæleſte recipientur.*

3 Sed quid eſt, quod ais Kieslingi, Cælitum animas a Deo petere, ut ſe *ad utramque & animæ, & corporis partem in æternum reddat beatas & ſecuras?* Omitto lepidam phraſim: *ſed ad utramque partem reddat beatas &c.* nam hæc, & ſimilia tibi facile indulgemus. Sed minime omittam everſionem Theologici dogmatis, quæ in tuis verbis ineſt. An putas dubitare poſſe Sanctos, ne æterna futura ſit eorum beatitudo?

[*a*] Pag. 94. (*b*) Pag. 178. (*c*) Pag. 222.

An dubitare poſsunt, ne, quoniam eorum animæ beatitudine iam ſunt potitæ, earum corpora beatitudine pariter ſint potitura? An neſcis dixiſſe hæc Apoſtolum Paulum? *Oportet enim corruptibile hoc induere immortalitatem*? Unde autem didiciſti verba hæc, *Uſquequo Domine non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra*, hanc habere ſignificationem = *Exoptant expectatum illum diem, quo fideles, qui ſub vexillo Chriſti adhuc militant, ad Capitolium illud cæleſte recipientur*? Explicationem tam amœnam, tam lepidam quis, niſi Kieslingius is ſit, exhibebit? An non alieniſſima a dignitate rei, de qua agitur, allegoria, qua utitur Cenſor noſter, Romani ſcilicet Capitolii, cui Regnum cæleſte comparat? An non remotiſſimam a ſenſu verborum Apocalypſis interpretationem affert? Sed hæc ille viderit. Et de Apocalypſis loco hactenus.

4 Num apte ſaltem afferet Origenis locum Kieslingius? Minime profecto. Hæc ex adverſariorum ſententia retulerat Trombellius. (*a*) *Monent itaque primo* [Proteſtantes] *haud recte a cura, quam, ſi vis, hominum gerunt Angeli, erui curam noſtri a mortuis ſanctis geri. Valde ſcilicet præſtant, multoque etiam plus ante Chriſti ortum, & Aſcenſionem in Cœlos, præſtabant Angeli homines, tam & ſi ſanctos vita functos. Temere ergo a precibus, quas Angeli fundunt, curaque, quam noſtri gerunt, eruere optamus, id quoque peragi a Sanctis. Vetat id ſane Origenes, dum libro ſecundo Commentariorum in Epiſtolam ad Romanos in ipſo fere initio*: „ *Si extra corpus* (inquit) *poſiti vel ſancti, qui cum Chriſto ſunt,* „ *agunt aliquid, & laborant pro nobis ad ſimilitudinem Angelorum, qui* „ *ſalutis noſtræ miniſteria procurant; vel rurſum peccatores etiam ipſi extra corpus poſiti agunt aliquid ſecundum propoſitum mentis ſuæ, Angelorum nihilominus ad ſimilitudinem ſiniſtrorum .... habeatur hoc quoque inter Dei occulta, neque chartulæ committenda myſteria.„ Atque locum hunc revera capite ſubſequenti, ideſt XI. illuſtrat Trombellius, vindicatque ab explicatione a Proteſtantibus illi adhibita [*b*]. Kieslingius tamen contradicendi œſtro percitus, nec quid agat, advertens, ad hunc modum differit: [*c*] *Quod nunc ſpectat ad Origenis locum, ad quem Ven. Abbas provocat, ille ita ſluit*: „ *Si extra corpus*, inquit, *poſiti* „ *vel Sancti, qui cum Chriſto ſunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis* „ *ad ſimilitudinem Angelorum, qui ſalutis noſtræ miniſteria procurant;* „ *vel rurſum peccatores etiam ipſi extra ſuum corpus poſiti agunt aliquid* „ *ſecundum propoſitum mentis ſuæ; Angelorum nihilominus ad ſimilitudi-* „ *nem ſiniſtrorum .... habeatur hoc quoque inter occulta Dei, neque* „ *chartulæ committenda myſteria.* „ *Antequam ipſum Origenis locum ag-*

gre-

(*a*) Cap. 10. n. 1. pag. 94. (*b*) *Origeni* [*qui hoc quidem in opere interpretem Ruffinum habuit*] *ſi forte noſtræ perſuaſioni adverſaretur, obiici poſſent Ambroſius, & Bernardus, quos iam produximus. Sed re vera non adverſatur, edocet quippe tantummodo ignotum eſſe, num Sancti mortui per ſe ipſi præſentes ſint iis, quos adjuvari per Angelos movimus &c.* Tromb. pag. 96. (*c*) Pag. 222. §. X.

greditur, moneo, ut legat Ven. Abbas, quæ Origenes de hoc Commentario ſentiat. „ *Hæc, inquit, de circumciſione, ea lege ſunt nobis dicta, ut* „ *ſi quis melius & rationabilius dixerit, illa magis, quam hæc noſtra, te-* „ *neantur.* „ *Planum eſt, quod Origenis aſſertum nihil aliud quam generalem ſanctorum curam & interceſſionem pro tota Eccleſia Chriſtiana probat, quam & nos concedimus. Fuit porro mera domeſtica perſuaſio, de qua privatos inter cancellos eſt diſputatum, ut fuſius adſtruxit B. noſter Cheminitius.* „ *Origenis igitur tempore (inquit) invocatio Sanctorum nondum fuit.* „

5 Kieslingi mi, de invocatione hic non agimus, cui quidem favere Origenem apto loco oſtendit Trombellius [a]. Interea plurimas tibi gratias agimus, quod velis hic tradere Origenem Sanctorum curam, & interceſſionem; nos porro cum nullum videamus locum, in quo eandem, quam tu aſſeris, interceſſionem particularibus perſonis demat, facile eruemus eandem interceſſionem ipſum ad particulares etiam perſonas extendere.

6 Cur porro tam multa aggeris, ut Origenis auctoritatem imminuas, moneaſque nonnulla Origeni ſuppoſita fuiſſe, *de quibus videat Abbas Trombellius*, inquis, *Oudinum*? Cur tam multa, ut Origenem *Platoniſmi*, aliarumque improbarum opinionum, præſertim vero Pythagoricæ metempſycoſis labe fœdatum aſſeras? ſic ut [ſi tibi credimus] *pigrorum anima in aſinos abeant, rapacium in lupos, doloſorum in vulpes, mulierum amore furentium in equos*: & Origenis damnationem crebro in Conciliis iteratam urges: quaſi Trombellius Origenis vindicias ſuſcepiſſet, aut hæc quæ objicis, diſſoluta non ſint a defenſoribus Origenis, tuaque dicta omnem Origeni demerent auctoritatem? Quoniam porro cogis, breviter ad hæc reſpondeo. Nonnulla Origeni ſuppoſita plane novi, item ut Paulo, atque Apoſtolis reliquis, & Prophetis. Sed de his non contendimus. Id de quo contendimus, hoc eſt, num ea quæ attulit ad aſſerenda Catholica dogmata Trombellius, Origenis ſint, an non. Porro nemo ea ſcripta, quæ Trombellius in rem ſuam allegavit, Origeni adimit: Oudino vero non egeo, quum jam dudum Eraſmus, nuper vero doctiſſimi Patres S. Mauri eo de argumento copioſe, eruditeque diſſeruerint.

7 Sed fac, ut libet, errantem, fac damnatum Origenem: nihil id rem tuam juvat, dum non oſtendis propterea damnatum, quod Cœlitum interceſſionem, eorumque invocationem admiſerit, quippe eam admiſiſſe Trombellius oſtendit. Immo ex ea ipſa Origenis damnatione plane aſſequor, Sanctorum invocationem, ideoque interceſſionem erroris expertem Origenis tempore fuiſſe judicatam. Cur enim dum Origenis ſcripta diligentiſſime expenderunt, atque ex iis errores excerpere non pauci Epiſcopi ſtuduerunt, hanc, quam tu tam vehementer reprehendis, opinionem omiſerunt? Minime errabis ſi dicas, propterea omiſiſſe, quia agnoverunt ritus hos, & affines alios erroris cujuſque expertes eſſe.

AD

(a) Diſſer. V.

AD EXERCITATIONEM X.

Quam tu inſcribis

De nimio Patrum æſtimio.

CAP. I.

1 AN non multum ſapit Kieslingius, dum poſtquam titulum capitis XII Trombellii deſcripſit, velut perſpicue falſus tam aperta, tam multa Patrum teſtimonia a ſe eludi non poſſe, alio confugit, ut ea ſcilicet deſpiciat, contemnatque? Tranſilit itaque ad XXI Trombellii caput, cujus hoc eſt argumentum [a], *Proponitur, refelliturque generalis quadam ſolutio, quam omnibus Patrum teſtimoniis adhibent. Minime erraſſe eos, quos allegavimus Patres, quos quidem ex tribus prioribus ſeculis proferre neceſſe non eſt, cum ii ſummam etiam habeant auctoritatem, qui poſt vixerunt, pietate, & eruditione clariſſimi.* Porro accuratiſſimus, & ſinceriſſimus cenſor noſter hæc de Trombellio refert (b): *Porro Patrum agit cauſam Capite XXI, ut demonſtret, eorum teſtimonia ad vindicandam Sanctorum interceſſionem eſſe valida. Pleraque, inquit, teſtimonia quæ hiſce in controverſiis allegari ſolent, ex Patrum orationibus, & homiliis deprompta ſunt. Contemnenda itaque.* Poſtrema hæc verba cum audis, nonne ea Trombellii dicta putas? Scito tamen hæc utique reperiri in Trombellio, ſed non ex ſua, verum ex adverſariorum ſententia, & id tamen omnino reticet cenſor noſter Lectori illudens, ut hac veluti extorta a Trombellio confeſſione glorietur.

2 Sed non in eo tantummodo Lectori illudit. Tria objectorum genera proponit Trombellius adverſus Patrum auctoritatem, quæ deinceps diſſolvit. Cenſor porro noſter poſtrema tantum tertii capitis verba delibat, & quaſi cuncta expoſuiſſet, ad enervandam Patrum auctoritatem *ſtrictis calamis* (ut ait ille) *animum appellit.*

3 Provocat porro Trombellium ad Chemnitium, & Dallæum, quorum poſtremum Calvino, ut norunt omnes, addictiſſimum non veretur homo Lutheranus *purioris Religionis defenſorem* appellare (c). Sed ille viderit. Sciat tamen Kieslingius noſter, non modo lectum fuiſſe a Trombellio, verum etiam diligentiſſime lectum totum librum illum, quem modeſto, ſed fallaci titulo *De uſu Patrum* Dallæus inſcripſit. Legit quoque, quantum inſtituto ſuo ſatis eſt, Chemnitium, nec propterea Patres eorumque teſtimonia deſpicere didicit, quin immo eos valde probabiles

[a] pag. 141. [b] pag. 224. [c] pag. 225. §. II.

les ſententiarum, & dogmatum Eccleſiæ teſtes, atque aſſertores agnoſcit. Erras vero Kieslingi mi, cum hæc ais: *Mirum ſane eſt, Romanenſes, non Scripturam Sacram, ſed Patres, & quidem non omnes, ſed maxime ætate, & principiis diverſos rerum ſuarum conſtituere judices, quum maxima de hoc argumento inter ſe ſe alant diſſidia, & nullum certum, evictumque præſtent conſenſum. Ille demum rerum controverſarum eſt ſummus judex, qui ſuperiorem, ad quem provocare licet, non admittit, qui falli eſt neſcius, in cujus judicio ſimpliciter eſt acquieſcendum, qui denique litigantes adeo de veritate, & falſitate ſententiæ convincere poteſt, ut hanc prorſus abiiciendam, illam vero amplectendam ſolide adigere poſſit. Videant, num hæc Patrum ſententiis attribui poſſint.*

4 Sine porro te paucis compellem Kieslingi. Quis e Catholicis eandem fatetur eſſe Patrum præſtantiam, atque excellentiam? Quis non Auguſtinum Lanfranco: quis non Theophani Cerameo Athanaſium præferat, tametſi hos omnes in Patrum numero collocemus? Diſſidia, quibus interdum eorum animi in diverſas ſententias diſiuncti ſunt, & novimus, & vel ex iis didicimus, quid nobis utique ſentiendum ſit: accedente nimirum uni parti Eccleſiæ definitione, vel conſenſu, *ea deſerimus, quæ Eccleſia non accipit, pro qua illi ſanguinem fuderunt* [a]: vel eas quæſtiones in illarum numero ponimus, quæ ob earum obſcuritatem in utramque partem ſuſtineri poſſint.

5 Quod vero ais, *Romanenſes, non Scripturam Sacram, ſed Patres, ſed maxime ætate, & principiis diverſos rerum ſuarum conſtituere Judices:* hoc habet reſponſum. Vox iſta *Judex*, in ea præſertim, de qua agimus, controverſia, duas habet ſignificationes: harum prima denotat eum, cui ſuprema ineſt poteſtas, ut litem dirimat, unique parti cauſam adjudicet. Altera id quod conſulere debet Judex, ut litem dirimat, & cauſam uni parti adjudicet. Prima ſignificatione Prætor tantummodo *Judex* dici debet, aut alius quiſpiam, qui munus prætoris agat. Secunda ſignificatione lex *judex* dici poteſt, nam hanc conſulere debet Prætor, ut recte judicet: Lex quippe ſtatuit quid in hoc illove eventu ſtatuere debet Prætor, qui ſententiam ſuam ferre debet. Lex igitur in ea ſignificatione *Judex* dicitur, quia Prætori præſcribit, quem admodum judicare debeat. Prætor vero ideo *Judex* dicitur, quia ipſe ſententiam fert, judicatque, cuinam ex partibus adjudicanda ſit cauſa. Lex propterea a multis dicitur *Judex mortuus, vivens Judex* Prætor.

6 His conſtitutis, ajo Catholicos Judicem in prima ſignificatione acceptum tantummodo facere Eccleſiam, ideſt Paſtores a Deo conſtitutos, Pontificem ſcilicet Romanum, & poſt eum Epiſcopos reliquos. In ſecunda ſignificatione ajo Judicem undique indubitatum, certiſſimumque eſſe Sacram Scripturam; nam cum hanc ſcripſerint homines a Deo ipſo inſtructi, error in eam irrepere nullus potuit. Judices quoque Patres ſunt; neque enim (dicant quod libet Proteſtantes) cuncta

[a] Auguſt. lib. 2. contra Crefcon. cap. 2.

cta, quæ Deus revelavit, habemus expressa in Scripturis. Quis enim, ut exemplis notissimis utar, ex Scripturis assequitur a Deipara perpetuam Virginitatem fuisse servatam? Baptismum aquæ infusione collatum validum esse; tam etsi vox ista Baptismus immersionem potius, quam infusionem denotet, aliaque etiam, quæ Protestantes ipsi recipiunt, nec tamen in Scriptura tradita invenimus?

7 Patres itaque ea significatione judices in rebus Theologicis etiam sunt, quia ea quæ in Scripturis expressa non sunt, & tamen a Deo tradita sunt, novere ipsi, sive ex priorum Patrum scriptis, sive voce tenus sibi tradita, & veluti deposita. Hinc Ecclesia cum aliquid difficile occurrerit, non Scripturam tantum, sed & Patres consulit; Scripturam quidem, quia ea est Verbum Dei immediate ab eo traditum; Patres vero, quia ipsi sunt custodes, & testes eorum, quæ vel præcepta sunt nobis, ut ea observemus, vel tradita, ut credamus. At quoniam ii quoque homines sunt, ut agnoscamus, num ex propria sententia loquantur, an vero ut testes custodesque sacri depositi iis traditi, quidam Canones sunt statuti, ex quibus præcipui hi sunt: *Quod clare, non ambigue, obscureve loquantur = Quod non obiter, & veluti perfunctorie, & aliud agentes, sed consulto & studiose de ea re dicant = Quod plurimi, iique doctiores, in unam sententiam conveniant, nec illis se opposuerint alii = Quod eorum sententia approbata deinceps sit ab Ecclesia, quæ quidem approbatio multis argumentis innotescere potest, sed præsertim ex eo quod ea Patrum dicta alleget ad dogma aliquod testificandum.*

8 Porro rectissime diversorum temporum Patrum testimonia perquirimus: cum enim Ecclesiæ fides variari non possit, nisi Patres diversorum temporum in eandem sententiam consenserint, facile assequeris, nihil certi ab iis esse statutum, sed eam quæstionem ex earum numero esse, quæ in utramque partem agitari possunt.

9 Jam vero respondeo objectionibus tuis Kieslingi. [a] Ais *Patres negasse absolute standum esse suis ipsorum placitis in rebus quæ ad veritatem religionis vel defendendam, vel stabiliendam faciunt.* Affers autem in sententiæ tuæ probationem hæc Augustini dicta: [b] „ *Ego, fateor* „ *caritati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellan-* „ *tur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctо-* „ *rum scribendo aliquid errasse firmissime credam. At si aliquid in eis of-* „ *fendero literis, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud, quam* „ *vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod di-* „ *ctum est, vel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autem ita* „ *lego, quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, ut non ideo verum* „ *putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi, vel per illos auctores* „ *Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persua-* „ *dere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo, prorsus, in-* „ *quam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum,* „ *vel*

(a) pag. 225. §. III. (b) pag. 226.

„ *vel Apoſtolorum de quorum ſcriptis, quod omni errore careant, dubita-*
„ *re nefarium eſt.*„ *Innumera fere* (ſubdis) *ibidem deprehendet Patrum teſtimonia, quibus ſuis ſcriptis & commentationibus auctoritatem canonicam ipſi derogant. Quod ſi igitur vel ſexcenta attulerit Patrum nonnullorum, eorum potiſſimum, qui Platoniſmi fuerunt rei, teſtimonia, veritatem noſtram non infirmabit.*

10 Huic tuo argumento, Kieslingi, ſine me Scholaſticorum more preſſe & præciſe reſpondere. Nego itaque aſſumptum, ſi de Patribus conſentientibus loqueris: admittere vero facile poſſumus, ſi de aliquo, aut de aliquibus ſingillatim loquimur. Quod Auguſtinus de Scriptoribus Canonicis ait, veriſſimum eſt, & a Catholicis pariter traditum: dicimus enim ſolos Canonicos Scriptores ſingillatim etiam ſumptos errare non poſſe, quia *inſpirati* loquebantur. Contra, Patres ſingillatim ſumptos errare non poſſe, nemo ait; neque enim dicere de iis certo poſſumus, quod de Canonicis ſcriptoribus dicimus: non eos loqui ex ſua ſententia, ſed ea loqui quæ Deus eis inſpiravit. Ut autem dignoſcamus, non ex ſententia propria eos loqui, ſed veluti cuſtodes & teſtes veritatis traditæ, ii ſtatuti ſunt canones, quorum præcipuos nuper expoſui, neque hic repetere juvat.

11 Sane ille idem Auguſtinus, quem mihi objicis, adverſus Pelagianos diſputans, creberrime Patres allegat, objectos vero non deſpicit, quod tu facis, ſed explicat, illuſtratque, ea ratione oſtendens & quanto in honore habendi ſint Patres, & quantum virium habeat ad retundendos errores, & Eccleſiæ dogmata firmanda eorum auctoritas.

12 His poſitis, aſſequeris, quid ſit reſpondendum ad ea quæ de Patribus, Apoſtolis, & reliquis Canonicis Scriptoribus minime coæquandis ais. Nemo ex Catholicis ſecus docet: neque quiſquam e noſtris Patres coæquat Apoſtolis, aut Prophetis: neque vero neceſſe eſt, ut multa verba eo ſuper argumento effundas. Si aliud Kieslingi non cupis, jam manus damus. At quum ita diſputas (*a*): *Conſenſum Patrum in hoc, quod tractamus, argumento, nullis plane fidiculis extorquebit, quod ſupra edocuimus. Neque enim Origenes, neque Auguſtinus, neque Gregorii & Nazianzenus, & Nyſſenus ſibimetipſis conſtant, ſed in hoc capite ambigunt, quod Dallæus, quem ſæpius excitavimus, planum fecit.* Quum rurſus hæc effutis [*b*]: *Patrum vero placita Proteo videbis mutabiliora. Retractarunt ſemel, atque iterum ſuam ſententiam, quod nuper admodum ex ſolo Auguſtino in argumento de interceſſione Sanctorum probavimus*, me plane diſſentientem habes. Dic mihi Kieslingi. Cur tibi tam ſæpe oſcitanti (quid, non & mendaci?) vis credi, & ad Dallæum provocas in accuſatione tam gravi? Verba ipſa Patrum adducenda erant, iiſque invicem collatis, oſtendendum, eos eſſe inconſtantes: donec enim id dixeris, nec probaveris, donec ad Dallæum

[*a*] pag. 226. §. IV. [*b*] pag. 227. §. V.

Digitized by Google

nos amandas, quem novimus modeſto titulo animum contexiſſe Patribus infenſiſſimum, tua dicta contemnemus Kieslingi: teque amarulentum, & Patribus invidum dicere non verebimur. Sed tuis placent iſta Kieslingi [a]: *Patrum placita Proteo videbis mutabiliora: retractarunt ſemel atque iterum ſuam ſententiam, quod nuper admodum ex ſolo Auguſtino in argumento de interceſſione Sanctorum probavimus.* In quibus quidem verbis profana phraſis redarguenda eſt: Quis enim in argumento tam gravi Græcorum fabellas inducas ferat? Sed redarguenda eſt quoque præter profanam illam phraſim: *Patrum placita Proteo videbis mutabiliora*, iſtorum dictorum impudentia & falſitas: *Retractarunt ſemel atque iterum ſuam ſententiam, quod nuper admodum ex ſolo Auguſtino in argumento de interceſſione Sanctorum probavimus.* Auguſtinum nondum in argumento allegaſti, & tamen audes dicere: *nuper admodum ex ſolo Auguſtino in argumento de interceſſione Sanctorum te offendiſſe, retractaſſe ſemel atque iterum ſententiam ſuam.* Tibi manifeſto falſario non credimus, quum Scriptorum verba allegas; falſo enim allegas. An tibi nullum Auguſtini locum alleganti, & tamen te attuliſſe teſtanti, ut accuſationem graviſſimam veriſimilem reddas, credemus? Sane ſemiſomnem hæc te ſcripſiſſe declaras, dum *ſexcenta Patrum teſtimonia, nonnullorum* Patrum teſtimonia eſſe ais. *Quod ſi vel ſexcenta attulerit Patrum nonnullorum (teſtimonia).* An *ſexcenti*, te judice, nonnulli eſſe poſſunt? O vere mirabilem Kieslingii doctrinam!

AD

[a] Pag. 227. §. V.

AD EXERCITATIONEM XI.

In qua jactitat Kieslingius, se

Nonnulla Patrum teſtimonia globulis involuta diſſolvere.

CAP. I.

QUod ſuperiori exercitatione promiſerat Kieslingius, his verbis elegantibus ſane, & Kieslingio digniſſimis: [a] *Conſenſum Patrum in hoc quod tractamus argumento, nullis plane fidiculis extorquebit* (Trombellius) *quod ſupra edocuimus*, hic tandem aggreditur, impetitque XII Trombellii caput, cujus hic eſt titulus: (b) *Patres, aliaque Eccleſiaſtica monumenta allegamus, a vetuſtioribus incipientes, & poſt deſumptum ex quadam D. Ambroſii, ſeu, ſi vis, alterius, quiſquis eſt, Ambroſii nomine vulgata Epiſtola teſtimonium, illudque expenſum, Acta S. Ignatii, & Polycarpi, Irenæum quoque producimus, & ab adverſariorum cavillis vindicamus.* Iis, quæ Trombellius ex Epiſtola olim 53 inter Ambroſianas, nunc in Appendicem rejecta allegarat, fidem demit Kieslingius [c], *quod ſtilus narrationis fraudem aperte prodit, & alium quam Ambroſium auctorem ſuadet, quod profitetur Cel. Du-Pinius.* = Tum hæc adjungit = *Si ergo credidit Philippus intercedere Sanctos, quorum reliquias collegerat, fides tamen purioris Eccleſiæ propterea non periclitatur, aut labaſcit. Multa enim ab ineunte Eccleſia Chriſtiana falſa a variis horum ſeculorum Patribus, aut viris credulis ſunt recepta; exinde tamen non ſequitur fuiſſe illa ab omnibus horum ſeculorum Doctoribus, & communi Eccleſiæ conſenſu approbata.*

2 Hæc porro ita diſſolvo. Tu ſcis Kieslingi non diſſimulaſſe Trombellium dubia hac ſuper Epiſtola a viris doctis mota; allegaſſe vero veluti ſibi adverſos Tillemontium, & Patres S. Mauri, a quibus, niſi plane fallimur, deſumpſit Du-Pinius ea, quæ hac ſuper quæſtione tradidit: ceterum quædam etiam indicaſſe argumenta, quæ eidem Epiſtolæ auctoritatem aliquam adhuc conciliarent. Adjunge, ſi vis, ea quæ Honoratus a Sancta Maria Vir ſane præclarus attulit Tomo I Diſſert. III art. IX [d]. Quæ vero ad improbandam Philippi ſententiam adducis, probabuntur a paucis. Scilicet Trombellius plurimos attulit, eoſque valde probabiles Scriptores interceſſionis Sanctorum fautores; tu vero ne unum quidem affers, qui eam improbet.

(a) pag. 226. §. IV. [b] pag. 99. [c] pag. 228. §. I.
(d) pag. 305. editio. Venetæ latinitate donatæ. 4o. *Non deſunt præterea &c.*

3 Attulerat Trombellius in eandem ſententiam Acta S. Ignatii & Polycarpi ad hunc modum: [a] *Ex Actis S. Ignatii non abſimilis perſuaſio videtur erui: nimirum num.* 8. (*apud Ruinart, & Uſſerium.*) *indicatur apparens per quietem Ignatius nuper Martyrio functus, ſuper orans nobis* (*inquit Scriptor eorum Actorum*). *Cura quoque quam fideles Eccleſiæ Smyrnenſis habuerunt maximam, ut B. Polycarpi ſacro cadaveri communicarent, fiduciam indicat conceptam de precibus ejuſdem Sancti, cui officium hoc reddere voluerunt Fideles. Neque vos id terreat, quod nonnulli adverſus hæc Acta reponunt, obſcura ſcilicet eſſe, & parum apta ad promerendam fidem. Ut demus non omnino eſſe perſpicua; nemo tamen, ut puto, negabit eam, de qua agimus, interceſſionem haud obſcure indicari. Ea quæ de Communione nos inter, & Sanctos mortuos edidimus, ad quam reſpicere videntur voces illæ* Sacro cadaveri communicantes, *multum fortaſſe proderunt ad oſtendendam certa perſuaſione tum detentos fideles, qua putarent a Sanctis mortuis nos juvari.*

4 Quid ad hæc Kieslingius? (b) *De Ignatii interceſſione nihil eſt quod afferam. Fides enim Ruinarti Actis Sanctorum habenda eſt levis. Lepida ſatis ratio: Sanctus Ignatius credulo cuidam Viro per ſomnium apparuit, ergo adorandus eſt. Quod ſi tibi appareret Moſes orans pro populo Iſraelitico, ergo ne Moſes eſſet tamquam Mediator adorandus?* „ *Non* „ *ſatis eſt, apparuiſſe Ignatium Martyrio functum per quietem orantem pro* „ *nobis.* „ *Sed quod primitivi Chriſtiani Ignatium adorarint, & ejus interceſſionem crediderint, probandum erat. Multa fuiſſe poſt Ignatii Martyrium efficta, & excogitata, ex Actis Sanctorum conſtat. Quod & de Polycarpo dicendum, de quo ſuſius actum eſt.*

5 Sed pace tua dixerim Keislingi, erras plane, dum errantem fingis Trombellium. Martyrum Acta a Ruinarto collecta, & evulgata, a Viris doctis ut probabilia excipiuntur, & ſi pauciſſimas demas dubitationes, quæ circa leves aliquas circumſtantias deinceps obortæ ſunt, *ſincera* ab omnibus agnoſcuntur. In tanta Doctorum Virorum conſenſione levem eis fidem adhibes? Sed hac de re poſtea.

6 *Lepida ſatis ratio* agendi non ea eſt quam ſequitur Trombellius, ſed ſordato viro digna. Nuper retuli verba Trombellii, qui in argumento propoſito conſiſtens ea attulit ad aſſerendam Sanctorum interceſſionem. Recte porro ea attulit. Cur enim *ſuper orans* Chriſtianis illis apparuit, niſi ut oſtenderet, ſe precibus ſuis eos apud Deum adjuvare? Quamvis autem *per quietem* viſio ea fuerit, apte tamen adducitur; multa enim in ſomno Deus revelat. Sæpe Angeli, & Sancti in ſomno apparuerunt, hominesque edocuerunt. Obtinuit autem fidem viſio illa, ſic, ut in ſacra hiſtoria merito referretur, id expoſcente Diſcipulorum eorum fallere neſcientium probitate, & communi per ea quoque tempora de Sanctorum interceſſione ſententia.

7 Sed

---

a) pag. 101. §. III, & IV. (b) pag. 118. §. II.

7 Sed cur immutas verba Trombellii? Cur illi eas conſecutiones applicas, quas ne ſomnians quidem ille eruiſſet? Ut ſcilicet exclamare merito poſſis: *Lepida ſatis ratio*. Sed ad hunc modum Kieslingi mi non exclamaſſes, niſi manifeſti falſarii more illius argumentationes pervertiſſes. Nihil plane in tota hac diſſertatione ſane non brevi occurrit de cultu, de adoratione, de tributo Sanctis Mediatoris titulo aut excellentia, ſed tantum de interceſſione; & id eſt de quo nunc diſſerimus. Cur ergo ad conciliandam Trombellio invidiam, utque nomini illius detrahas, ſimulas voluiſſe illum adorationem, & Sanctorum mediationem ex iis dictis eruere? Interceſſionem autem (quod jam dixi) facile eruo. Statuta enim veritate viſionis illius, quam certe valde veriſimilem agnoverunt Fideles illi a quibus deſcripta eſt, omnino eruitur, ideo ſuper eoſdem Fideles oraſſe [*ſuper oraus nobis*] ut preces ſuas apud Deum pro illis interponeret. Quid autem id eſt, niſi id ipſum, quod *interceſſionem* appellamus?

8 Quantam porro ſapientiam continet Kieslingi conſilium illud tuum, quo Trombellii argumentationem ſuper Sanctorum Acta conſtructam amputare putas, dum hæc ais! [*a*] *Multa fuiſſe poſt Ignatii Martyrium efficta, & excogitata, ex Actis Sanctorum conſtat. Quod & de Polycarpo dicendum, de quo ſupra fuſius actum eſt.* Sed ut aliquid virium tua evaſio haberet Kieslingi, validam aliquam probationem, aut ſaltem conjecturam dictis tuis adjungere debuiſſes. Quam porro probationem, quam conjecturam adjungis? Nullam plane. Tibi itaque non credimus Kieslingi, & merito quidem tibi non credimus. Ea enim Acta allegavimus, quæ non Metaphraſtes aliquis nobis præbuit, ſed quæ præbuit Uſſerius a Catholicis quidem alienus, doctus tamen, & veterum Scriptorum rigidus cenſor: in illius quippe editione hæc ipſa legimus: (*b*) *bi autem rurſus ſuperorantem nobis videbant beatum Ignatium*, quæque græca & minime interpolata nobis dedit ex Codice Bibliothecæ Colbertinæ Ruinart, quippe numero VI hæc legimus: (*c*) *Alii rurſus nobis orantem Beatum Ignatium cernebamus*.

9 Cur etiam rejicis, quæ ex Polycarpi Actis Trombellius adduxit? An non ea ſunt, quæ tanti fecit Euſebius, ut Epiſtolam Smyrnenſis Eccleſiæ Acta ea continentem hiſtoriæ ſuæ inſereret? [*d*] An non ea, quæ Uſſerius, & Cotelerius emendatiſſime evulgare, & annotationibus illuſtrare ornareque ſtuduerunt? Et tu temnis? Sed ſi hic temnis, cur adducis Exercitatione IV, eaque adducis hac commendatione præpoſita: (*e*) *Antiquiora hoc ipſo, quod ex Apoſtolicis Patribus afferemus, de doctrina Chriſtiana, ejuſque puritate, documento, non habemus teſtimonia. Relatum legimus in his documentis de fide Eccleſiæ Smyrnenſis, quam in Epiſtola de Martyrio Sancti Polycarpi eſt pro-*

[*a*] pag. 129. [*b*] n. VIII. pag. 10. Editio. Ven. [*c*] pag. 19.
(*d*) lib. V. cap. 15. [*e*] pag. 186. §. II.

profeſſa. Otia fere ſunt inter omnes, hunc pereximium Eccleſiæ Smyrnenſis Præſulem, ejuſque Martyrium per S. Joannem fuiſſe prædictum his verbis: Novi tua facta, afflictionem &c.

10 Cur tum in iis commendandis multam impendis operam, nec te pudet ex iis deſumere teſtimonium *ad Lutheranam fidem* vindicandam (*a*)? Scis quid hac ratione conſequeris? ut eum te eſſe oſtendas, qui Veterum ſcripta probas, quum tibi favere ea putas, improbas deſpiciſque ea ipſa, quum agnoſcis tibi eſſe contraria. An aptam reſponſionem eam eſſe putas, quam Exercitatione ſubſequenti affers? (*b*) *Singula enim enodare fruſtranei eſſet laboris, præſertim ea quæ ex Actis Martyrum, & Sanctorum apponit, quorum apud nos auctoritas eſt nulla.* Sed dic Kieslingi: cur nulla hic eſt? An nulla tum erat, quum Actis S. Fructuoſi a Baronio deſcriptis cauſam tuam juvari cenſuiſti? [*c*] Kieslingi mi valde commodum eſt quidem conſilium hoc tuum, ſed non item utile tibi, famæque tuæ.

11 At cur ea, quæ attulit Trombellius, Martyrum Acta Auguſtinus & approbavit, & ex parte deſcripſit? An non partem eorum, quæ idem Trombellius adduxit, ex Euſebio deſumpſit vetuſtiſſimo ſane, nec tibi ſuſpecto auctore? Ea porro Martyrum Acta, quæ Trombellius adduxit (*d*), probatiſſima profecto ſunt, eaque ſinceriſſima agnovere Papebrochius rigidiſſimus, ſi quis alius, hujuſmodi Operum cenſor, & Ruinart. Ceterum Kieslingi, non eam cunctis Proteſtantibus, immo nec Lutheranis omnibus ineſſe ſententiam, quæ tibi ineſt, ut ſcilicet Martyrum Acta contemnant, Uſſerii, & Sagittarii ſtudium oſtendit. Horum ſcilicet prior Ignatii & Polycarpi Acta evulgavit, & annotationibus [quod jam dixi] illuſtravit. Sagittarius vero plurima ex Martyrum Actis ad erudiendum Lectorem decerpit.

12 Sed quoniam Veterum Patrum loca non contemnit Kieslingius, verum in iis diſſolvendis operam ſe impendere velle teſtatur, ita tamen ut *extantiora* ſeligat, (*e*) (quo quidem vocabulo, quid deſignet ille, plane non aſſequor) : nos ad rem veniamus, Patrumque loca, quæ Kieslingius expendit, nos quoque expendamus. Sinat vero Lector hic me prorſus præterire quæ adverſus Irenæi locum a me allegatum Kieslingius diſputat, non quo ea deſpiciam, aut omittenda ducam, ſed quod partes has ſibi aſſumpſit Trombellius in eo libro, quem *de Maria excellentia ac cultu* inſcribet.

AD

(*a*) *Hæc Smyrnenſis Eccleſia Confeſſio ad noſtram fidem Lutheranam proxime accedit*: pag. 188. (*b*) pag. 233. [*c*] pag. 193. [*d*] pag. 109. (*e*) *Melius operam meam collocavero, ſi extantiora explanavero loca.* Exercit. XII. pag. 233.

AD EXERCITATIONEM XII.

Quam Cenſor noſter ad hunc modum inſcribit:

Vindiciæ Patrum continuantur. [a]

CAP. I.

1 QUam candidus, quam præclarus Cenſor Kieslingi es! Non ſatis tibi erat Martyrum Scillitanorum Acta prætermittere quaſi minus apta ad eorum temporum ſententiam teſtificandam, tam etſi probatiſſima ſint [b], ut indubitatum, eumque præclariſſimum Origenis locum etiam prætermittas, tametſi Origenes in eorum numero ſit, quos te in pretio interdum habere ais: quippe tertio Eccleſiæ ſeculo floruit. Scilicet Trombellius n. II. Capitis XIII. quatuor Origenis locos attulerat: quorum prior ex *exhortatione ad Martyrium* deſumptus eſt: duo ex homiliis VI, & XI in *Numeros*; quartus denique ex homilia XVI in Joſue. Paucis ab his te expedire putas, hæc tantum monens [c]: *Affert Vener. Abbas quædam Origenis placita, de quibus adhuc controvertitur, ſint ne Origenis, an potius Ruſini, qui ſuas obſervationes non nunquam cum ipſius Adamantii verbis permiſcuit. Sufficere poſſunt quæ ſupra dixi. Melius operam meam collocavero, ſi extantiora explanavero loca.* Sed falſa narras Kieslingi mi, falſa, inquam, narras, nam procul dubio *exhortatio ad Martyrium* Origenis tota eſt; nec in eam manum Rufinus miſit. Pulcre de la Ruë, cujus editionem, ut omnis ambiguitas tolleretur, in margine annotavit Trombellius paginam ipſam indicans, ex quæ verba ex eo allegata deſumpſerat, pulcre, inquam, P. de la Ruë (d) *Nulla prorſus eſt inter eruditos controverſia de ſinceritate hujus aurei Opuſculi, quod apud veteres paſſim celebratur.* Tamen candidiſſimus, idemque eruditiſſimus noſter Cenſor Lipſienſibus ſuis narrat quædam a Trombellio placita afferri, de quibus controvertitur, ſint ne Origenis, an potius Rufini, & quaſi plane obiectum locum diluiſſet, *ſufficere poſſunt*, inquit, *quæ ſupra dixi. Melius operam meam collocavero, ſi extantiora explanavero loca.* Sed ſi *extans* (ut tuo verbo utar) locus hic non dicetur, quiſnam obſecro dicetur *extans*? Inepta porro etiam eſt ea ſolutio, ſi reliquis tribus Origenis locis applicetur: neque enim credibile ſit, tribus alterius Scriptoris locis verba ſua, ſententiaſque, eas ſaltem, quæ ſenſum prioris Scriptoris immutent, Ru-

---

[a] pag. 133. [b] Ruinart. pag. 75. Edition. Veron. [c] pag. 133. (d) pag. 273. Tom. I.

Rufinum permiſ cuiſſe : & ſi permiſcuit, non is demum Rufinus eſt, ut illius ſententiæ contemni prorſus debeant : vetuſtus eſt quippe & Catholicus, atque adeo *Religioſus* ſcriptor. (*a*)

2 Sed cur omittis Kieslingi, quæ de Potamiena retulerat Trombellius ? (*b*) An Euſebium minus probatum hiſtoricum in iis, quæ Chriſti divinitatem minime attingunt, eſſe putas, quando quidem nemo eſt, qui in ſummo pretio eum non habeat? ſervavit quippe trium priorum ſeculorum hiſtoriam, quam ex probatis monumentis collegit, eaque de cauſa ab omnibus allegatur.

3 Sed tandem Cyprianum allegas, quem Capite XIII Trombellius adduxerat. At audite, quo modo alleget. (*c*) *Parvi pendimus quod nobis de Cæcilii Cypriani conſenſu in hoc, de cultu Sanctorum religioſo, argumento obiicitur, quum hæc Sanctorum veneratio inde exculpi non poſſit. Agit Cyprianus de Mortalitate, atque inter alia quæ nos expectant gaudia ſempiterna, hæc aſſerit :* „ *Magnus illic nos carorum numerus expectat,* „ *parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copioſa turba deſiderat,* „ *jam de ſua immortalitate* [*incolumitate*] *ſecura, & adhuc de noſtra* „ *ſalute ſolicita. Ad horum conſpectum, & complexum venire, quanta &* „ *illis, & nobis in commune lætitia.* „

4 Sed tu hunc Cypriani locum deſpice, ut libet. Aptiſſimus locus ille eſt ad id oſtendendum, quod eo oſtendi ait Trombellius. *De religioſo cultu* hic non agitur, non *de veneratione*, ſed de *interceſſione Sanctorum*. Recole Trombellii verba, & plane videbis te plurimum falli.

5 Sed aliud Kieslingii conſilium audiamus. Agnoſcens ſcilicet priori hac explicatione eludi non poſſe Cypriani verba, cum, ut diximus, non *de cultu* Sanctis adhibito, ſed de eorum *interceſſione* hic agatur, hanc ipſam interceſſionem hoc in loco tradi negat. En Doctoris noſtri egregia verba : (*d*) *Niſi prorſus iniqui rerum æſtimatores eſſe velimus, Theonino plane dente hæc Cypriani effata a nonnullis arrodi nobis erit fatendum. Non enim dixit Cyprianus, numerum Sanctorum, quos non appellavit, pro nobis intercedere, & ſuæ deprecatione præmia nobis comparare exoptata ; ſed noſtros amicos, quorum commercio, & conſuetudine uſi ſumus, nos videndi, & amplexandi anxio flagrare deſiderio. Omnis, ſi erraverit Cyprianus, erroris ſumma huc redit, quod crediderit noſtros beate defunctos curam de noſtra conditione gerere, & de ſalute noſtra, ne ejus jactaram patiamur, eſſe ſollicitos. Quod igitur de omnibus in univerſum erat dicendum, de individuis pronunciavit, & nimio indulſit amori, quo non raro nos moribundi complectuntur, gratum in nos declarant animum, & ſe fauſta, & ſalutaria quævis a Deo expetituros eſſe affirmant. Quod argumentum de cura beatorum pro vivis poſtea nobis erit diluendum. Hæc fere ſunt Patrum primorum ſeculorum documenta, quibus Romanenſes ſuam de cultu ſanctorum religioſo ſententiam tueri audent.*

(*a*) *Can. Geląſ.* (*b*) Cap. XIII. n. VI. pag. 105.
(*c*) Exercit. XII. pag. 233. §. I. (*d*) Exercit. XII. pag. 234. §. II.

Digitized by Google

dent. Sed, ut jam monui, ita sunt comparata, ut iis difficulter prabeant subterfugium. Insuper non borum, sed totius Ecclesiæ consensus erit demonstrandus. Merito in defendenda primitivæ Ecclesiæ fide ita procedimus, ut semper quæramus, non modo, quid hic vel ille Pater, sed quid ejusdem temporis Ecclesia de fide senserit. Quam in disjudicandis, & expiscandis Patrum sententiis limam nobis subministrat Cel. Dallæus, his quidem verbis: „ *Præterquam quod Patrum in his assertionibus fides non raro* „ *titubat; si vel hujus, qui de communi Ecclesiæ sententia testabitur,* „ *certa & indubitabilis auctoritas fuerit, illud tamen ipsum inquirendum* „ *supererit, quanam fuerit ea Ecclesia, quam dicit: num universalis,* „ *an particularis tantum, num totius orbis, an urbis unius, provinciæ,* „ *regionisve.* „ *Si igitur vel maxime hoc in articulo sinistre sensissent Origenes, & Cyprianus, illorum tamen sententiam nemo pro totius Ecclesiæ fide jure interpretabitur.*

6 Atque ad hæc quidem ista sit responsio. Cur a Catholicis, ideoque a Trombellio, *Theonino plane dente* dicis hæc Cypriani effata *arrodi*? An id dicis, ut Horatii versiculum te in memoria habere significes? Sed consultius feciſſes Kieslingi, si non addidiſſes vocem *plane*, quæ utique redundat, nec puram finit esse locutionem hanc tuam. Sed ad Theologica revertamur. Hæc Cypriani verba Trombellius attulit, ut id ostenderet, quod ostendendum sibi esse putavit, scilicet de nobis esse sollicitos eos consanguineos nostros, qui cælesti beatitudine potirentur; de his enim, non de aliis quibuslibet, quod tu fingis, apertissime loquitur Cyprianus. Quoniam vero sollicitudinem suam prodere, aut id obtinere quod cupiunt [ut nempe conspectu nostro fruantur] non alia ratione possunt, nisi precibus suis ad eum finem apud Deum interpositis, hinc aptum duxit locum hunc ad preces has stabiliendas Trombellius. Sed quoniam perspexerat dubitari ab aliquibus posse, num plane id ostenderet locus ille, propterea duos alios ejusdem Cypriani locos adjunxit, quibus addidit auctoritatem Episcopi Oxonienſis viri a Catholica Communione alieni quidem, sed tamen docti. Quæ quidem quoniam Kieslingius noster apud cordatum Lectorem non modicam vim habere cognovit, alio confugit. Docet primo, fortasse erraſſe Cyprianum, dum credidit beatos nostri esse sollicitos (a). Docet secundo, ad moribundos referri posse eam sollicitudinem, cujus meminit Cyprianus. Docet tertio, argumentum hoc alibi a se esse dissolvendum. Docet quarto, unum

(a) *Omnis, si erraverit, Cyprianus, erroris summa hæc redit, quod credidit, nostros beatæ defunctos curam de nostra conditione gerere, & de salute nostra, ne ejus jacturam patiamur, esse sollicitos. Quod igitur de omnibus in universum erat dicendum, de individuis pronunciavit, & nimio indulsit amori, quo non raro nos moribundi complectuntur, gratum in nos declarant animum, & de se fausta, & salutaria quævis a Deo expetituros esse affirmant. Quod argumentum de cura beatorum provivit postea nobis erit diluendum.* Exercit. XII. pag. 234. §. II.

Cyprianum non ſufficere ad oſtendendam Eccleſiæ ſententiam, quæ unice attenditur. [a]

7 Quis tamen errorem in Cypriano hæc tradente ſuſpicetur, cum non ſemel veluti perfunctorie, ſed bis rem eandem inculcet, nec tamen quiſquam ea de re Cyprianum redarguerit, ſed potius reliqui etiam Patres id ipſum tradant?

8 Cur vero Cypriani verba ita explicas, quaſi non aliud exhibeant, niſi omnium morti proximorum deſiderium, cum apertiſſime Cyprianus de mortuis cæleſti beatitudine jam potitis loquatur? Recole verba ipſa. *Si quis prior &c.* = *Cum incipiet in vobis Virginitas honorari*, [ſeu, ut legunt alii codices *coronari*.] Tibi interea gratulor, *Kieslingi mi*, quod multo acutior Magiſtro tuo Kemnitio ſis, illo, inquam, *Kemnitio*, ad quem deinceps Lectorem amandas, ne plus illo ſapere videaris [b]: ubi enim ille manifeſto fatetur Sanctorum interceſſionem hic tradi a Cypriano, tu illo multo ingenioſior Cypriani dicta explicatione tua eludere te poſſe ſperas? Sane in *Kemnitii* examine, ad quod tam ſæpe Trombellium amandas, hæc lego: [c] „ Nec multo vero poſt circa annum 250 „ Cyprianus apud latinos alium, & novum gradum addidit *Sanctorum* „ *interceſſione*. Quia enim viventes mutuo pro ſe orant, & in hac vita „ Scripturæ exemplo alter alterius orationibus ſe recte commendat, ſicut „ illis temporibus uſitatum erat, quod lapſi eos, qui ob confeſſionem „ fidei in vinculis detinebantur, adibant, & ipſorum ſe orationibus „ commendabant, ut Deo, & Eccleſiæ reconciliarentur lib. 3. & Epiſ. „ 18. Cyprianus igitur, & inde atque etiam ex hypotheſi Origenis, „ de interpellationibus Sanctorum in altera etiam vita, non quidem „ mortuos invocavit, ſed viventes, priuſquam ex hac vita diſcede- „ rent, admonere cœpit, ut poſt mortem ſui apud Deum memores „ eſſent. Ita lib. 1. Epiſt. 1. ad Cornelium inquit: *Memores noſtri* „ *invicem ſimus, utrobique pro nobis ſemper orantes. Et ſi quis noſtrum* „ *prior &c.* Et libro II de habitu Virginum (d) inquit: *Durate fortiter,* „ *ſpiritualiter pergite, pervenite feliciter: tantum mementote noſtri,* „ *cum incipiet in vobis Virginitas honorari.* „

9 Sed multo magis gratulor, quod acutior Auguſtino ipſo ſis. Is enim dum eundem locum allegat, minime coarctat ad preces a viventibus proxime poſt morituris fuſas, ſed ad parentes, & caros nos expectantes, ideoque cæleſti beatitudine jam potitos refert. Sed ne id

(a) *Non horum, ſed totius Eccleſiæ conſenſus erit demonſtrandus. Merito &c.* Ibid. §. II. [b] *Nolo itaque ea, quæ de his figuris declamatoriis fuſius expoſuit B. noſter Mart. Chemnitius, repetere, partim, ne tadium moveam lectori, partim ne virum de Eccleſia noſtra optime meritum ſua gloria privare, & plus ſapere videar.* Exerc. III pag. 235.

[c] pag. 631 editio. Genev. an. 1641. (d) Error huc irrepſiſſe videtur: cui enim unicus liber ille, qui *de habitu Virginum* inſcribitur.

id temere locutus videar; ecce tibi Auguſtinum ipſum ⁝ (c) *Itemque alio loco* [Cyprianus], *Quid non, inquit, properamus, & currimus, ut patriam noſtram videre, ut parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat jam de ſua incolumitate ſecura, adhuc de noſtra ſalute ſollicita.*

10 Præclarum vero illud effugium eſt, quod tertio affers: promittis nempe te alibi eo de argumento diſputaturum. Indicaſſes ſaltem, ubi de eo diſputaturus ſis: dum id non præſtas, quis non agnoſcat prudens conſilium tuum, ut interea difficultatem evitans, ſpe egregię explicationis alio dilatæ, lectori illudas?

11 Quartæ tuæ ſolutioni ſic occurro. Conſtantem Patrum, & totius Eccleſiæ conſenſum demonſtravit Trombellius, dum a primis uſque Eccleſiæ temporibus exorſus, Patres ad XII uſque ſeculum adducit. Trium ipſorum ſeculorum conſenſum facile is perſpiciet, qui Trombellium ipſum legerit. Quæ enim ex probatiſſimis Sanctorum Martyrum Actis hauſit, ſcriptiſque tradidit, trium priorum ſeculorum conſenſum facile oſtendunt: quem pariter oſtendunt Euſebii, Origenis, & Cypriani loca ab eodem Trombellio allegata. An uberius aliquid expoſces in tanta Scriptorum, qui tribus prioribus ſeculis floruerunt, paucitate? Quamquam Trombellius Capite XXI hujus III. Diſſertationis (a) manifeſto oſtendit neceſſe non eſſe ad Eccleſiæ ſententiam aſſequendam ad trium priorum ſeculorum ſcriptores deduci, cum facile eam percipere poſſimus ex Scriptoribus IV, & V ſeculi. Tu tamen hæc, aliaque aptiſſima in rem hanc Trombellii monita plane diſſimulas, ea omnia ſilentio premens, quæ cauſæ tuæ nocitura vereris. Et dum hæc agis, te omnium ſinceriſſimum jactitas, & candidiſſimum?

(a) lib. *de prædeſtinatione Sanctorum* cap. XIV.
[b] pag. 141.

AD EXERCITATIONEM XIII.

Quam Kieslingius inſcribit :

De Ritibus in primitiva Eccleſia circa Martyres & pie defunctos conſuetis. Ad Caput XV. & XVI.

CAP. I.

1 VOluiſſem utique, Kieslingi mi, ut ea non præteriiſſes, quæ n. 7, & 8 capitis IV ex auctore *quæſtionum ad Antiochum*, & ex auctore Orationis *de Annunciatione* aliquando Athanaſio attributæ allegavit Trombellius; nam prior valde vetuſtus eſt, & probabilis auctor: ita enim adhærere ſolet magno Athanaſio, ut ex eo reſponſiones ſuas effingat: alter porro nec contemnendus, nec recens ſcriptor eſt. Sed ſaltem Hilarium attuliſſes, quem *Eccleſiarum Doctorem* veteres appellarunt. Nullo ne tibi in pretio is eſt, cujus ſcripta ſummo in honore ſemper habita ſunt, & a veteribus ſæpe allegata? Cur Baſilium omittis, quaſi is a Conciliis ipſis Generalibus allatus non fuiſſet ad Eccleſiæ dogmata comprobanda? Cur denique omittis Nazianzenum, Nyſſenum, Ephrem Syrum, Ambroſium Mediolanenſem, Hieronymum, Gaudentium, Chryſoſtomum, & reliquos omnes, quos capitibus XV, & XVI Trombellius adduxit? Tu ſane Exercitationem hanc XIII tuam ſcribere te profiteris adverſus Caput XV, & XVI Trombellii, cum nihil fere habeas adverſus ea, quæ his capitibus comprehenduntur: & evagaris in ea argumenta, in quibus aut nulla prorſus tecum eſt diſceptatio, aut ſi qua eſt, alterius loci ea eſt.

2 Nos quidem ad *Kemnitium* eo conſilio, ſi tibi credimus, reſcis, ut tædium Lectori non moveas, ea repellendo, quæ jam ſunt exploſa, neve ea gloria eum privare, pluſve eo ſapere videaris (*a*). O admirabilem erga Lectorem benevolentiam pietatemque! o raram adverſus *Kemnitium* moderationem! An eam ubique ſervas Kieslingi? Sed tuis monitis obſequamur, & *Kemnitium*, te jubente, conſulamus.

3 Exem-

(*a*) *Qua his capitibus ex Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nyſſeno, Ephrem Syro, Ambroſio, Hieronymoque affert Ven. Abbas ſua ſententia præſidia; adeo ſunt exploſa, ut detrita diligentius inculcare viderem, ſi ea adducere, & infirmare vellem. Nolo itaque ea qua de his figuris declamatoriis fuſius expoſuit B. noſter Mart. Chemnitius, repetere, partim ne tædium moveam Lectori, partim ne virum de Eccleſia noſtra optime meritum ſua gloria privare, & plus ſapere videar. Legat Ven. Abbas Patrum effata, eo ferè, quo ipſe retulit, ordine refutata.* Exercit. XIII. pag. 235.

Digitized by Google

3 Exemplar operis a te allegati habeo, ideſt *Examen Concilii Tridentini*; ſed illud non ejuſdem cum tuo exemplari eſt editionis: Meum quippe editum eſt Genevæ anno 1641, tuum videtur antiquius. Hoc præmonui, ne, ſi quando in paginis indicandis non conveniamus, videar loca a te indicata minime conſuluiſſe. Scis, quid ex ejus lectione didici? Sanctorum interceſſionem a veteribus non improbari, immo apertiſſime ab iis tradi. Affero verba ipſa Kemnitii paginas ipſas indicans, ne dolum malum in me ſuſpiceris (*a*). Quod de Potamiena ex Euſebio retulit Trombellius, non negat ille, ſed tantum invertere ſtudet, *mirificam* appellans *hiſtoriam* [*b*], *& carentem Verbi Dei exemplo, immo pugnantem cum expreſſa Scriptura ſententia Iſaiæ 8. Luc. 16.*

4 Quod Origenis, & Cypriani temporibus in Eccleſia de Sanctorum interceſſione invaluiſſet opinio, ipſe ſic tradit [*c*]: *Inde ſubſequentibus temporibus tanquam confeſſum, & indubitatum dogma publice etiam tradi cœpit, quod Origenis tempore ut probabilis tantum & privata opinio habebatur: Beatorum ſcilicet orationibus viventes adjuvari.* De Cypriano vero ea docet, quæ cum paulo ante retulerim, hic repetere non eſt neceſſe. Sed certe expreſſiſſima ea ſunt, atque in iis aperte fatetur, & candide, Cyprianum Sanctorum interceſſionem manifeſto agnoviſſe, edocuiſſeque.

5 De Euſebio hujuſmodi judicium fert: (*d*) *Euſebius retinet quidem anticipatam opinionem de interpellationibus Sanctorum, ſed invocationem eorum nec docet, nec uſurpat.* De Hilario hæc tradit: *Hilarius vero .... diſputat quidem de interceſſionibus Angelorum in Pſal. 129. non tamen vel Angelos, vel Sanctos, ſed ſolum Deum invocat.*

6 Erras itaque Kieslingi, dum ais, ea quæ attulit Trombellius, fuiſſe jam *expoſa*, & *detrita*, noſque amandas ad Chemnitium, qui tam manifeſto Sanctorum interceſſionem in adductis a Trombellio Sanctorum Patrum locis tradi fatetur. Sed in eo etiam erras, quod mones: *Patrum effata eo fere, quo ipſe Trombellius retulit, ordine refutata* a Kemnitio: neque enim eo ordine affert, quo Kemnitius: hic enim a Baſilio exorſus Patres Græcos primum affert, tum Latinos aggreditur: contra Trombellius ordinem temporum ſequitur, nec Latinos a Græcis ſejungit: quamquam ſi eodem etiam ordine uterque Patres allegaſſet, id minime oſtenderet præveniſſe Kemnitium, quæ Trombellius adduxit. Si *refutare* idem eſſe putas atque *excipere*, recte dicis; excepit enim Patrum teſtimonia Kemnitius, & iis Sanctorum interceſſionem ſtabilivit. Sed ſi *refutare* idem eſt ac *repellere*, diſſolvereque, falſa loqueris. Nimirum nec omnia Patrum loca, quæ Trombellius attulit, affert Kemnitius, nec *eo fere*, ut tu ais, *ordine* refutat,

---

[*a*] Sub eo titulo: *Quando, & a quibus ſparſi cœperint ſeminaria Sanctorum in Eccleſia*. Cap. II. pag. 629. & ſubſequen. [*b*] pag. 630. col. 1. (*c*) Ibidem. (*d*) pag. 632. Colu. I.

tat, quo ea affert Trombellius, nec cuncta is refutat, quę Trombellius attulit veterum teſtimonia: nimirum præterit Kemnitius Gaudentium, Aſterium, Chryſologum, Baſilium Seleucienſem, Gelaſium, alioſque multos, quos Trombellius attulit; contra Fulgentium, & Euthymium Monachum ſibi objicit, quorum ne meminit hic quidem Trombellius. Eos autem, quos ſibi objicit, propterea objicit, & redarguit [temere ſane], quod Sanctorum invocationi faverint. At de interceſſione hic Trombellius agit, non de invocatione.

7 Quamquam redarguendus es etiam Kieslingi, quod non advertas illi Orationi Ephremi Syri, quam *Kemnitius* indicat, vix inniti Trombellium, ſed iis inniti ſermonibus, qui ab omnibus Ephremo tribuuntur [*a*], nec ſemper loqui Kemnitium de iis Sanctorum Patrum opuſculis quæ allegat Trombellius, ſed ſæpe de aliis, quæ a veteribus Theologis Catholicis allegata ſunt, ſed nunc minus eis fidimus, quod agnitum ſit non tantam in eis ineſſe auctoritatem, quantam antiqui ineſſe putabant. Redarguendus es etiam, quod reticeas vindicias, quibus Trombellius, aliique Catholici *Kemnitii* accuſationibus occurrunt.

8 An etiam putas, cum tam animoſe ad *Kemnitium* provocas, illius reſponſis ac ſolutionibus Catholicorum probationes eludi? Quem ſane a ſententia recedere coget Kemnitii evaſio, Paulinum, & Prudentium *Poetarum more* locutos, ideoque in Theologico argumento fidem eis non eſſe habendam? Si ita eſt Kieslingi, Aratori, aliiſque Chriſtianis Poetis fidem minime præſtabimus. Probandum vobis eſt, Poetarum more *tantummodo* fuiſſe locutos. An Dianam hi invocant, an Jovem, an Muſas? Num ad ſaxa, ad lapides ſermonem convertunt ſuum? Num denique in eorum ſcriptis vocem ullam, aut apicem invenis, quo eos veterum Poetarum more locutos probes? Immo contra Prudentius, Paulinuſque veras hiſtorias ſe narrare ajunt, ſolumque metrum iis adjunxiſſe ornatus cauſa. Et hæc quidem ad priora tua monita, quibus ſcilicet nos ad Kemnitium provocas, dicta ſint hactenus.

9 Quo ſpectent ſubſequentia, tu videris. De invocatione hic non agimus, ſed de interceſſione. Dyptica hic Trombellius non attulit. Quando attulit, aptiſſime attulit. Vide quæ monuit ille numero II. capitis II Diſſertationis VI (*b*); quibus ea addere potes, quæ de diverſo dypticorum etiam ſacrorum genere tradidit egregius Ducange (*c*), ea quoque quæ docuit doctiſſimus Senator Bonarota (*d*). Commemorationem Sanctorum in Miſſa non eo ſpectare, ut pro iis roget Eccleſia, oſtendit Trombellius capite 32 (*e*) Diſſertationis III (*f*), in quo quidem loco hæc afferuntur ex Auguſtino (*g*): *Martyrum perfecta juſtitia eſt*,

(*a*) Diſſert. V. pag. 54. (*b*) pag. 107. (*c*) In Gloſſ. Scripto. mediæ & infimæ latinit. ad vocem *Dypticum*. [*d*] De Dyptico ſacro poſt librum eum, quem inſcripſit: *oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi* pag. 257. [*e*] n. 6, & 9. (*f*) pag. 205, & 206. (*g*) In Serm. olim 4 inter editos ex M. S. Majoris Cartuæ; nunc in ſerie 285. n. 5.

Digitized by Google

eſt, quoniam in ipſa paſſione perfecti ſunt. Ideo pro illis in Eccleſia non oratur. Pro aliis fidelibus oratur, pro Martyribus non oratur: tam enim perfecti exierunt, ut non ſint ſuſcepti noſtri, ſed advocati. Quid? quod expreſſe idem Auguſtinus docet, ideo in Miſſa commemorationem Sanctorum fieri, ut hi nos ſuis orationibus adjuvent? Hæc fingo, an non potius hæc diſcimus ex Auguſtino [a]? *Sicut enim ait Apoſtolus Petrus: Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Hoc eſt talia præparare. Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt: quorum ſi non inaniter memorias celebramus, atque in convivio, quo & ipſi ſaturati ſunt, ad Menſam Domini accedimus, oportet, ut quemadmodum ipſi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis, ut ipſi pro nobis, ut eorum veſtigiis adhæreamus: quia impleverunt ipſi caritatem, qua Dominus dixit non poſſe eſſe majorem. Talia enim ſuis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini menſa pariter acceperunt.* Quo quidem poſito ſcis, quo ſenſu dicat in objecto loco Auguſtinus pro mortuis orari in Eccleſia: & pro quibus oretur, pro quibus vero non oretur. Sed, uti dixi, hæc jam evolvit Trombellius loco nuper citato, nimirum capite trigeſimo ſecundo Diſſertationis III.

10 Sed cur in eo argumento non inhæres, quod propoſuit Trombellius, & huc, illucque percurris, multa de ritibus miſcens, qui in Sanctorum Martyrum feſtivitatibus apud veteres Chriſtianos in uſu erant? Te Doctore non egemus Kieslingi mi, eaque omnia, quæ tu attingis, copioſe illuſtravit Trombellius per totam fere diſſertationem VI. Vide obſecro caput II, VI, XII, XXVII, & XXXX. Capite vero XX plane perſpicies nos apertiſſime tradere, Miſſas, quas in Sanctorum feſtivitatibus in eorundem Sanctorum honorem celebramus, uni Deo offerri, ipſaque verba, quæ Auguſtinus adhibuit, a nobis quoque in eundem plane ſenſum adhiberi, ſic ut perperam adverſus nos ea Auguſtini verba afferas.

11 Quod de Purgatorio a nobis aſſerto queraris, novum id non eſt, ſed trita eorum querela, qui ab Eccleſia Catholica defecerunt. Sed tuis querelis hic ſatisfacere minime póſſumus, niſi velimus exemplum tuum ſequi Kieslingi, & a propoſito argumento aberrare. Tibi ſatisfacient Theologi noſtri, ſi eo de argumento egeris.

AD

[a] N. 1. Tractatus 84. in Joan.

AD EXERCITATIONEM XIV.

Qua (ut Kieslingius ait)

Auguſtini teſtimonia admodum ambigua ſub lineam vocantur.

CAPUT I.

1 POEnituit Kieslingium conſilii ſui, & quaſi Kemnitio ſuo non ſatis fideret in deducendo ad partes ſuas Auguſtinum, Sanctiſſimi huius Doctoris loca a Trombellio allegata ipſe per ſe eludere ſtudet, diſſolvereque. Allegarat Trombellius decem Auguſtini loca; horum aliqua integra referens, alia tantum indicans, numerum tamen ipſum opuſculi, quod allegat, notans, ut ſcilicet Lector, ſi velit, ea ſtatim perſpicere per ſe poſſit. Veritus Kieslingius, ne, ſi cuncta afferat, cauſa cadat (neque enim ſperat cuncta ſe poſſe eludere, præſertim cum pleraque eorum expreſſiſſima ſint, & vere inenodabilia) unicum tantum affert, illudque duabus evaſionibus ſtudet eludere, quarum prima ex Kemnitio deſumpta hæc eſt [a]: *Auguſtinum ſuorum temporum genio indulſiſſe, & de interceſſionibus Martyrum non ſatis accurate ſcripſiſſe.* Altera hæc eſt: *Dubium ſemper, aucipitemque in hoc de Sanctorum interceſſione argumento Auguſtinum inveniri*, qui expreſſiſſime Chriſtum *unicum mediatorem* agnoſcit: etenim hæc docet: *Homines enim omnes Chriſtiani invicem ſe commendant, orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus, verumque mediator eſt: cujus typus præfigurabatur in Sacerdote veteris Teſtamenti, nullus illic invenitur oraſſe pro Sacerdote.* Proſequitur autem Auguſtinus quod cœperat, eandemque doctrinam ſuſius deinceps explicat, illuſtratque. Neque hoc tantum loco id inculcat. Unicum mediatorem Jeſum Chriſtum agnoſcit cap. XV libri IX *de Civitate*, & in Commentariis in Pſal. XXXVI, & XXXVII. Ineptiſſima eſt autem Pontificiorum evaſio, diſtinguentium ſcilicet inter mediatorem *redemptionis, & interceſſionis*. Quod ſi unicus mediator eſt Chriſtus, Sancti intercedere non poſſunt, ſed tantum Chriſtus. Itaque ſi Chriſtum unicum mediatorem Auguſtinus agnoſcit, Sanctorum interceſſionem reiicit oportet.

2 Verum pace tua Kieslingi dixerim, tua hæc evaſio non admodum eſt laudabilis. Quoniam novem Auguſtini præteris locos, in unico illo, quem tu affers, conſiſtamus. Dicas porro quod libet, ex eo diſco Sanctos pro nobis orare, etſi Chriſtus oret: quid enim aliud denotant verba illa? *Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus adhuc interpellat pro*

(*a*) pag. 144.

pro nobis. Omnes Martyres, qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis. Non tranſeunt interpellationes ipſorum, niſi cum tranſierit gemitus noſter.

3 *At Auguſtinus* [inquis] *ſuorum temporum genio indulſit, & de interceſſione Martyrum non ſatis accurate ſcripſit.* Video nunc, cur omiſeris novem Auguſtini teſtimonia, quæ Trombellius attulit, atque in unico inhæreas. Nimirum ſic facilius lectori illudis, illique perſuades excidiſſe aliquando Auguſtino locutionem minus accuratam. Quod quidem conſilium tuum licet videri poſſit aſſeclis tuis valde prudens, audaciſſimum eſſet tamen, ſi unico, quod exagitas, Auguſtini teſtimonio inniteremur: novimus enim commentaria in Pſalmos edidiſſe ætate ac ſtudio doctiorem factum. Quid vero, cum non unico, ſed decem Auguſtini locis innitamur? Cur ergo tam hebetem nobis deſcribis Auguſtinum, quaſi non noviſſet ille, quando indulgendum eſſet ſuorum temporum genio, & quando illi obſiſtendum? Cur tam ſocordem fingis, ut improbitatem, aut ſi vis periculum improbitatis quod in ea perſuaſione, ac conſuetudine eſſet, agnoſcens, illi tamen indulgere vellet. Aliud exemplum affer oſcitantiæ, vitioſæque diſſimulationis Auguſtini. An illud afferes in Donatiſtarum, Pelagianorum, Arianorum, aliorumque hæreticorum erroribus diſſimulandis? an non potius hos, & alios omnes, quos vel a recta fide, vel a rectis moribus aberrare novit, vehementer redarguit, ſic ut nullum vel levem errorem paſſus ſit in populo ſuo? Interceſſionem tamen non modo in populo ſuo toleravit, ſed ſermonibus, ac libris ſuis fovit maxime. Sed ſaltem dicito, cur hanc te quidem judice improbam perſuaſionem non reprehenderint reliqui, ſic ut laus hæc Kemnitio tuo reſervaretur, ut ſcilicet Auguſtini fieret acerrimus cenſor, erroremque in eo deprehenderet, quem nemo ante eum deprehendit?

4 At nec probabilior eſt altera evaſio tua: Decem, uti crebro dixi, Auguſtini loca Trombellius attulit: decem tu quoque afferre debebas, ut totidem nobis objiceres. Tria tantum affers, ſed quæ unius inſtar cenſeri poſſunt: eandem quippe expreſſiſſimam ſententiam in tribus his locis inculcat Auguſtinus, Chriſtum ſcilicet noſtrum eſſe *mediatorem*. Sed cur tu qui *ſinceritatem tuam* tam expreſſe, tam crebro jactas, retices ſolutionem, quam huic tuæ difficultati Trombellius adhibuit? An non meminiſti, Capite XXVI hujuſce ipſius tertiæ Diſſertationis [a], quam tu reprehendis, hoc de argumento illum copioſiſſime diſſeruiſſe, oſtendiſſeque, quænam ſint mediatoris munera, quæve ita ſint Chriſti propria, ut tribui nequeant Sanctis, quænam vero non modo tribui iis poſſent, ſed revera tributa ſint? Cur ea hic diſſimulas? quamvis enim deinceps multa ad caput illud ſcribas, re vera tamen ea non impetis, quæ traduntur a Trombellio, ſed huc illucque pro more evagaris, ut eruditus appareas, Lectorique illudas, qui ſi libros Trombellii non legit, uti pauciſſimi in Germania legerunt, illa tantum ab eo

(a) pag. 168.

propoſita cenſebit, quæ tu affers. Scis profecto Kieslingi, plane rejici eam opinionem, quam tu Catholicis omnibus immerito tribuis, ut Chriſtus ſit *mediator redemptionis*, Sancti vero *interceſſionis*: vult enim Trombellius Chriſtum non modo redemptionis, verum etiam interceſſionis mediatorem eſſe, ac redemptionis quidem prorſus unicum; interceſſionis vero ſupremum, & in ea ſignificatione pariter unicum. In his non immoror, cum, uti dixi, hæc uberrime capite XXVI (*a*) proſecutus ſit Trombellius. Et tamen tu hæc retices, & dum retices, candidiſſimus haberi vis, & Trombellii victor. Sed antequam caput hoc claudo, recolamus obſecro Auguſtini teſtimonium a Trombellio allatum, argumentationemque ex eo deductam: qua quidem tua difficultas apertiſſime tollitur Kieslingi mi. En ipſa Trombellii verba (*b*): *Præclariſſimum vero eſt illud, quod extat in ſermone olim 4 inter editos ex majoris Cartuſiæ MSS. En illud* „ *Martyrum perfecta juſtitia eſt, quoniam in ipſa* „ *paſſione perfecti ſunt. Ideo pro illis in Eccleſia non oratur. Pro aliis* „ *fidelibus defunctis oratur, pro Martyribus non oratur: tam enim perfe-* „ *cti exierunt, ut non ſint ſuſcepti noſtri, ſed advocati. Neque hoc in-* „ *ſe, ſed in illo, cui capiti perfecta membra cohæſerunt. Ille eſt enim* „ *vere advocatus unus, qui interpellat pro nobis, ſedens ad dexteram Pa-* „ *tris: ſed advocatus unus, ſicut & Paſtor unus.* Nam oportet (*inquit*) me & eas oves adducere, quæ non ſunt de hoc ovili. *Ut* „ *Chriſtus Paſtor, Petrus non Paſtor? Immo & Petrus Paſtor, & ceteri* „ *tales ſine ulla dubitatione Paſtores. Nam ſi non Paſtor, quomodo ei di-* „ *citur*: Paſce oves meas? *Sed tamen verus Paſtor, qui paſcit oves ſu-* „ *as. Petro enim dictum eſt, non, Paſce oves tuas, ſed meas, Petrus* „ *ergo non in ſe, ſed in corpore Paſtoris eſt Paſtor. Nam ſi oves ſuas* „ *paſceret, continuo fierent hædi, quos paſceret.* „ *Ex his porro verbis ſatis videtis, Auguſtinum non modo interceſſionem Sanctorum habuiſſe plane cognitam, ſed eo maxime argumento defendiſſe, quod omnem adverſariorum noſtrorum rationem profligare poſſit. Hi enim hoc urgent, non poſſe Sanctos pro nobis intercedere, quod unus interceſſor noſter ſit Jeſus Chriſtus, ille vero apertiſſime oſtendit, & unum eſſe interceſſorem noſtrum Chriſtum, neque eo tamen fieri, ut intercedere alii nequeant. Quemadmodum cum unus ſit Paſtor Chriſtus, alii tamen Paſtores eſſe poſſunt,*

AD

[*a*] pag. 168. (*b*) Diſſer. III. Cap. XVII. pag. 121.

AD EXERCITATIONEM XV.

Quæ a Kieslingio inſcribitur

De Interceſſione Sanctorum ex variis Sacri codicis dictis extorta.

CAPUT I.

1 CUr immutaſti Kieslingi titulum Capitis XIX Trombellii adverſus quod te ſcribere profiteris? Ad hunc modum inſcripſerat ille: (*a*) *Ad id ipſum comprobandum* (ideſt ad Sanctorum interceſſionem aſſeverandam) *alia duo adducuntur argumenta, quorum primum e viventium precibus, alterum ex Communione Sanctorum, de qua in Apoſtolorum Symbolo mentio fit, deſumitur. Ac primo quidem expenditur primum.* At tu Exercitationem tuam *vage*, ut ita loquar, & *indeterminate* inſcribis: *De intereceſſione Sanctorum ex variis Sacri Codicis dictis extorta*, quaſi Veterum Patrum auctoritatem hoc in capite contempſiſſet Trombellius, & in Scripturis tantum modo expendendis conſtitiſſet, & de viventium precibus nihil fuiſſet actum: Sed tu inſcribe ut libet: nos ad argumentum in eo capite propoſitum veniamus. Hæc porro in 19 capite tradiderat Trombellius:

2 *At non deſunt alia argumenta, quæ & opem nobis per Sanctorum preces collatam, eorumque pro nobis interventum perſpicuum faciant. Enimvero tum Scripturarum, tum Patrum monitis edocemur, viventium precibus plurimum juvari nos. Non hic recenſere volo, quæ ex veteri Teſtamento, & ex Patribus in rem hanc adducuntur, ſiſtoque in teſtimoniis ex novo Teſtamento deſumptis: ex his porro eruo, ſæpe popoſciſſe Paulum viventium preces, veluti ſubſidium laborum ſuorum, & fructum ſibi maximum allaturas.* Tum multis adductis in eam rem Pauli Apoſtoli teſtimoniis, ad modum hunc diſputaverat: (*b*) *Porro ex his teſtimoniis conjicimus primo, infirmum plane eſſe argumentum, quo Sanctorum in Cœlis degentium interceſſionem, preceſque iis delatas oderunt Proteſtantes, arbitrati, hæc advocationi, mediationique, quam noſtri gerit Chriſtus, adverſari: ſic quippe diſſerunt. Si advocatum habemus Dominum Jeſum Chriſtum, qui ſemper orat pro nobis, cur alios advocatos agnoſcimus, perinde quaſi non ſufficeret advocatio tam grandis? Si mediator Chriſtus eſt Deum inter & homines, quos ille ſanguine ſuo in Patris gratiam reconciliavit: cur ad aliorum preces confugimus, quaſi novo mediatore apud*

(*a*) pag. 133. (*b*) Ibid.

Digitized by Google

Patrem egeremus, neque unius placeret Chriſti mediatio, ſed aliorum ſuffragia, atque adjumenta accedere opus foret? Hæc & ſi qua ſunt hujus generis alia, quæ ſæpiſſime inculcant hoſtes noſtri, repelluntur plane a viventium precibus, quas expoſcunt, commendantque Paulus, & Jacobus. Enim vero preces hæ advocationi, mediationique Chriſti adverſari non poterunt; ſecus eas fundi vetuiſſent laudati Apoſtoli. Quod ſi Sanctorum viventium preces, atque advocatio unius advocati Chriſti precibus, atque advocationi non adverſantur, cur adverſabuntur Sanctorum degentium in Cælis preces atque advocatio? Secundo aliud commodum ex iis teſtimoniis eruimus; nimirum argumentationem, quam Scholaſtici appellant a fortiori, ad comprobandum, & preces a Sanctis pro nobis fundi, & ab iis juvari nos. Et ſane multo plus poſſe impetrare nobis Sanctos, dum in Cælis degunt, quam dum in terris nobiſcum adhuc verſantur, non obſcure indicat Ambroſius, dum monet, potuiſſe olim Petrum rogare, impetrareque pro ſocru; nunc autem pro nobis, immo pro omnibus impetrare. Tunc enim pro affine poterat, nunc jam poteſt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Adiungit autem Ambroſio Hieronymum, Chryſoſtomum, & Scriptorem eum, cui debemus Sermonem olim I de Sanctis inter Auguſtinianos, nunc in Appendicem rejectum, in qua locum obtinet 215.

3 At Cenſor noſter imminutam prorſus, ideoque a Trombellii argumento valde deficientem ejuſdem Trombellii diſputationem proponit ſic Exercitationem ſuam exorſus. [a] *Novo perſuaſionem ſuam de interceſſione Sanctorum Ven. Abbas munit argumento, quod a vivorum precibus eſt deſumptum. Sic argumentatur:* „ *Tum Scripturarum, tum* „ *Patrum monitis edocemur, viventium precibus plurimum adjuvari nos.* „ *Dicta hæc ſunt Rom. XV.* 30. *Obſecro vos fratres per Dominum noſ-* „ *ſtrum Jeſum Chriſtum, & per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis* „ *me in orationibus veſtris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus.* „ *Porro Ephes. VI.* 17. 18. *Galeam ſalutis aſſumite (quod eſt verbum* „ *Dei) per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore* „ *in Spiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia & obſecratione pro* „ *omnibus Sanctis, & pro me, ut detur mihi ſermo. Idem repetitur* „ *Coloſſ. IV.* 3. 1. *Theſſal. V.* 25. 2. *Theſſal. III.* 1. *Hebr. XIII.* 3. „ *& Jac. V.* 16. „

4 Tum quaſi muneri ſuo ſatisfeciſſet, integramque expoſuiſſet Trombellii argumentationem, ad eam refellendam ſe ſe accingit. Sed audite quo verborum apparatu. (b) *Prius autem quam vela ventis dem, Romanenſium mentem exponere æquum eſt ac neceſſarium. Quam de Sanctorum precibus alant ſententiam, fidemque, ipſorum libri, qui ipſis ſunt Symbolici, nobis tradunt. Tridentinum, quod veluti oraculum Delphicum devenerantur Romanenſes, Concilium ita decrevit.* „ *Do-* „ *cemus, Sanctos una cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro homi-*

(a) pag. 247. (b) pag. 248.

„ *nibus Deo offerre : quare bonum atque utile eſt , ſuppliciter eos in-*
„ *vocare .* „

5 Sed quid agis Kieslingi , nunc demum Catholicorum ſententiam exponis, poſtquam ſcilicet multum diſputatio proceſſit? In ipſo diſputationis limine exponenda ea eſt , id enim diſputationis ordo expoſcit. At tuis monitis non egebamus. Trombellius jam eam expoſuerat, inque limine ipſo Diſſertationis hujuſce III expoſuerat , capite ſcilicet primo . Cur itaque hic tu eam profers ex Tridentino , ex Catechiſmo Romano , & ex Scheleſtrate , ſeu , ut novo cognomine appellas , ex Schelſtratenio? Ceterum te vel ſilente novimus jam , quid Tridentinum , quid Catechiſmus , quid noſtri ſcriptores doceant . An hæc effundis, ut noverint tui te Catholicorum libros aliquàndo legiſſe? Sed ſi id eſt , non es admodum prudens , quippe manifeſto oſtendis, quam male de te tui ipſi ſentiant. An ut traderes, quanta in æſtimatione ſit apud Catholicos Synodus Tridentina? Sed id norunt omnes, neque vero opus erat , ut impio mendacio hæc ſcriberes : *Tridentinum veluti Oraculum Delphicum devenerantur Romanenſes* . Catholici Gentilium ſuperſtitiones , ideoque Oracula oderunt, & deteſtantur. Synodum Tridentinam in eo honore ac pretio habent , quo haberi æquum eſt Eccleſiaſticum conventum plurimis, iisque præclariſſimis Eccleſiæ Patribus , ac Doctoribus ſummo ſtudio celebratum. Sed cur librum hujuſce ſynodi Decreta continentem , & Catechiſmum Romanum Pontificiis *Symbolicos* eſſe dicis? Sciſne Kieslingi , quid ea vox denotet? Quæcunque tamen tu ea voce ſignificari putes , ſcito expreſſiſſimam & perſpicuis verbis Eccleſiæ Catholicæ doctrinam in Tridentini Decretis exponi : Catechiſmi vero Romani tantam apud Catholicos eſſe auctoritatem , quanta eſt trium Scriptorum valde probabilium , quorum ſtudio liber ille compoſitus eſt , atque editus . Omittamus porro , quæ §. 3. & 4 tradis ; hæc enim ad præſentem controverſiam minime pertinent: tibi enim impetendus Trombellius eſt , non Scheleſtrates , cujus argumentationibus non ſe devinxit Trombellius .

6 Sed cur §. V iterum audacius etiam e præſenti controverſia aberras , & hæc ais : [a] *Subtilis eſt , quæ inter Romanenſes de invocatione Sanctorum , num ea neceſſaria & demandata ſit , an minus , alitur quæſtio . Quod adduxi Concilium Tridentinum , nullam legem aſſert , neque neceſſitatem hujus cultus imponit , ſed illum utilem & bonum eſſe confirmat . Nos utrumque , & neceſſitatem lege divina mortalibus impoſitam, & utilitatem hujus invocationis ex rei veritate negamus . Sed ne nimis rigoroſi rerum videamur eſſe cenſores , recentiorum Pontificiorum laudamus modeſtiam & prudentiam , qua hoc pietatis officium ad res mere liberas , & nulla neque divina , neque naturali lege traditas referunt . Forte apertius ſcriberent , ſi in re Romana Eccleſiæ tam proficua liberius mentem explicare ipſis integrum foret .*

7 Hic

[a] pag. 249.

7 Hic expendendum tibi est Kieslingi, *num ex viventium precibus ad Sanctorum intercessionem vindicandam desumi possit argumentum*, & tu inquiris, num Catholici necessariam putent Sanctorum invocationem. Quid hæc cum quæstione, quam hic Trombellius instituit? Ceterum tu ipse noscis [etenim allegas] [*a*], hæc, sed convenienti loco protulisse Trombellium. Quæ deinde multis verbis de invocatione, urges, non sunt ad rem præsentem apta, & mera verba sunt: fatemur enim omnes non necessitate nos adigi ad invocandos Sanctos, sed utilitate ad eos invocandos moveri.

8 Sed tandem aliquando post diuturnum, eumque minime necessarium excursum, ad quæstionem regreditur Censor noster, & §. VI hæc ait: (*b*) *Non plus ultra in enumerandis Romanensium documentis progredimur, sed me ad argumenta pro affirmanda Sanctorum intercessione recipiam. Excutiemus nunc dicta sacra supra allata, quæ Ven. Trombellius cum aliis Doctoribus facit sua.*

9 Sic porro §. VII. prosequitur: *Primum argumentum, quod ad firmandam Sanctorum intercessionem affertur, est a dignitate & statu Sanctorum desumptum. Sunt amici & servi Dei, & nos pro illa, quam habent cum Deo, amicitia, & magnitudine, in Cælis, eorum intercessione id, quod a Deo petimus, consequimur. Tam alte ac Sanctis sentiunt Romanenses, qui Sanctos, tanquam internuncios, habent in deliciis. Multum asserunt nobis auxilii esse sperandum ab iis, qui primas apud Reges & Principes tenent partes. Quidni Sancti nostra desideria Deo de meliori commendabunt, & nostrarum precum infirmitatem suo pondere sublevabunt?* Hæcne sunt Kieslingi, quæ ex variis Sacri Codicis dictis desumpta, seu, ut tuis utar verbis, *extorta* dixisti? Nec Sacri Codicis dicta hæc sunt, nec Trombellii: neque enim tam barbare loquitur ille, nec (sine me libere loqui; quoniam vera loquar) tam insulse. An in Trombellio invenis elegantem hanc phrasim: *de meliori commendabunt, & nostrarum precum infirmitatem suo pondere sublevabunt?* Ineptiæ hæ sunt ingenio tuo atque eruditione, quam jactas, dignæ Kieslingi. Asser ipsa Trombellii verba, & tum demum, si potes, dic ea esse, quæ tu illi imputas.

10 Neque vero ad præsertem quæstionem ea pertinent, quæ deinceps his verbis exhibes: [*c*] *Omnem orationum orbem, & ambiguos precum circuitus evitandos esse, nos satis edocent sacræ, quas tanquam placita divina amplectimur, paginæ. Invoca me in die vexationis, & te eripiam: per Davidem nos Deus reddit certiores. Psalm. L. 15. Quis quæso magna cum parvis, imo minimis componere, & hæc, quæ imbecillitatis humanæ sunt indicia, ad eum omniscium & omnipræsens referet? Quasi Deus nesciret nostra, quibus angimur, desideria! Quasi his monitoribus indigeret! Sua jam ætate ad silentium redegit S. Chrysostomus eos, qui hoc laborarunt vitio, & se ad Sanctorum intercessiones ve-*

(*a*) Exer XV. pag. 251. (*b*) pag. 251. [*c*] pag. 252.

velut in portum contulerunt: „ *Non opus eſt* [*inquit*] *janitoribus*, *qui* „ *te introducant*, *non diſpenſatoribus*, *procuratoribus*, *cuſtodibus*, *aut* „ *amicis*; *ſed quando ipſe per te ipſum acceſſeris*, *tunc maxime te au-* „ *diet*; *tunc quando neminem rogaveris*. *Non ita ergo eum per alios pla-* „ *camus orantes*, *ſicut per nos ipſos*. *Cum enim noſtram expetat amici-* „ *tiam*, *omnia etiam facit*, *ut nos eidem confidamus*: *quando viderit nos* „ *hoc per nos ipſos facientes*, *tunc maxime annuit*. *Ita etiam fecit in-* „ *Chananea*, *& cum Petrus quidem*, *& Jacobus accederent pro illa*, *non* „ *annuit*. *Cum ea autem permaneret*, *quod petebatur*, *dedit protinus*,, Fac tamen hęc ad rem noſtram pertinere: copioſe diſſolvuntur cap. XXXIII hujuſce Diſſertationis [*a*]. Rurſus vero afferuntur & diſſolvuntur cap. 28, & 29 Diſſertationis V. [*b*], & alibi etiam. Mera porro calumnia eſt, nos ideo Sanctos invocare, quod putemus Deum neſcire noſtra, aut nos non amare. Et hanc quidem calumniam ſæpiſſime Trombellius, repulit diſſertatione III, & V. Eum itaque conſule.

11 Cur autem ſic amputas, deformaſque partes reliquas argumentationis Trombellii? Is poſt adductos Patres eos, quorum antea memini, quique expreſſiſſime docent multo magis valere Sanctorum cæleſti beatitudine potitorum, quam valeant viventium preces, ſic argumentationem ſuam proſequitur [*c*], ut copioſiſſime & perſpicue tradat Sacra auctoritate, & Theologica ratione doceri nos plus virium habere Sanctorum in Cælis degentium, quam habeant viventium preces. Tu vero cuncta pervertis, immutaſque uti libet, ut paucis ſic illa exhibeas. (*d*) *Alterum quo ſuas Sanctorum interceſſiones probant Romanenſes*, *argumentum*, *concernit caritatis*, *qua uniti ſumus invicem*, *vinculum*. *Sic etiam Synodus Hieroſolymitana illud urget*. *Sancta Scriptura nos docet petere ab his*, *qui adhuc vivunt*, *interceſſiones & orationes ad Deum*, *ſicut fecit Apoſtolus Paulus*. *Quod magno cum pondere urget Ven. Abbas*, *& ex dictis ſupra excitatis probare intendit*. Allegas vero Boſſuetii verba: quibus allatis hæc adjungis: (*e*) *Sic nobiſcum ludunt Romanenſes*. *At enim vero maximi certe momenti obſtant rationes*, *quo minus his ingenioſis Romanenſium tricis locum demus*. *Regerimus enim*; *primo falſam eſſe*, *& plane nullam concludendi rationem a vivis ad mortuos*, *quum ſit maxime diſpar inter utrosque ratio*. *Vivorum preces merito expetimus*, *& mandata*, *& hujus rei exempla*, *quæ ſupra ſunt adducta*, *in Scriptura Sacra habemus*, *quæ recte ex dictis Paulinis tradit Ven. Abbas*; *ſed precibus*, *& interceſſionibus ad emortuos emittendis deeſt mandatum*. *Si quis nobis demonſtraverit vel mandatum*, *vel teſtimonium*, *erit nobis magnus Apollo*.

12 Sed

[*a*] pag. 208. [*b*] pag. 91. & ſequent. (*c*) Differ. III. cap. XIX. pag. 135. n. IV. &c. [*d*] Exercit. XV. pag. 232. §. VIII.
(*e*) Ibidem pag. 253. [*f*] *Sic nobiſcum ludunt Romanenſes*.

Digitized by Google

12 Sed nos minime ludere [*f*] is assequetur, qui argumentationem Trombellii, & quibus antecessoribus statuatur, considereet. Sed interea sinas Kieslingi, ut quoniam tecum disputo, qui Melanchthonem Chrysostomo,& reliquis antiquissimis, iisque sanctissimis,& doctissimis Patribus præfers, sinas (inquam) ut Melanchthonem in subsidium argumentationis illius, qua Trombellius usus est, rursus advocem: hæc quippe ex eo didici [*a*]: *De Sanctis etsi concedimus, quod sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere, ita in Cœlis orent pro Ecclesia in genere &c.* Melanchthone itaque judice a viventium precibus apud Deum acceptis infertur merito mortuorum Sanctorum preces esse pariter Deo acceptas.

13 Sed reliquas Kieslingii solutiones afferamus. (*b*) *Monemus* [inquit ille] *secundo, multis differre parasangis Sanctos mortuos a vivis. Hi præsentes sunt, & nostras audiunt, & norunt preces, & nostris ad misericordiam moventur calamitatibus, ut sua nostris adjungant vota: illi vero in sedibus beatis jam constituti nos nesciunt, neque nos agnoscunt Jes. cap. LXIV. 16. Nullum omnino est dubium, quin pii in hac terra, vi unita nobiscum preces effundere, & res nostras Deo commendare possint, quod a piis Apostolus Paulus in locis excitatis desideravit. Nec alieni sumus ab hac fide, quam beatus noster Lutherus professus est, qui ita sensit:* „ *Potes, inquit, quidem ut Christianus & Sanctus in terris pro me* „ *orare, non in una tantum, sed in omni necessitate; propterea autem non* „ *debeo te adorare, invocare, ferias, jejunia, oblationes, Missas in* „ *tui honorem, & cultum celebrare, & fidem ad salutem meam tibi man-* „ *cipare, cum aliis modis te honorare, diligere, & tibi gratias agere* „ *in Christo possim.* „ *Eadem fere argumentorum vi refellit has rationes auctor, qui historiam Ceremoniarum & superstitionum in Ecclesiam introductarum emisit, asserens: Deum nulla ratione nobis demandasse, ut invocemus Sanctos glorificatos, eodem Spiritu, quo nostros fratres in terra degentes rogamus, ut orent pro nobis. Nam certum est, animas a corpore separatas nos non audire, & intelligere. Monet porro excitatus auctor: Si vel maxime vivi ad hoc officium pietatis præstandum sint obligati, propterea tamen nos vivis, qui pro nobis orant, non ædificamus templa, sacella, altaria in ipsorum honorem, non erigimus ipsorum imagines super altaria, nemo se prosternit ad pedes Sanctorum, ut eos osculetur. Nemo ipsis devotas defert preces, aut festa consecrata. Urgemus tertio, ludere nobiscum Romanenses, & esse verspelles. Quos enim invocant Sanctos, non precum suarum fecios, quales sunt vivi, sed ut internuncios & mediatores Deum inter & homines constituunt. Tanto in pretio eos esse apud Deum putant, ut spes nostra ipsis confisa haud recedat confusa. Sic sola Servatoris Jesu expirat apud Deum deprecatio, qua nos constanter*

[*a*] In Apolo. Confess. August. in artic. XXI. qui inscribitur *De Invocatione Sanctorum.* Tom. I. Oper. Melan. pag. 101.

[*b*] pag. 153. §. IX.

ter niti oportet? Nec quarto, silentio hoc involvimus argumentum, quod vivi, & superstites, nostra desideria vel ore, vel scriptis prolata audire possunt; defunctis autem nostras preces, non nisi suspiriis & gemitibus, quos nemo nisi Deus, qui in imas cordis latebras introspicit, & nostras intelligit eminus cogitationes, exponere possumus. Quam rerum nostrarum notitiam, & intimam quidem, & accuratam cognitionem, si quis Sanctis defunctis attribuat, summo certe Numini, quod solum est omniscium, & nostros perscrutatur animi recessus, injuriam inferet. Summo proinde cum veri argumento repono. Quod si concederem, Sanctos audire, Deo potentiam eorum supra naturæ vires elevante, preces meas, non immerito quæro quomodo unus Sanctus tot precibus ad se directis, vel audiendis, vel intelligendis par sit? Maria uno die, imo unius horulæ articulo in universo Catholicorum orbe, ab innumeris fere hominibus invocatur; quin & diversis & infinitis argumentis occupatur; credis ne, Maria aures tot hominibus, & eorum desideriis sufficere? Vix credo, Ven. Abbatem, aut sagaciorem aliquem id statuere.

14 His autem ad hunc modum occurro. Ostendit multa cum laude Trombellius beatitudinem, qua Sancti potiuntur, minime obesse, ne sua apud Deum suffragatione nos adjuvent. Consule numerum III, & IV Capitis XXVII Dissertationis III. Ostendit quoque valde probabilem eorum esse sententiam, qui egestates nostras facile a Beatis sciri, precesque ad illos directas iis innotescere posse ajunt. Vide quæ tradidit ille Capite XXXVI, & subsequentibus tribus ejusdem III Dissertationis. Fatemur autem nulla in Scripturis esse verba, quibus jubeamur ad Sanctos confugere; & sæpe diximus utilitate, non præcepto aliquo moveri nos ad Sanctos invocandos. Quamquam, ut millies dixi, hic temere invocatio intruditur, cum de intercessione tantum hic agamus.

15 Quæ de adhibitis mortuis Sanctis quibusdam venerationis argumentis, quæ viventibus non deferimus, objiciuntur, responsionem habent in Capite XVI Dissertationis IV, numero præsertim III ejusdem capitis: quibus quidem hæc addo: ea quæ tu Kieslingi ex Luthero tuo sacri obsequii argumenta describis, iis reservamus, quos certo novimus e beatitudine, qua potiuntur, non posse excidere, immo iis quos novimus fideles reliquos in virtute præcelluisse usque ad mortem; ob quam rem eximia beatitudine nunc potiuntur. An hæc de viventibus asserere audebimus?

16 Nos vero nulli illudimus, *nec verspelles sumus*. Ita vero invocamus Sanctos (cogit quippe Kieslingius, ut vel inviti de invocatione agamus), ut eos habeamus precum socios & adjutores. Si hoc *internuncii & mediatoris* vocabulo intelligunt, non vereor *internuncios & mediatores* Sanctos agnoscere. Quod si internuncii & mediatoris nomine eum intelligant, qui nostras preces Deo quasi ignaro deferat; sicut fama est a Platonicis veteribus confictos fuisse Angelos, neutrum horum admittimus; immo neque admittimus, si alio rigidiori sensu *Me-*

diatoris nomen uſurpent : qua de re vide quæ tradidit Trombellius capite XXVI Diſſertationis III [*a*]. Neque vero, ut Kieslingio inſerviam, Lectori moleſtus eſſe volo, ea millies repetendo, quæ in Diſſertationibus ſuis copioſe executus ille eſt. Concludere caput hoc licet, monendo, male te coarctare Mariæ præſtantiam, & Chriſti amorem, & Angelorum erga eam obſequium. Noſſe itaque eam arbitror eas preces omnes, quæ ad ipſam feruntur : neque enim limitatam adeo puto illius virtutem, ut noſſe non poſſit ; adjuvare quoque poſſe arbitror quotquot ad eam opis obtinendæ cauſa confugiunt, Filio annuente, exſequentibus, ſi vis, Angelis. Vide, præter nuper allegata ex Capite 36, 37, 38, & 39 Diſſertationis IV Trombellii, ea etiam quæ cap. 40 ejuſdem III Diſſertationis aut afferuntur, aut allegantur ex capite XI ejuſdem III Diſſertationis.

AD

[*a*] n. 3. pag. 169.

AD EXERCITATIONEM XVI.

Quæ inſcribitur:

De interceſſione Sanctorum ex Symbolo Apoſtolico exterminata.

CAP. I.

1 ARgumentum aliud ad vindicandam Sanctorum interceſſionem Trombellius attulerat: deſumptum videlicet ex Symbolo Apoſtolico *Sanctorum Communionem* nos edocente: quod quidem argumentum cum Trombellius luculenter fuerit executus, ad eum Lectorem allego (*a*), ut ſcilicet judicet, num recte illud, ſincereque a Kieslingio afferatur, dum hæc ait [*b*]: „*Quæ intercedit nobis cum Sanctis communio*, „*Ven. Abbati novum ſuggerit pro munienda Sanctorum interceſſione argumentum.* „ *Aliam*, inquit, *ut* „ *jam dixi, probationem ſane non levem ad Sanctorum interceſſionem* „ *comprobandam ſubminiſtrat Symbolum Apoſtolicum, dum communionem* „ *nos edocet. Quippe communio Sanctorum importare videtur partici-* „ *pationem adjumenti, quod nobis ſuis precibus, atque impetratione* „ *præbeant Sancti.* „ Quibus quidem verbis imminutis prorſus, & detruncatis valde probabilem, veterumque auctoritate confirmatam Trombellii argumentationem nemo agnoſcet. Tum horum ſolutionem exorſus, monet primo: *Tardiorem eſſe horum verborum*: credimus communionem Sanctorum, *in Symbolo Apoſtolico receptionem, vir magni nominis apud Anglos, & omnes exteros, Joannes Pearſonius Epiſcopus Ceſtrienſis demonſtravit. Deſiderantur hæc verba in Aquilejano Symbolo a Ruffino expoſito: non in exemplaribus Maximi Taurinenſis, neque in aliis quæ excitat, effunduntur. Primum lecta ſunt in Latino, & Græco manuſcripto, in Bibliotheca Collegii Benedictini aſſervato.*

2 Tum quo modo cum Sanctis communicemus, his verbis explicat: *Nemo noſtrum negat, nos communionis cum Sanctis eſſe participes. Non uno nomine ii, qui in Sodalitio Jeſu vivunt, commercio, quod eſt inter fideles, ſpirituali perfruuntur. Nos qui Eccleſiæ Chriſtianæ ſumus cives, communione cum Patre, & Filio fruimur, ut* 1. *Joa.* 1. 3. *apparet* „ *Annunciamus vobis ut communionem habeatis cum Patre, & Filio.* „ *Communionis cum Spiritu Sancto rei dicimur*: „ *Si quæ eſt communio Spi-* „ *ritus* „ *ad Philip. II.* 1. *Communionem habemus cum Sanctis Angelis, Hebr. I.* 14. „ *Sunt ad miniſtrandum emiſſi iis, qui hæredes ſalutis emit-*

[*a*] Cap. xx. pag. 137. (*b*) Pag. 255.

„ tuntur. Sum tuus conservus Apoc. XIX. 10. „ Expertes demum nullo modo sumus communionis cum Sanctis, qui æternitatis, & beatitatis brabeo jamjam sunt potiti. His felicis sedis incolis aliquando associabimur, nec in hac vita ipsorum commercio prorsus excidimus. Illi sunt triumphantis, nos militantis Ecclesiæ membra. Illi victores, nos milites sub vexillo Crucis Christi degentes. Illi comprehensores, nos adhuc viatores, qui tendimus ad metam, & diadema nobis propositum Philip. III. 14. Dubium prorsus est nullum, quin hac respexerit Divus Paulus in Epistola ad Hebræos; quem locum Ven. Abbas in suam rem trahit: „ Una (inquit) „ nempe Ecclesia est, & duæ veluti illius portiones, cælestis, & terrestris, quod palam constat tum ex eo, quod est unum utriusque caput, „ id attestante Apostolo Paulo, tum etiam ex eo, quod nos quoque ad „ cælestem dicimur pertinere. Hebr. XII. 22. Accessisti ad Sion montem, „ & Civitatem Dei viventis Jerusalem cælestem, & multorum millium „ Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt „ in Cælis, & Judicem omnium Deum.

3 Tum aliam explicationem affert in eo positam, ut Ecclesiæ communio significet receptionem, ut ita loquar, & adjunctionem omnium gentium in militante Ecclesia; recipientur enim ad æternam beatitudinem nationes omnes, nulla prorsus excluſa. Ecce ipsa Kiefflingii verba: (a) *Lassos eorum, qui ex Hebræis ad Christianorum castra transferant, animos refocillat Paulus, spe melioris sortis in Ecclesia triumphante aliquando percipiendæ quam certissime. Nervose hanc Ecclesiam appellitat* Panegyrin *seu cœtum, ut Syrus exponit. Bene observavit vir in re critica versatissimus Joannes Braunius, Græningæ & Omlandiæ Professor celeberrimus, verbum Panegyris respicere ad numerum Israelitarum, qui convenerunt ad Montem Sinai in deserto. Nec minus ad solemnia Paschatis, & Pentecostes Judæorum, quibus omnes fere Judæi ex remotissimis locis ad celebranda festa confluere solebant. Quæ solida Braunii ad hanc vocem observatio, suo stat firmamento, & ab aliorum sententiis non recedit. Neque militat cum Cel. Guilielmi Gougii inclyti illius Anglicani Theologi opinione, qua vocem Panegyrin de publico & solemni conventu explicat, affirmatque, hoc verbum significare ingentem populi ex variis regionibus, & nationibus confluxum, qualis olim in Græcia in festis Olympicis solemnis fuit, ad quæ omnes invitati sunt vicini, adeo quidem ut non raro inaudita hominum multitudo hos ludos reddiderit illustriores. Usum igitur esse Div. Apostolum hac insigni voce, ut declararet, Ecclesiam esse Catholicam, & ex omni populo collectam. Facile cujus sententiæ præsidium quis inveniet, si optimos, & antiquissimos Græciæ Scriptores, quos collegit Cel. Henricus Stephanus, adeat, & evolvat. Quo demum Apostolus hoc verbulo,* Panegyris, *respexerit, id saltem constat, eum ingentem Ecclesiæ triumphantis numerum expressisse, & non*

tam

(a) Pag. 256. §. III.

tam de Eccleſia militante ; quæ etiam multis conſtat membris , ſed de felicissimo Eccleſiæ triumphantis ſtatu hæc dixiſſe , quod fuſius demonſtravit , & vindicavit Cel. Theodorus Akerslootus . At quia hæc nihil ad rem faciunt , quia de Sanctorum communione diſceptandum eſt , me ad illud quod tractandum eſt , confero inſtitutum .

4 Tertiam denique affert ex Pearſonio in eo (ſi male non intellexi) poſitam , quod tam viventes , quam mortui Sancti ab eodem capite Chriſto Jeſu recipiunt influxum , nec ab eo ſeparantur . Dixi , *Si male non intellexi* : Multa enim Kieslingius Pearſonii verba adduxit , in quibus idem Pearſonius monet diſrumpi in morte eam communionem , quam Sanctus , dum viveret , cum Hypocrita eadem Sacramenta participante , idemque Verbum Dei audiente habebat : quæ quidem Pearſonii verba , cur a Kieslingio in rem ſuam adducantur , prorſus non video . Utcumque ſit , his explicationibus poſitis concludit Kieslingius prave a Trombellio ex Communione Sanctorum , Sanctorum interceſſionem erui . Sed quoniam reliqua Kieslingii monita attulimus , hoc quoque afferamus . *Res plana eſt* (inquit ille (*a*)) *Apoſtolum agere de Sanctorum Eccleſiæ Chriſtianæ mortuorum , & viventium Communione . Subſcribo hic libenter ſupra laudato Pearſonio ita ediſſerenti : „ Quod „ ſi ego Communionem cum Sancto Dei , quatenus talis eſt , habeo , dum „ in hac vita degit , neceſſe eſt , eandem habeam cum eodem , poſtquam „ e vita exceſſit , quia Communionis fundamentum morte tolli nequit . „ Myſtica unio inter Chriſtum & Eccleſiam ejus , ſpiritualis conjunctio „ membrorum cum capite , verum fundamentum communionis inter membra „ intercedentis , abſolvit ; membris viventibus atque creſcentibus omnibus „ eodem influxu , quem ab eo recipiunt . Mors vero , quæ aliud nihil præter ſeparationem Animæ & Corporis involvit , nullam in Myſtica unione „ ſeparationem , nec ſpiritualis conjunctionis diſruptionem efficit . Unde „ neceſſe eſt , continuari eandem communionem , remanente ſcilicet eodem „ fundamento . Equidem Sanctus demortuus ante mortem cum Hypocrita „ Communionem habet , verbum idem audiendo , fidem profitendo , Sacramenta recipiendo , in ſolis rebus externis utrique communibus conſiſtentem , quibus actionibus externis deſinentibus in perſona ex hac vita „ migrante , Hypocrita ſuperſtes omnem communionem cum Sancto demortuo amittit , & Sancti ſuperſtites deſinunt communionem habere cum Hypocrita decedente . „ Recte vero monet hanc communionem ultra Societatem ſpei , venerationis , & imitationis non extendi . Si forte verbum veneratio ad Romanenſium palatum dictum putet Ven. Abbas , intelligat Pearſonium nihil niſi honorem , & æſtimium , quod ipſis merito debemus , hoc nomine comprehendere . Male itaque agit Ven. Abbas , ſi hæc Symboli verba in alienum diſtorqueat ſenſum . Statim enim ſubjungit vir in primis Venerabilis Pearſonius , non Bellarmini ſententiæ hic dari locum : „ Communio , inquit , ſuffragiorum Sanctorum virorum cum Eccleſia in pur-*

„ ga-

(*a*) Pag. 257. §. IV.

„ *gatorio ; & communicatio meritorum Sanctorum in Cœlis cum Sanctis in* „ *terra , sunt novæ omnino expositiones hujus articuli , ne quidem a Tho-* „ *ma Aquinate in expositione Symboli agnitæ , multo minus in ullo anti-* „ *quiorum interpretum reperiendæ .* „ *Quam male igitur ex hoc Symbola Sanctorum intercessio exculpatur , Ven. Abbas , si æquus rerum censor esse velit , ipse fatebitur . Quam suppeditavi hujus Symboli expositionem , pro norma reliqua dicta explicandi facile admittere quis poterit .*

5 At his monitis tuis parum proficis Kieslingi . Cur tardius invectum in commune Ecclesiæ Symbolum vis articulum , in quo expresse Sanctorum Communio traditur ? An ut tuam eruditionem proferas ? Sed levem tibi laudem eo consilio tibi comparas , cum eo de argumento tractarint plurimi ; nec hoc argumentum plane est omissurus Trombellius . An ut doceas minori in pretio habendum esse hunc articulum ? At id minime , ut puto , dices : Ecclesiæ quippe omnes , etsi olim in Catechumenorum Symbolo non exprimerent , constantissime retinuerunt , & nunc etiam tenent . Cur ergo hæc recitas ?

6 Sed jam tuas explicationes aggrediamur oportet . Primam explicationem admittere utique possumus . Sed adhuc quærimus , num ea sufficiat ad illud genus *communionis* declarandum , quod Ecclesia in Symbolo exprimit . Sane eam sufficere is non dicet , qui noverit *Communionem Sanctorum* , cujus Ecclesia in solemnibus precibus meminit , eorundem Sanctorum intercessionem manifesto exprimere . Probationem hanc tametsi tu prorsus reticeas , non omisit tamen Trombellius , cujus monita hic recitarem , nisi per se posset lector ea recolere .

7 Quibus quidem positis , tuæ illæ explicationes valde deficiunt Kieslingi mi : neque enim id exprimunt , quod Ecclesia exprimi in articulo hoc docet . Quis vero , postquam integrum vicesimum hoc Trombellii caput legerit , novam dixerit , & veteribus ignotam eam explicationem , quam idem Trombellius proposuit ? An recens dicenda est , quæ vetustissimos , eosque doctissimos , & probatissimos patronos habet , Cyrillum Hierosolymitanum scilicet , Chrysostomum , Augustinum , Gelasium (si tamen Gelasio antiquior non est is , cui tribuimus librum Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ Gelasio adscriptum) aliosque , quos Trombellius allegavit ?

AD

AD EXERCITATIONEM XVII.

Cujus hic eſt titulus:

De Origine Internunciorum, ſeu Mediatorum, quos Eccleſia Romana veneratur, Sanctorum.

CAP. I.

LAudavimus hactenus elegantiam tuam in ſcribendo, Kieslingi clariſſime, laudavimus eruditionem vere mirabilem: num demum laudanda eſt prudentia tua? Pappæ! Quinque integra capita omittis, ideoque quod paginis 27 comprehenditur, Lectore minime admonito plane retices, ne ſcilicet is fraudem ſubodoretur. Sed dic amabo Kieslingi, cur ea omittis? An *quia verba admodum dubia, perplexa, & alia levioris momenti argumenta cenſura vexare tibi vituperio ducis, ne de verbis diſputare, & plagoſus videaris Orbilius?* (a) At dubia ſane non ſunt, nec perplexa, ſed perſpicua, & manifeſta, quæ Trombellius in his capitibus docuit. An vero inter *levioris momenti argumenta, quæ cenſura vexare tibi vituperio ducis*, collocabis, quæ in his Capitibus ſibi pertractánda Trombellius propoſuit, ideoque inter eas quæſtiones, de quibus hæc ſcriptis mandaſti (b): *Occurrunt paſſim levidenſes, quæ enodari poſſent, quæſtiones, quas, quia capita noſtræ controverſiæ non tadunt, lubens omiſi, ut Catonis Cenſorini evitarem ſuſpicionem?* Sed aliis ſane levia hæc non videbuntur, immo graviſſima ea eſſe dicent. Sed leviane, ſeu, ut tu appellas, *levidenſia* ſint, an non, Lector judicet, dummodo noverit, quid in iis comprehendatur, noſcatque propterea, quam recte fidem expleas grandium illarum promiſſionum: [c] *Verba Venerabilis Abbatis accurate, ut ipſa fluunt, appoſui, neque ullam literam mutavi, ne falcem in alienam viticem meſſem.* En itaque argumenta eorum Capitum, quæ Kieslingius noſter omiſit. XXI. *Proponitur, refelliturque generalis quædam ſolutio, quam omnibus Patrum teſtimoniis adhibent. Minime erraſſe eos, quos allegavimus Patres, quos quidem ex tribus prioribus ſeculis proferre neceſſe non eſt, cum ii ſummam etiam habeant auctoritatem, qui poſt vixerunt, pietate, & eruditione clariſſimi.* XXII. *Auctoritate, & exemplis ea, quæ ſuperiori capite diximus, comprobamus.* XXIII. *Diſſolvuntur ea, quibus nituntur oſtendere, Patres minime conſtantes fuiſſe in aſſeverando Celitum erga nos patrocinio, ideoque diſſolvuntur ea, quæ a Sanctorum Patrum auctoritate adverſus nos urgent.* XXIV. *Refutatio tertiæ ſolutionis, Patrum teſtimoniis adhibita. Non admodum multas fuiſſe a Patribus ex tempore*

(a) In Præfat. pag. 39. §. XXVI. (b) Ibidem. (c) Ibidem.

pore effusas homilias, orationesque: pleraque sane procul dubio extemporales dici non posse. Fuisse quidem aliquas sive ex parte, sive etiam prorsus extemporales, quarum exempla afferimus: id tamen haud multum usitatum fuisse. XXV. *Etiam si prorsus extemporales forent Patrum, quos produximus, Orationes, aptissimas esse tamen ad Ecclesiæ ritus, & dogmata comprobanda.*

2 Si ita deinceps agis Kieslingi, facile Lipsiensibus quis omnium hominum eruditissimus apparebis, nullaque tibi oberit difficultas: Quæ enim oberit, si non affertur? Sed dum id agis, probis omnibus displices, dolumque malum ac fraudem notant, quam frustra tam insipienti, tam improbo consilio obtegere studes.

3 Sed jam denique ad Exercitationem hanc tuam XVII veniamus. Titulus Capitis XXVI, quod tu hic impugnas, hujusmodi est. *Diluuntur argumenta ex Theologica ratione desumpta, ac primo quidem ex eo, quod Sanctorum suffragatio atque adiumentum Deo & Christo sint injuriosa. Cujus rei occasione quæritur, num Mediatores, patroni, & advocati nostri appellari possint Sancti.* Hanc sibi difficultatem obiecerat Trombellius: *Christi muneribus adversantur Sanctorum interventus, & preces. Sane S. Paulus (a)* „ *Unus Deus (inquit), unus & mediator „ Dei, & hominum homo Christus Jesus.* „ *Et D. Joannes in Epistola 1. cap. 2. v. 1.* „ *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Je- „ sum Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro „ nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* „ *Qui ergo sanctos pro nobis orare, atque impetrare peccatorum veniam, & beneficia alia putat, id iis tribuit, quod peculiare Christo est, ideoque illi injuriam facit.*

4 Huic porro objectioni ita occurrit idem Trombellius. Primo quidem adversarios rogat atque obtestatur, *ut videant difficultatem hanc ipsam, si qua est, ab iis non evitari*, quatenus viventium preces, atque intercessionem admittunt: tum diligentissime, & veterum præeunte auctoritate ostendit, mediatores adhuc dici posse Sanctos, at non *redemptionis*, sed tantum *intercessionis*: sed in hoc ipso genere *secundarios*, & Christo ipso non renuente, sed approbante. Recole obsecro verba ipsa Trombellii, cur enim afferam, cum quisque per se consulere ea possit? *(b)*

5 Ea sane si consulet Lector, perspicue videbit, quantum a Trombellii verbis, atque argumentatione absit ea argumentatio, quam Trombellio Kieslingius appingit. Ecce eam *[c]*. *Sanctis citra vitium nomen mediatorum tribui posse, toto in hoc capite Ven. Abbas pertractat. Emollit argumentum nostrum, quo asserimus, injuriosum esse in officium Christi mediatorium, si Sancti dicantur mediatores, & advocati. Quo vero eo melius rem probet, & Sanctos hoc nomine non prorsus esse indignos, confirmet, vocem mediator accuratius expendit.* „ *Voci mediator significa- „ tiones subesse puto quatuor: Nuncii & interpretis partis utriusque, „ aut certe unius ad alteram; arbitri electi ad componenda dissidia; inter-*

(a) 1. Timoth. 2. v. 5. [b] pag. 168. & seq. (c) pag. 258. §. 1.

„ terceſſoris, ſeu advocati; demum ſponſoris qui parti leſæ ſatisfaciat. „ Profitetur, Sanctis non tribui poſſe titulum mediator, quatenus ſignificat arbitrum, qui diſſidia componit: id ſoli Chriſto recte vindicat. Porro profitetur: Sanctos hoc titulo, quatenus ſignificatur ſponſor, qui leſæ parti ſatisfacit, prorſus eſſe indignos. Duos igitur modos reſervat Sanctis. „ Quoniam, inquit, duo tantum reſtant modi, quibus mediatores appellari Sancti poſſint, nempe quatenus ſunt internuncii, & quatenus ſunt „ intercеſſores & advocati, quæritur, num appellari propterea mediatores „ poſſint. Negant id audaciter Proteſtantes: ego vero plura Patrum loca „ facile producam, in quibus id expreſſiſſime traditur. „

6 Agnoſcis ne in verbis his diſputantem Trombellium? Minime vero: Kieslingius tamen quaſi recte Trombellii argumentationem expoſuiſſet, ad eum redarguendum hæc affert. (a) Doleo Ven. Abbatem in hoc capite, eo delabi, ut ſuæ ſententiæ præſidium hac conciliet ratione, ut plurima Scripturæ ſacræ effata peſſime invertat, & ipſis manus injiciat violentas. Sic verba: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam Matth. XVI. 18. partim ad ſuprematum Petri, ejuſque dignitatem ſtabiliendam, partim ad interceſſionem rapit confirmandam. Inde cum Leone magno ſic commentatur: „ Tu quoque Petra es, quia mea virtute ſoli„ daris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participa„ tione communia. „ Utraque expoſitio eſt extorta, & ſenſui contraria. Nam neque de Petro, ſed ejus Confeſſione loquitur Chriſtus, ideoque non de fundamento politico, ſed Eccleſiaſtico. Legat obſecro Cel. Joannem Launojum Pariſienſem & inclytum Barraum. En quam apte inde ſequitur. Si Eccleſia fundata eſt ſuper Confeſſionem fidei Petrinæ, quinimo ſi nos ſuperædificati ſumus ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum Eph. IV. 20. Ergo Apoſtoli & Prophetæ ſunt noſtri interceſſores & mediatores: Æque procederet, ac ſi dicerem, nos ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum ſuperædificati ſumus. Ergo Prophetæ & Apoſtoli ſunt auctores ſalutis noſtræ, cujus aliquando participes reddemur. Non fortiori innituntur fundamento reliqua argumenta, quibus Apoſtoli appellantur Paſtores Ovium, & Doctores Eccleſiæ Joan. XXI. 15. Ephes. IV. 11. Chriſtus autem Princeps Ovium, & I. Petr. II. 25. V. 4. Hebr. XIII. 20. In quæ verba ex Bernardo parum conſiderate commentatur Ven. Abbas. Id enim S. Bernardus inter ceteros edocet hæc inquiens: „ Mediantibus illis [Apoſtolis Pe„ tro, & Paulo] ad illum Mediatorem aſcendere potero, qui venit paci„ ficare per Sanguinem ſuum, & quæ in Cælis, & quæ in terris ſunt. „ Item num. 2 ſermonis intra octavam Aſſumptionis. Opus eſt enim „ Mediatore, ad Mediatorem iſtum; nec alter nobis utilior quam Maria. „ Id vero dum agimus imitamur Apoſtolum Petrum, qui in ſua Epiſtola „ principem Paſtorem appellávit Jeſum Chriſtum, ut ſciliçet ab iis diſcer„ neret, quos Paſtores quidem veros, ſed ſecundarios, & ſub principe „ Jeſu agnoſcimus, & profitemur. Imitamur quoque Apoſtolum, qui can-

(a) pag. 259. §. II.

„ *dem ob causam in Epistola ad Hebræos Christum appellavit Pastorem* „ *magnum Ovium.* „ *Titulum Pastoris fortiuntur Apostoli, & Ecclesiæ Præsules, ob muneris quod sustinent, rationem; quia verbo, & Sacramento Oves pascunt, non vero ob mediationis, & intercessionis officium,* „ *cujus nomine Christus solus dicitur Pastorum princeps. Ubi quæso Jesus in hoc officio, de quo hic nobis sermo est, mediatoris, sibi associavit Mediatores, Advocatos, Internuncios? Recte, & accurate id explicuit Augustinus adversus Parmenianum in loco, quem supra adduximus, & quem hic frustra arrodit Vener. Trombellius.*

7 Sed sine obsecro te paucis alloquar Kieslingi mi. Hæc a se esse proposita pernegat Trombellius: Neque vero de suprema aut Petri, aut Romani Pontificis dignitate disputat hic Trombellius, sed tantum loca illa Evangelii, & Leonis attulit, ut innotesceret quædam vocabula, quæ si *rigorose* accipias, Christi sunt propria, si latius accipias, posse etiam Discipulis illius tribui. Ceterum dum Launojum *Parisiensem* facis, haud obscure significas, ne ipsam quidem Operum illius frontem te legisse; quippe in ea edocemur *Constantiensem* fuisse Launojum. Eidem vero Launojo dum *Antibellarminum*, seu defensionem libertatis Ecclesiæ Gallicanæ Daventriæ anno 1710 editam tribuis, librum illi tribuis, quem merito illi abjudicamus: neque sane inter opera Launovii Genevæ edita librum hunc reperi. Dum porro Trombellium allegas ad Barraum Anglica lingua scribentem, ad eum provocas, cujus scripta minime leget, neque vero ut tibi obsequatur, Anglicæ linguæ operam dare nunc primum vult. Quam ob rem rectius egisses Kieslingi, si latina lingua ea tradidisses, quæ tu ex eo Scriptore didicisti; si tamen didicisti: quis enim tibi credet homini glorioso, & Lectori tam sæpe illudenti?

8 Ea, quam Trombellio applicas, argumentatio, digna tua sinceritate est Kieslingi. Non sic disputat Trombellius, ut tu illum disputare ais. Si integra illius verba attulisses, non amputata, detruncataque, vidisses *aptissime*, non quod tu [quæ comitas tua est] ais, *parum consideratе* Bernardi verba attulisse. Num vero locum Augustini adversus Parmenianum disputantis *arrodat*, ut tu quidem humanissime ais, an rectissime explicet, dijudicabit Lector: neque enim me eo deduces, ut tecum jurgiis, aut maledictis certare velim. Et hæc quidem ad ea, quæ tu argumentationi Trombellii reponis, dicta sint hactenus: quid enim adiiciendum est mihi, ut te refellam, si nihil affers quo Catholicorum, atque in primis Trombellii disputationem impetas, nisi jurgia, ac convicia?

9 Convertendus est autem sermo ad ea quæ adiicis, seu ut tuis utar præclaris verbis, *ad natales Internunciorum, & Mediatorum in Romana Ecclesia* [a]. Tu quidem eam ex Platone, & Platonicis etuis, multaque indicas Platonis, Platonicorumque monita, quæ te judi-

(a) §. III. pag. 260.

Digitized by Google

judice plane cum iis conveniunt, quæ nos edocemus: præsertim vero id affers, quod de Geniis, seu ut Platonicorum voce utamur, *de Diis* referentibus Dei monita ad nos, nostras autem preces ad Magnum, supremumque Deum, idem Plato cum suis docuit, multaque affers in eam rem. Sed certe minime probas Christianos eam, quæ illis inest, de Sanctorum, atque Angelorum intercessione persuasionem hausisse a Platone & Platonicis: indubitatum est quippe Patres, cum Angelorum & Sanctorum intercessionem inculcant, nunquam citasse Platonem, & Platonicos, sed Scripturam, quod de Hilario & Zenone vidimus: facile autem id ipsum aliorum Patrum auctoritate ostendere possemus, si opus foret. An vero putas ita Platoni obsecutos fuisse Patres, ut illius placita sine selectu exciperent, ac profiterentur? immo contra sententias illius omnes ante expenderunt, quàm amplecterentur: scientes scilicet ex Platonis Philosophia errores fortasse non paucos in Ecclesiam irrepsisse, sic ut Tertullianus veritus non sit Platonem *Hereticorum condimentarium* appellare. Restat ergo ut dicamus, non a Platonicis, sed (quod iam dixi) a Scripturis, ea quæ de Sanctorum intercessione tradiderunt, & a majorum traditione excepisse: indubitatum est quippe tum Hebræis, tum etiam Christianis veteribus eam, quam tuemur, inhæsisse sententiam; quod facile probasset, nisi & Trombellius id copiose egisset, & ego quoque superioribus capitibus ostendissem.

10 Novi equidem Eusebium Platonicorum hac in re consensum etiam exposuisse. Novi Augustinum professum fuisse aliquando se Platonis, ac Platonicorum opiniones libentius excipere, quod illæ propius Ecclesiasticis sententiis accedant. At aliud est, ad comprobandam adversus idololatras novitatis accusantes Christiana dogmata, vetustatem, & probabilitatem eorundem dogmatum, ostendere eorum cum Platonica Philosophia consensionem: aliud est dogmata nostra ex ea derivare. Primum Eusebius præstitit, non secundum. Quando porro Augustinus propius accedere dixit Christiano dogmati Platonis placita, verissime id dixit: non modo quia *relative* id dixit, comparans scilicet Platonis Philosophiam cum Philosophia Epicuri, & Zenonis, & similium Magistrorum; verum etiam quia multa revera habet Plato dogmatibus nostris aut communia, aut certe affinia. Etenim Plato, & Platonici Spiritus admittebant, eorum quoque discrimina, & classes, & munia; divina quoque providentia cuncta regi docebant, nec Divinarum Personarum Trinitatem excipere recusabant. Errabant quidem in Divina providentia explicanda, quod Angelos ad supremum Deum, veluti nescium nostra deferri dicerent: & Trinitatis mysterium ita describerent, ut tres Monades essentia distinctas traderent. Sed licet in explicatione errarent, dogmata tamen ipsa admittebant. Ii porro Catholicæ veritati magis accedunt, qui dogma admittunt, tam & si in eo explicando deficiant, quam ii qui dogma ipsum negant.

11 Porro dum Auguſtinus docet Platonicam Philoſophiam ad Chriſtianam Religionem magis accedere, aperte indicat cum Chriſtiana religione omnino non conſentire. An dicemus eum unice id agnoviſſe? Minime vero: neque enim tam imperiti erant Patres, ut noſtra dogmata plane non noſſent. Quod ſi agnoverunt, quis ſibi perſuadebit, eam, de qua agimus, opinionem ſine ſelectu hauſiſſe a Platonicis: quaſi platonicam philoſophiam tradidiſſet illis Spiritus Sanctus, quem unicum Eccleſiæ doctorem fatebantur? Quid? quod interceſſionem ad eum modum explicatam, quo Patres explicarunt, difficile a Platonica hauries Philoſophia: Angelos enim ad Deum referentes noſtra, & divina ad nos facile edifcimus: at Angelos noſtra Deo commendantes, noſtriſque precibus ſuas adjungentes, minime edifces: multo minus edifces Sanctorum hominum vita functorum, & cæleſti beatitudine fruentium precibus exoratum Deum beneficia multa nobis conferre.

12 Quæcunque ergo de platonica philoſophia, quæcunque de Patribus illi adhærentibus doces, parum apta ad id, de quo agimus, ſunt: Non quo non poſſem accuſationem tuam, qua Patres *Platoniſmi labe infectos* ais, facile repellere, cum eam ſumma cum laude repulerit Baltus, quem tu ipſe allegas, ſed quod illaudabile eſt ab eo de quo agimus argumento, niſi neceſſitas popoſcerit, aberrare. Mihi porro ſatis eſt oſtendiſſe, Cœlitum interceſſionem, de qua hic diſſerimus, ex Platonica Philoſophia minime hauſiſſe Patres: Neque enim (ut tuis elegantiſſimis phraſibus utar) aut tu, aut alius quiſpiam *ad oculum id demonſtravit* [a], aut *ad liquidum deduxit* (b).

13 Excurrit porro Kieslingius (c) ad recenſendam ſeriem eorum Sanctorum, quos peculiares præſides colere ſolemus; eaque ipſa fere ſunt, quæ deinceps ille (pag. ſcilicet 303) rurſus inculcat: quæque jam Trombellius pag. 315 & 316 plane diſſolverat: quorum partem aliquam a reliquis, ut ſolet, præciſam, ideoque valde deficientem ab ea forma ac ſpecie quam dedit illi Trombellius, affert, ut Lectori illudat, Kieslingius. Hoc tantum hic noto, ad ea diſſolvenda, quæ cenſor noſter attingit adverſus Sanctorum invocationem [nam huc etiam ille excurrit], neceſſe non eſſe, ut vera ſint miracula omnia quæ Sanctis tribuuntur: poſſunt enim quædam temere alicui Sancto tribui, poſſunt etiam nonnulla fingi: & idcirco in miraculis dijudicandis cautiſſima Eccleſia eſt: ſed ſatis eſt, ſi noverimus preces noſtras ad Sanctos

[a] *Quod ſumme Venerabilis, & immortalis memoriæ Theologus Abbas Moſhemius magno cum judicio de variis Patribus ad oculum demonſtravit.* Pag. 263.

[b] *Patres enim his Platonis principiis imbuti, hanc de Sanctorum interceſſione doctrinam in Civitatem intulerunt Chriſtianam: quod vir inſignis eruditionis Cel. Ger. Joan. Voſſius ad liquidum deduxit.* Pag. 264.

[c] Pag. 262.

Digitized by Google

ctos directas exaudiri posse, & solere, si probabiles sint (*rataſque reddit, quas videt probabiles*) [a]. Neque pariter necesse esse ad eandem invocationem comprobandam, ut Deus constituerit Sanctos aliquos in aliqua mortalium indigentia patronos: satis nempe est, ut sciamus, preces Sanctis fusas ob beneficia impetranda a Deo (*quem unicum noſcimus miraculorum auctorem, ſupremumque beneficiorum largitorem* [b]) eventu non caruisse. Non constat quidem, num Apostoli in primitiva Ecclesia ad peculiarem aliquem morbum fugandum constituti sint patroni: sed neque constat, id minime fuisse factum: neque enim scripta sunt omnia, quæ facta sunt, & eorum ipsorum, quæ scripta erant, pars major periit, temporis edacitate & Tyrannorum rabie: non personas tantum, sed monumenta ipsa insequente: neque necesse est, ut expressissima hujusce moris exempla habeamus, sed satis est, ut generalia quædam aut exempla, aut monita relicta sint, quæ nobis indicent, quid utiliter, & cum laude actum sit, & agatur.

14 Ad hæc: temere Catholici impetuntur, quasi morbis aliquibus sanandis, aut alicui personarum generi præfecerit Sanctum aliquem Romana Ecclesia. Audeo dicere: nullam extare definitionem, nullum Ecclesiæ decretum, aut monitum, quo hæc Protestantium accusatio probetur. Nimirum Ecclesia Romana sinit, ut quisque quos vult, & quando vult invocet Sanctos, dummodo eos invocet, qui re vera Sancti sint, rectumque sit quod expoſcitur. Aliquorum ergo devotione, & pietate, & consuetudine invaluit, ut Sancti aliqui in aliquo morbo, aut indigentia invocentur, sive quod eodem morbo, dum viverent, laborarint iidem Sancti, ad quos propterea confugimus, quod nobis persuadeam is facile miserturos eorum, qdos iisdem ægritudinibus, dum viverent, fuisse obnoxios sciunt, sive quod aliunde noverim is, iis, qui eodem morbo, aut indigentia laborantes ad eundem Sanctum confugerunt, fuisse id collatum quod poſcebant.

15 Potuere etiam singulares personæ, aut aliqui Fidelium cœtus sibi Sanctum aliquem Patronum eligere, eadem prorsus ratione moti, qua Sanctum aliquem sui Patronum Civitates non paucæ elegere. In eo autem delectu potuit partes aliquas habere aut sanguinis affinitas, aut communis Civitas, aut ejusdem etiam disciplinæ professio. Hinc mirum non est, si Medici Cosmam & Damianum nobiles Medicos Patronos elegerint.

16 Hęc porro, & affinia alia neque Christi intercessioni, neque mediationi quidquam obsunt, ut ea quæ nuper allegavimus ex Trombellio liquido demonstrant; atque ea præsertim quæ Capite XXVIII is tradit.

17 Sed rursus excurrit Kieslingius noster, & §. IX exponere satagit, quam levi pretio Dii Domestici, seu Lares haberentur apud Romanos,

(a) Prudentius. (b) Vide cap. 18. Dissert. III Trombellii pag. 186, & 187.

Digitized by Google

nos, cujus quidem moniti sui vadem esse vult Tertullianum. Ex his vero occasionem desumit carpendi Catholicos, hæc subdens. [a] *Falleris, si Sanctis internunciis in Romana Ecclesia majus statueris pretium. Sancti, eorumque effigies ari impressa, & reliquiæ adhuc Romæ prostant. Oppignerantur, & venditantur.* Tum nos comparat cum Dionysio juniore Tyrano, *qui cum auream vestem Jovi abstulisset, jussit eum indui lana, facete dicens eam aurea esse meliorem, ut quæ esset æstate levior, & hyeme calidior.* „ *An tiocbus autem Cyzicenus, cum egeret pecuniis, Jovis auream statuam, quæ* „ *erat magnitudinis quindecim cubitorum, fundi jussit, & ex alia viliori mate-* „ *ria statuam illi similem laminis inauratam, rursus reponi*„. *Venditantur Romæ insigniores Sanctorum imagines, & ignobiliores apponuntur.*

18 Sed quid hæc Kieslingi doctissime cum eo, de quo agimus, argumento? An ad intercessionem pertinent ista? An hæc ad eam pertinent quæstionem, quam agitamus, num scilicet *injuriosa* sit Christo Sanctorum *suffragatio atque adjumentum?* An nos ex vulgi apud Gentiles more ad ritus nostros asserendos argumenta desumimus? An etiam non falleris, dum censes putasse Gentiles, Semideos & Lares *internuncios* esse dicendos? Geniis quidem, si vis, munus hoc dabant, secuti scilicet Platonicam Philosophiam; sed Laribus munus id tribuisse minime ostendes. Quamquam id ipsum, quod tibi probandum assumis, scilicet *levissimo in pretio apud Gentiles fuisse hos Genios, Semideos, Lares, & Internuncios*, revera non ostendis. An Saturnum, an Minervam inter Genios, Semideos, Lares, Internuncios annumerabis? Nihil minus: erant enim aut supremi, aut supremis eorum quidem judicio proximi Dii. Tamen Minerva, te ipso referente, & Tertullianum allegante, aliquando in *Trullam*, Saturnus in *Cacabulum* contriti commutabantur, [b] sic ut pateat, non eos tantum, quos tu Internuncios appellas, sed Deos omnes levissimo in pretio fuisse habitos apud Gentiles.

19 Sed tibi paranda erat via ad Catholicos redarguendos: aptissimam vero putasti viam, quam tibi Ethnicorum exempla præbuerunt. Utcumque sit, temere porro Catholicos redarguis, quod Sanctos [idest eorum reliquias & imagines] vendant. Reliquiæ omnino non venduntur. Sanctorum porro imagines vendi possunt eo pretio, quod exposcit materia, ex qua fiunt, & operis elegantia, atque artificis labor. An nullum percipere fructum ex sacro opere poterit, qui amplissimum percipere poterat ex profano? Hæc dicta sint ad paragraphum tuum IX, quem dum ita claudis: *Venditantur Romæ insigniores Sanctorum imagines,*

---

[a] Exerc. 17. pag. 267. (b) Tertulliani verba ex Apolog. cap. 13. a Kieslingio allegata hæc sunt: *domesticos Deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis, pignerando, venditando, demutando. Aliquando in caccabulum de Saturno, aliquando in Trullam de Minerva, ut quisque contritus, atque contusus est, dum diu colitur, ut quisque Deum sanctiorem expertus est domesticam necessitatem.*

nes, & ignobiliores apponuntur, quid significare volueris, fortasse tu scies: quid re vera significes, nondum novimus.

2o Sed quasi hactenus extra viam evagatus non fuisset Kieslingius Catholicorum omnium egregius censor, alio rursus excurrit, & de Sacrarum reliquiarum donationibus, & translationibus sermonem instituit. Id sane ad id, quod agimus, nihil pertinet, sed tamen huc intrudere vult Censor noster, veritus scilicet, ne liber ad eam molem excrescceret, ad quam excrescere vult. Si dissertationem VII, & VIII Trombellii expectasset, vidisset profecto ea exposita, & vindicata a Trombellio; sed noluit Kieslingius aptissimam, illius quidem opinione, occasionem praeterire, quae illi praebebatur ad Romanam Ecclesiam distringendam, & terminandam hac praeclarissima conclusione Exercitationem suam, quae summos illi plausus procul dubio in Schola excitavit. [a] *Novi denique excogitantur Sancti, ut homines a natura curiosi novitatis studio illiciantur, & suos pleno gurgite profundant sumptus. Hae sunt illa Romanae Ecclesiae in Sanctorum cultu portenta, a prudentioribus omnino deridenda.* Quasi novos Sanctos temere excogitaret Ecclesia, & non potius cautissime & diligentissime expenderet eorum Acta, quos eximia pietas persuadere videtur Sanctorum titulo esse decorandos, & iis expensis non decerneret, num revera eo decorari debeant, an non. Sed cur non potius ex iis ipsis quae describit ille, non concludit summum in modum jugiter caviisse Romanam Ecclesiam, ne in Sanctorum cultum irreperet fraus? nam Kieslingio fatente inter eas causas, ob quas synodus Lateranensis *nudas reliquiarum ostensiones vetuit*, non ultimum occupat locum, ne detur occasio auferendi, & falsas *pro veris supponendi*. Cur non concludit summam curam reliquiarum suarum habuisse Sanctos, quando quidem eo referente [b] Sanctus Benedictus noluit reliquias corporis sui, & S. Scholasticae apud eos remanere, qui eas impio furto Cassino subduxerant?

AD

(a) Pag. 271. (b) §. XI. pag. 270. & 271.

AD EXERCITATIONEM XVIII.

in qua, ut inquit Kieslingius.

Generalis Sanctorum deprecatio vindicatur.

CAP. I.

1 PRævidit fortaſſe Kieslingius conqueſturum eſſe Trombellium, quod, dum ſe reprehendere ſtudet, a via deflecteret, & huc illucque divertens impudenter evagaretur. Ne Lipſienſes Kieslingii fraudem adverterent, criminationem regerit in Trombellium, illumque accuſat, quod a propoſito deflectat, & ſtatum controverſiæ immutet. (*a*) *Statum controverſiæ* (inquit eximius Trombellii Cenſor) *Vener. Abbas iterum deſerit, & peſſime confundit. Nos univerſalem aliquam Sanctorum Angelorum & beatorum pro tota Eccleſia admittimus interceſſionem, & eam minime fidei contrariam eſſe dicimus, ſpecialem autem negamus. Hæc duo confundit Ven. Trombellius. Res eſt indubitata Sanctos ſuas pro Eccleſia militante fundere preces. Non enim eos in letbargo quieſcere, & omnium operationum expertes eſſe ſtatuimus. Quæ igitur nobis obiicit argumenta, a ſcopo diſceptationis ſunt aliena* „ *Verba Apocalypſ. cap. VII. v.* 11 *opponit, quæ ita ſtnunt: &* „ *dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc modicum tempus, donec com-* „ *pleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut* „ *& illi: Et re vera poſt breve tempus punitos fuiſſe Sanctorum inſecu-* „ *tores, ex eo noſcis, quod mox ſancti invitantur, ut lætentur. Propte-* „ *rea lætamini Cæli, & qui habitatis in eo.*

2 Egregie dictum Kieslingi mi! Egregie [inquam] dictum: Vereor tamen ne quiſpiam me humanior te notiſſimis illis vocibus interpellet. *Putas ne intelligis quæ legis?* Ne iraſcaris quæſo Kieslingi ad voces has, quaſi ego de viro (ſi tibi credimus) celebratiſſimo minus recte ſentiam. Age obſecro, ſciſne quænam Trombellius ſcripſerit cap. XXXIV hujus ipſius Diſſertationis III? Ecce illa. *Oſtenditur, non modo pro tota Eccleſia, ſed pro individuis etiam perſonis, & indigentiis orare, & a Deo beneficia ſuis precibus impetrare Sanctos. Sanctos intercedere probavimus Lactens: qua in re nobis fere aſſentiuntur Lutherani, & fortaſſe etiam Calviniſtæ. At in eo plurimum diſſident, quod ii generatim, & pro Eccleſia univerſa intercedere volunt, minime vero pro ſingularibus perſonis; contra Catholici non tantum generatim, & pro Eccleſia univerſa intercedere volunt, verum etiam pro ſingularibus perſonis, & cætibus, præſertim ſi bi Sanctos deprecentur & invocent. Hinc propterea* ſpe-

(*a*) pag. 272. §. 1.

ſpectant ea fere omnia, quæ pro invocatione Sanctorum aſſeveranda afferemus: ea quoque quæ adducemus ad Sanctorum cultum firmandum, non modica ex parte pertinent: aliqua quoque portio eorum, quæ afferam, quum de cauſis nos ad colendos Sanctos impellentibus diſſeram, non temere huc transfertur. Sed ne longius abeam, Sanctos non modo univerſæ Eccleſiæ, ſed etiam ſingularibus perſonis, & cœtibus adeſſe, opemque ferre, eaſque multa ad Deum prece fuſa adjuvare, illa ipſa ſane comprobant, quæ proxime ſuperioribus capitibus ad interceſſionem Sanctorum generatim demonſtrandam allegavimus. His conſtitutis, probationes thematis ſui Trombellius aggreditur: quas hic repetere neceſſe non eſt: cum tu non eum accuſes, quaſi minus recte probaverit, quod ſibi probandum propoſuit, ſed quod *ſtatum quæſtionis* deſerat, confundatque, Lutheranorum ſcilicet ſententiam ignorans. An ſtatum quæſtionis deſerit, confunditque, quæve Lutheranis opinio inſit, ignorat, qui ad eum modum loquitur, quo Trombellius?

3 Scis Kieslingi quis *ſtatum quæſtionis deſerit, & peſſime confundit?* Tu Kieslingi mi. Audax tibine videor? Audi. Ais verba illa Apocalypſeos, quæ retuliſti, adverſus Lutheranos fuiſſe allata a Trombellio: tum hæc ſubiicis: (*a*) *Verba Joannis de animabus piorum Martyrum ſunt accipienda. Nemo noſtrum negat, eas, in ſtatu feliciſſimo eſſe conſtitutas, quod per albas ſtolas verſ.* 11. *inſinuatur. Effatum, quod adduxit Vener. Abbas, adeo planum & perſpicuum eſt, ut nos non deſtituat regerendi ratio: In fronte ſtatim monendum eſt, has Sanctorum animas, non tam pro aliis, quam pro ſemetipſis, orare, quod ex verſu immediate antecedenti* 10. *colligitur: et clamabant voce magna dicentes:* „ Quo„ uſque, o, qui es Dominus Sanctus, & verax non judicas & vindi„ cas Sanguinem noſtrum ab iis qui habitant in terra. „ *Ex his igitur verbis apparet, hos Sanctos non pro aliis, ſed pro ſua ſorte Deum implorare, ut ab hoſtibus Eccleſiæ Chriſtianæ vindicias ſumat. Non erant hæc a Ven. Abbate prætermittenda, ſed accurate expendenda ut optime tradit Cel. Chamierus. Donabo vero viro venerabili, hanc, quam ſeligit interpretationem. Nemo noſtrum negat orare animas pro fratribus, qui in terris degunt, & variis rerum diſcriminibus ſunt obnoxii. Sed id quæro: num pro individuis orent? Hoc ex noſtro oraculo non probatur, ſed orant, ſi ſententia Romanenſium eſt indulgendum, pro Eccleſia militante, ut fratres, & milites Jeſu Chriſti erumnis & calamitatibus eripiantur, & ipſis ſocientur. Planum itaque eſt, has Martyrum animas orare in univerſum pro Eccleſia militante. Sed inde nondum ſequitur, individua & ſpecialis Sanctorum deprecatio. De hac inter nos diſceptatur. Reſpondetur his animabus clamantibus:* „ Et dictum eſt iis, ut requieſcerent adhuc pau„ liſper, donec plenus eſſet numerus etiam conſervorum eorum atque „ fratrum, qui interficiendi eſſent, ut & ipſi v. 11. „ *Non penitus refuſa ſunt ipſorum preces, quod palam eſt: Sed ipſis mandatur, ut ſe*

(*a*) Pag. 272. §. 2.

aliquantiſper dent in quietem, donec ſedatis undique vexationum procellis, fideles ad commercium ipſorum veniant, ac beatitate cum iis fruantur; hoſtes autem Eccleſiæ ſubvertantur.

4 Tamen Kieslingi mi dum hæc ais, perſpicue oſtendis te minime intellexiſſe quæ Trombellius tradidit. Nimirum Trombellius ex veterum Waldenſium, aliorumque eos ſequentium ſententia locum hunc ſibi objecerat, quo quidem iidem Waldenſes abutebantur, ut oſtenderent fieri omnino non poſſe, ut Sancti intercederent. An non vera narro? Quoniam cogis, recolamus obſecro quæ Capite XXVII. quod tu allegas, ait ille (*a*). En capitis titulus. *Depulſio cavillationum, & argumentorum, quibus Sanctorum interceſſio ex eo propterea oppugnatur, quod impoſſibilis judicetur.* En vero Caput ipſum. *Qui Catholicorum nomen jure, meritoque profitemur, non ſolum a veteribus Waldenſibus, verum etiam ab aliis adverſariis incuſamur, quod Sanctorum interceſſionem retinentes defendenteſque, rem planè impoſſibilem retineamus, atque defendamus. Quod ſi impoſſibilitatis hujus fundamenta ut adducant, expoſcimus, duo argumentorum genera exponunt, quorum quidem ope Sanctorum interceſſionem impoſſibilem eſſe, demonſtrare ſe putant. Utrumque exhibeo. En primum. Certo noverunt Sancti, preces pro ſe Deo oblatas minime acceptas illi eſſe; quippe qui eaſdem preces averſatur. Impoſſibile eſt ergo, ut fundant pro aliis; ſi enim Deo diſplicent preces fuſæ pro illo ipſo qui orat, diſplicebunt quoque eæ, quas pro aliis fundet. Tum vero fieri omnino non poteſt, ut fundant. De antecedente ſi dubitas, ſtatim allego caput VI. Apocalypſis: quippe in eo edocemur, quod enixe Deum deprecantibus Sanctis ut ulciſceretur ſanguinem eorum ab impiis effuſum; hæ preces repulſæ ſunt.* Et dictum eſt, ut requieſcerent. „ His poſitis audes dicere locum hunc Apocalypſis a Trombellio, & Catholicis reliquis tibi objici? O vere mirabilem Kieslingi ſapientiam, qui objectiones a probationibus non ſecernit! Sed te adhuc ſequamur Kieslingi.

5 Tu dicis: *has Sanctorum animas, non tam pro aliis, quam pro ſemetipſis orare, quod ex verſu immediate antecedenti 12. colligitur: & clamabant voce magna, dicentes:* Et reliqua, quæ ex te nuper retuli (*b*), & hic recolere neceſſe eſt. An hæc iis obſunt, quæ tradidit in hoc ipſo quod tu allegas capite XXVII. Trombellius? Minime vero. Sed potius plane conveniunt. En rurſus Trombellii verba: *[e] primum ex Apocalypſi deſumptum minime oſtendit, repulſas fuiſſe Sanctorum preces, ſed tantum iis exaudiendis breve tempus indictum eſſe. Conſtat id ex ipſiſmet verbis objectis; quippe ſi integra leguntur, talia ſunt.* „ Et dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc modicum tempus, donec compleantur & conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi. „ *Et revera poſt breve tempus, punitos fuiſſe Sanctorum inſecutores, ex eo noſcis, quod mox Sancti invitantur ut lætentur.* „ Propterea lætamini cœli & qui habitatis in eo. „ *Cauſa vero lætitiæ hujus, verbis proxime præ-*

ce-

(*a*) pag. 178. (*b*) n. 3. (*c*) Pag. 179. n. 11.

cedentibus deſcribitur? vimirum caſus Draconis, & triumphus Sanctorum, qui vicerunt eum propter Sanguinem Agni ..... & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem. *Quid quod verſ.* 4. *cap.* 15. *hæc canentes Sancti deſcribuntur?* „ Quis non timebit te, Domine, & magnificabit „ nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, „ & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt. „ *Iterum verſ.* 20. *cap.* XVIII. Exulta ſuper eam [*Babilonem*] Cælum, „ & Sancti Apoſtoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Dominus judi- „ cium veſtrum de illa. „ *Denique in ipſo initio Capitis* XIX. *deſcribitur plauſus, & lætitia quæ in Cælis reſonuit propter pœnas ſumptas ex Babilone: quippe tum Deus vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus. Quis vero hæc legens non agnoſcet exauditas eſſe voces Sanctorum, qui vindictam expoſcebant a Domino?*

7 Quæ ergo, & antea, & deinceps ita congeris, ut oſtendas minime inferri ex eo teſtimonio rogare Sanctos pro individuis perſonis, inopportuna ſunt. Quis ex eo teſtimonio infert rogare Sanctos pro individuis perſonis? Nemo plane. Cur ergo fingis ſic inepte diſputaſſe Trombellium? Cur non potius impetis Caput XXXIV. in quo, uti dixi, hoc ſibi propoſuerat, ut oſtenderet: [a] *Non modo pro tota Eccleſia, ſed pro individuis etiam perſonis, & indigentiis orare, & a Deo beneficia ſuis precibus impetrare Sanctos.* Quod quidem Caput Exercitatione tua XXIII. ita excipis, ut titulum tantum afferas, probationes omnino non attingas, ſed ſtatim ad alia tranſvoles. Sed Lipſienſibus victus proſtratuſque deſcribi debuerat Trombellius, illiuſque nomini ac famæ inſultandum. Quid tamen conſequeris Kieslingi? ut plauſum quidem apud tuos Trombellii diſputationem ignorantes obtineas, (ſi tamen obtines, neque enim tui ſimiles Lipſienſes omnes ſunt): contemptum autem & deſpicientiam apud viros cordatos, & probos, qui dum tuas Exercitationes cum Diſſertationibus Trombellii comparant, te manifeſtum falſarium deprehendunt. Hæc tamen minime curat Kieslingius, dummodo Exercitationem hanc ſuam præclaro hoc epiphonemate concludat. [b] *Proſtrato itaque hoc errore, labaſcunt reliqua, quæ ex Patribus corradit, ſententiæ ſuæ adminicula. Nam Patres, quos allegat, has preces Martyribus, pro univerſa Eccleſia ſæpius ſæpiuſque attribuerunt, quod citra veritatis noſtræ jacturam admitto.*

[a] pag. 275.

AD EXERCITATIONEM XIX.

Cui titulum hunc Kieslingius tribuit:

De levidensi Romanensium in percipiendis per Sanctos beneficiis subterfugio. (*a*)

CAPUT I.

1 HOc est capitis XXVIII. Dissertationis III Trombellii argumentum: [*b*] *Occasione desumpta ex eo objectionum genere, quod inexplicabilem esse contendit modum, quo nos possumus adjuvent Sancti, eundem modum explicare incipimus, & statim quærimus, a quonam accipiamus beneficia, quæ a Sanctis poscimus.* Sic porro Censor noster adversus Trombellium insurgit. (*c*) *Novo utitur pigmento Ven. Abbas, ut errorem de donis per Sanctorum intercessionem accipiendis incrustet. Movet enim in hoc capite quæstionem:* „ *a quonam* „ *accipiamus beneficia, quæ a Sanctis poscimus? Mortales accipere a Deo* „ *per Sanctos, veluti per canales beneficia, ipsi est persuasum.* „ *Certum reor* [*inquit*] *a Deo Sanctos impetrare, obtinereque nobis beneficia, quæ fideles a Sanctis expoſcunt: neque enim auctores ipsi sunt,* „ *sed deprecatores. Hoc apertissime intelligimus ex Augustino, qui num.* „ *7. Sermonis sexti de S. Stephano hæc eloquitur: ille tamquam servus* „ *orat non ergo credamus, superbum esse Stephanum cum putamus, quia* „ *virtute sua facit quod facit: Per conservum beneficia sumamus, bonorem* „ *& gloriam Domino demus.* „ *Canales itaque, ut ita loquamur, Sancti sunt, fons beneficiorum Deus ipse est. Ulterius mentem prodit, his verbis:* „ *sic interpretor illa Prudentii carmina.*

„ *Denique doctor humi est: idem quoque martyr in supremis*
„ *Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.*

Tum nonnulla referens & ejusdem Prudentii, & hymnorum Ecclesiæ adducta a Trombellio carmina (neque enim omnia adducit), ad hunc modum concludit. „ *Quibus verbis probabilem & dicta sua, & dicta Sanctorum Patrum, qua videntur aliquid multo majus Sanctis tribuere, interpretandi rationem præbet* „. Quibus quidem verbis veluti cuncta, quæ Trombellius capite XXVIII. tradidit, dissolvisset, statim transit ad XXIX. ca-put. (*d*) *subjungo statim præcedenti sequens caput.*

2 Quamvis porro videatur Catholicæ Ecclesiæ, ideoque Trombellii sensa Kieslingius exponere, revera tamen non exponit, sed nobis imputat opinionem, a qua alienissimi sumus. Quis e Catholicis ait: *Dona per Sanctorum intercessionem accipienda esse?* Quis e Catholicis pariter

[*a*] pag. 275. (*b*) pag. 285. (*c*) pag. 275. §. 1. (*d*) pag. 277. §. 2.

Digitized by Google

riter docet *mortales accipere a Deo per Sanctos veluti per canales beneficia?* quasi Deus non posset ipse per se dona elargiri, nosque ab eo immediate accipere non possemus: sed deberet per Sanctos nobis ea elargiri, quæ elargitur. Dicimus itaque, & hoc tantum Trombellius docuit: beneficia non cuncta, sed *quæ a Sanctis poscimus*, accipere nos a Deo veluti auctore, & hæc tantum, non omnia, per Sanctos veluti per intercessores, & si loqui ita volumus, per canales accipere. Adhibuit scilicet Trombellius phrasim hanc, quam ego quoque adhibeo: Canales itaque, *ut ita loquamur sancti sunt, fons beneficiorum Deus est.* Sed cum phrasim hanc Trombellius adhibuit, cum eam ego quoque adhibeo, coarctatur quæstio ad ea beneficia quæ *per Sanctos poscimus*, non ampliamus ad beneficia omnia. Tu tamen Kieslingi mi, ita Trombellii, adeoque Catholicorum omnium opinionem refers, quasi ii docerent, quæcumque a Deo obtinent, non obtinere nisi per Sanctos.

3 In hoc itaque peccas, nec leviter peccas, Kieslingi, quod opinionem a nostra remotissimam Trombellio, & nobis omnibus imputes. Sed in eo etiam peccas, quod statum quæstionis minime exponis. Statum quæstionis in titulo, quem jam recitavi, Trombellius quidem exposuit, sic ut hic non quæratur, num *Deus* per *Sanctos beneficia omnia impartiatur nec ne*, quod tu quidem, sed falso ac temere ais: sed quæratur: *a quonam accipiamus beneficia, quæ a Sanctis poscimus?* & de his uti dixi, pronunciamus, accipi a Deo veluti auctore, per Sanctos, veluti intercessores: neque enim, ut verbis ipsis Trombellii utar: *auctores ipsi sunt, sed deprecatores & impetratores.*

4 Id porro non modo ex Augustino, sed ex Tridentino ipso, Catholicorum omnium sententiam exponente, Trombellius assecutus est. Docuere scilicet Episcopi in eo coacti [a] *eos* (Sanctos) *una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre ..... ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Dominum nostrum ..... per quæ* [corpora Sanctorum] *multa beneficia a Deo hominibus præstantur &c.* Hinc duo eruit veluti Corollaria Trombellius: quorum primum est: b] *perperam impeti Catholicos, quasi Deum tremant, & nihili æstiment, omnem spem suam collocantes in Sanctis. Vah impudentissimam vocem! omnino id a vero aberrat, & nos a Deo recepturos speramus id, quod ut obtineamus, deprecamur Sanctos. Nimirum non auctores, sed uti dixi, intercessores agnoscimus beneficiorum, quæ ut a Deo impetrent, non ut auctores conferant, eos oramus.* Alterum est: *Ad hunc modum esse accipiendas quasdam locutiones non recentiorum modo, verum & antiquissimorum Doctorum, qui videntur largitores efficere beneficiorum, non tantum impetratores, Sanctos. Scilicet revera auctores non agnoscebant, sed adeo illorum impetrationi fidebant, ut certo sibi pollicerentur, se se obtenturos, quidquid ipsi Sancti a Deo peterent.* In eam explicationem Chrysostomum, Prudentium, aliosque Patres af-

[a] Sess. 25. *De Invocatione &c.* (b) Tromb. pag. 187.

fert, eadem scilicet prorsus tradentes quæ antea is docuerat: quibus recitatis ad hunc modum caput XXVIII. concludit. (a) *Atque ex his sane verbis, quid precibus suis a Deo, quidque a Sanctis petat Ecclesia, apertissime innotescit. Ceterum novum non est, eum rei alicujus appellari auctorem, qui auctor illius non est, sed tantum cooperator, & adjutor. Nonne is dicitur reo vitam donasse, qui vitam reo non donavit, sed precibus impetravit a Principe? Id profecto ceciam indicat Augustinus, cujus verba ut hoc loco exscribam, eorum præstantia compellit.* (b) „ Nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem: „ venit alius, defendit eum: gratias agens quid dicit? Eruisti ani„ mam meam de carcere. „ *Atque ut Scripturarum exemplis utar, nonne Apostolus Paulus se salvos facturum esse illos dixit* (c) *, quos revera salvos facturus non erat, sed tantum eorum saluti cooperaturus? Et rursus, non ne omnibus se omnia factum esse ait, ut omnes faceret salvos* (d)*? quum tamen certo nosset se neminem salvare posse, neque eum qui plantat esse aliquid, neque eum qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (e)*. Itaque propterea se alios salvos facere & optat, & ait, quod adjutor Dei esset, ut scribens ad Corinthios, quos* Dei agriculturam & ædificationem *esse inquit, se se appellat; eorum nempe saluti cooperabatur* [f] „ Minister fa„ ctus Evangelii, & adimplens ea, quæ desunt Passionum Christi „ in Carne sua pro corpore ejus, quod est Ecclesia. „

5 An hæc refutavit, an saltem hæc retulit Kieslingius? Nihil minus. Is tamen, quasi ea implesset omnia, quæ egregii censoris munus exposcit, statim transit ad subsequens caput, idest ad XXIX. in quo scilicet quæritur. (g) *Per quem Sancti impetrent*: an scilicet *ipsi per se, an alterius ope & interventu. Ea porro* in eo *argumenta recenseantur, quibus permoti nonnulli putant, Sanctos a Patre ipso immediate, interdum saltem petere; tum alia, ob quæ plerique arbitrantur, eos a Christo Patrem deprecante exposcere & impetrare.* Ita autem hæc exponit Kieslingius. [b] *Subjungo statim præcedenti sequens caput, in quo quæstionem enodat, an Sancti per se, an alterius ope & interventu, opem pro nobis impetrent. Pro more suo titubat, & hinc inde se vertit. Primo concedere videtur, Sanctos, vi intercessionis Jesu, Patrem orare, & nostras res ipsi commendare.* „ *Si Scripturam, inquit, consulas, Christus solus est, qui Mun„ dum reconciliavit in gratiam Dei, nobisque promeruit gratiam, & glo„ riam, & quæcunque saluti æternæ obtinenda necessaria sunt.* „ *Rem a* iterum variis versiculis Prudentii de Sancto Vincentio probat.

„ *Miserere nostrarum precum*
„ *Placatus ut Christus suis*
„ *Inclinet aurem prosperam*
„ *Noxas nec omnes imputet.*
„ *Adesto nunc & percipe*
„ *Voces precantum supplices*
„ *Nostri reatus efficax*
„ *Orator ad thronum Patris.*

La-

---

[a] pag. 189. [b] In vers. 13. Psal. 85. n. 18. [c] Rom. 11. v. 14. (d) 1. Cor. 3. 7. (e) 1. Corin. 7. 9. (f) Colos. 1. 24. [g] pag. 190. [b] pag. 277. §. II.

Digitized by Google

Latet tamen iterum anguis ſub herba & dictum Chriſti fricat. Dixerat Jeſus ad diſcipulos „ In illo die in nomine meo petetis, & non dico „ vobis, quia ego rogabo Patrem pro vobis, ipſe enim Pater amat „ vos, quia vos me amaſtis & credidiſtis, quia ego a Deo exivi. „ Joan. Cap. XVI. verſ. 23. *In his verbis ſibi quod puer* in faba inveniſſe putat: namque verba in illo die, *pro lubitu rapit:* „ *Porro, inquit,* „ *ſi illum diem quem hic deſignat Chriſtus, eſſe velis diem mortem Apoſtolorum ſubſecuturum, id habeo quod opto: nempe novimus degentes in* „ *Cœlis Apoſtolos, ſi quid petierint Patrem in nomine Jeſu, certo conſe-* „ *cuturos: neque opus eſſe, ut Chriſtus oret Patrem. Si vero eſſe velis diem* „ *futurum, dum adhuc viverent, tum id argumentationem ſubminiſtrat* „ *quam appelles a pari, forte etiam a fortiori. Si enim adhuc in hac vita* „ *degentes impetrare a Patre ipſo poſſunt quæ petunt, cur non poterunt* „ *impetrare degentes in Cœlis? Opportuniſſima hic quoque eſt argumenta-* „ *tio Hieronymi. Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſ-* „ *ſunt orare pro ceteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quanto* „ *to magis poſt coronas, victorias, & triumphos?* = Qua veritate Venerat „ *Abbas verba.* „ Illo die petetis, *de morte intelligere poſſit, non* „ *video, quum ratio ſit plana Deum loqui de reſurrectione ſua, & ſpiritus* „ *Sancti effuſione; qui expectatus, exoptatuſque dies tenebras diſſipare, & clariorem Apoſtolis affundere debebat lucem.* Quam explicationem ſuppeditat *Theophylactus, ita ſentiens:* „ Poſt reſurrectionem cum ſe exhi-„ buiſſet vivum, per quadraginta dies, loquebatur eis de Patre, magis „ myſtica, & manifeſtiora. „ *Comprobat Cel: Calmetus, vir magnæ apud vos auctoritatis, hanc effati ſacri expoſitionem:* „ poſt reſurrectio-„ nem, *inquit*, meam, nihil ultra ex me quæretis: nulla erit ne-„ ceſſitas, preces mihi effundendi: quippe Pater meus vos voti da-„ mnabit. Statim ac ex eo aliquid in meo nomine petieritis: Amen, „ Amen, dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit „ vobis. Poſtquam in Cœlum aſcendero non erit vobis cauſa, cur cum „ *dolore me preſentem deſideretis. Hinc Spiritus Sanctus* vos erudiet, „ conſolabitur, tuebitur; inde Pater meus exaudiet vos, & quicquid „ ex eo petieritis tribuet. „ *Ne quid de celeberr. Friderico Adolpho Lampio dicam, qui per illum diem nobiſcum diem reſurrectionis intelligit. Nihil lucratur vir Venerabilis, ſi diem futurumintelligit; neque fortius aliquod, ex hac ipſa interpretatione elicit argumentum. Opportuniſſimam putat Hieronymi argumentationem quam affert:* „ *Si Apoſtoli & Martyres* „ *adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro ceteris, quando pro ſe adhuc* „ *debent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos.* „ *Ego admodum levem & infirmam eſſe ſtatuo hanc rationem; quia maxima vivorum & mortuorum eſt diſparitas. Apoſtoli vivi ſuarum fidelium noverunt calamitates, ſed defuncti deſideria illa ignorant. Preſentes Eccleſiarum conditionem viderunt, rebus autem humanis functi ſuas Eccleſias Deo commendarunt. Eccleſiis, quas condiderunt, jamjam devaſtatis, & Paganiſmo corruptis non præſunt, ſed illas Chriſto, ſummo Ecclæ-*

Digitized by Google

cleſiarum Epiſcopo tradiderunt. Quam plus oculis ſuis amavit Div: Apoſtolus Paulus Eccleſiam Philippenſem, Deo in precibus commendavit, Et preces fudit, hæc ſcribens; „ Gratias ago Deo meo, quoties veſtri ve„ nit in mentem, ſemper in omnibus meis ſupplicationibus, pro „ omnibus, cum lætitia ſupplicationem faciens. Philipp. 1. 3. 4. „ *Omiſit igitur hic div. Apoſtolus, ex Ven. Trombellii mente hæc: Oro quidem in hac fragilitate pro vobis, in terra degens, & vobis quævis bona a Deo Patre per Chriſtum impetro. Sed evectus in Cælum, longe efficaciores erunt meæ pro vobis preces, tunc optima quævis a me ſperabitis, & accipietis. Legat quæſo quæ de hoc argumento jam dixi.*

6 Peccas ſane Kieslingius adverſus dignitatem quam Theologus in ſcribendo ſuſtinere debet, dum ad puerilia adagia deſcendis: *In his verbis ſibi quod puer in faba inveniſſe putat.* Peccas adverſus rectam methodum, quæ expoſcit, ut ſi quando in oratione ponatur primo, ſubſequi debeat ſaltem ſecundo. tu tamen hæc ais: *primo concedere videtur, Sanctos vi interceſſionis Jeſu Patrem orare &c.* Tamen *ſecundo* expectamus adhuc, & dictorum immemor tranſis ad alia. Peccas adverſus grammaticam, dum verba Calmeti peſſime vertis: *Pater meus vos voti damnabit:* Et deinceps: *Sed evectus in Cælum, longe efficaciores erunt meæ pro vobis preces.* Peccas denique, dum aut non intelligis, quæ apertiſſime & candidiſſime ſcripſit Trombellius, aut ſi intelligis, ſincere non exponis. Sciſne quid ſibi in hoc capite examinandum propoſuerit Trombellius? Minime vero; alioquin niſi omnium hominum fallaciſſimus ſis, tam procul a veritate Trombellii dicta non expoſuiſſes. Quæſtio quam ſibi ſolvendam proponit Trombellius hæc eſt: (*a*) *per quem, & a quonam petunt.* Ceterum hic quoque inculcat, omnia, quæ recipiuntur etiam Sanctorum precibus, & interceſſione beneficia, a Deo veluti auctore recipi. Vide caput ipſum, neque enim cuncta repetere hic juvat quæ copioſe ille, ac luculenter expoſuit. Operæ tamen pretium reor ea in pauca contracta recolere, quæ is hoc de argumento exhibet.

7 Poſtquam ſuperioribus paragraphis prioris ſententiæ probationes expoſuit, quæ vult cuncta peti a Chriſto, §. V. alterius ſententiæ probationes recenſet, quæ vult *immediate etiam a Patre Beatos poſcere, & nobis obtinere beneficia (non admodum multa fortaſſe, nec ampla).* Has quidem probationes ut dixi §. V. incipit exponere Trombellius, caſque deinceps proſequitur: e quibus ea, quæ numero ſeu §. VIII. exponitur, hæc eſt: [*b*] *Chriſtus Apoſtolorum meritis, (quæ a Jeſu meritis procul dubio proveniunt) amori nempe & fidei:* quia vos me amaſtis, & credidiſtis: *tribuit cur a Patre amentur:* ipſe enim Pater amat vos. *Quod ſi a Patre amantur, cur Patrem ipſi adire non poterunt, eumque deprecari & poſcere, quæ nobis optant beneficia? Sane ſi Deum Pa-*

(*a*) pag. 190. §. 1.

Patrem deprecantes nos ; propter Martyrum merita deprecari poſſumus , & eorum memoria , & veluti objectu , Patri nos commendare , cur Patrem deprecari non poterunt Sancti ipſi , ſua merita commemorantes , eorumque memoria , & veluti objectu eundem cæleſtem Patrem ad Miſericordiam flectere ? Adde & iſta . Nos certe Patrem ipſum adire poſſumus , eumque deprecari & pro nobis & pro aliis , immo id quotidie facit Sacerdos in Miſſa , noſque in privatis precibus , cum Dominicam Orationem recitamus . Cur ergo adire non poterunt Patrem ipſum Sancti , eumque deprecari? An minus accepti ſunt Patri Sancti degentes in Cœlis , quam nos , peccatorum ſordibus ſæpiſſime polluti , & fœdi ? Poſtquam vero cuncta recenſuit argumenta , numero XIV. ita caput hoc concludit. (*a*) *En utriuſque partis argumenta . Vos utramlibet eligite , uſque dum Eccleſia aliquid hac in re definierit . Ego tamen Bellarmini ſententiam prætulerim alteri , tum ob eorum auctoritatem , qui eam amplectuntur & ſuſtinent , tum etiam quia ita Oratores ad thronum Patris Sanctos eſſe poſſe concipio , ut Chriſtum orent ſedentem ad dexteram Patris . Utcumque ſit , ejus generis eſſe noveritis hanc controverſiam , ut ſine Chriſtianæ pacis diſſidio , ſine caritatis offenſione amice inter Catholicos iuſtitui poſſit : & eum propterea Tridentinum dirimere noluit .*

8 Eſt ne Lector candide in Kieslingii ſcriptis ullum hujuſce rei veſtigium ? Nullum plane , & tamen Cenſor noſter ſe candidiſſimum , & ſinceriſſimum jactat . Quid ſi fallacem ſe fateretur ? Sane nec ſtatum quæſtionis probe Lectori exponit , nec probationes ſincere exponit , nec ordine ullo , ſed cuncta miſcet , & quædam ex variis locis excerpens , quæ ita ſejuncta nullum fere habent ſenſum , non finit Lectorem ea aſſequi , quæ Trombellius clariſſime expoſuit . Secundo falſo hæc ait : (*b*) *Pro more ſuo titubat , & hinc inde ſe vertit . Primo concedere videtur , Sanctos , vi interceſſionis Jeſu , Patrem orare , & noſtras res ipſi commendare .* „ *Si ſcripturam , inquit , conſulas , Chriſtus ſolus „ eſt , qui mundum reconciliavit in gratiam Dei , nobiſque promeruit gra„ tiam , & gloriam , & quæcumque ſaluti æterna obtinenda neceſſaria ſunt .* „ *Rem iterum variis verſiculis Prudentii de S. Vincentio probat :*

„ *Miſerere noſtrarum precum ,*
„ *Placatus ut Chriſtus ſuis*
„ *Inclinet aurem proſperam &c.*

Revera tamen non titubat Trombellius , nec huc illucque ſe vertit , ſed in propoſito conſtans , in quæſtione , quam problematicam eſſe ait , utriuſque partis fundamenta , rationeſque , quibus eæ fidunt , candide exponit . An hoc eſt *pro more titubare , & hinc & inde ſe vertere* , ut præclariſſimi Kieslingii verbis utamur ?

9 Quid porro denotant ea , quæ tu ais : (*c*) *Latet tamen iterum anguis ſub herba , & dictum Chriſti fricat &c.* Dum dicis *iterum* , dicere debes etiam , ubi antea latuerat anguis : quamquam ſi eruditus videri

(*a*) pag. 197. (*b*) pag. 277. §. II. (*c*) Ibidem .

volebas, & veterum Scriptorum imitator: *in herba* dicere debueras, nam notissimus versiculus habet: *Latet anguis in herba.* Sed quis obsecro anguis latet? Hic sane tecum res non est Kieslingi, nec cum Protestantibus tuis, ut veritus dolum, anguem latitare dicas. Amica hæc est, quod jam dixi, Catholicos inter velitatio, nec ullas hic habes partes, sic ut temere anguem latitantem hic inesse vereareis, qui nullus omnino latet in Trombellii verbis.

10 Quid vero denotent tua illa verba: *& dictum Christi fricat?* tu sciveris: profecto nemo nostrum id hactenus est affecutus. Quis sane Christi verba hactenus fricavit? Sed cur redarguis Trombellium, quod verba illa Christi [*a*] *In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem pro vobis, ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego a Deo exivi*, de morte intelligi posse ait? (*b*) An explicatio hæc adversus vos urgetur? Minime vero, sed uti dixi, partem amicæ concertationis, quæ Catholicos inter instituitur, complectitur, quæ ad vos nulla ratione pertinet. An Trombellius dum eam explicationem proponit, eam reppellit, quam tu amplecteris? Nihil minus. Immo utramque recenset, nec harum alteram alteri præfert. Ceterum & falso eam explicationem refers, nec improbanda ea est. Falso quidem eam refers, cum non de morte verba ea intelligi posse Trombellius dixerit, sed de die subsecuturo temporalem Apostolorum mortem. (*c*) *Porro si illum diem, quem hic designat Christus, esse velis diem mortem Apostolorum subsecuturum, id habeo quod opto.*

11 Improbanda vero ea explicatio non est, quia de eo tempore Dominus Jesus loquitur, in quo nemo tollet gaudium discipulorum ab ipsis. *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* (Joan: 26. 22.) At dum in hoc Mundo fuere Apostoli, sæpe illorum gaudium ablatum est: & proxime post expressissime hæc eis dixit Christus: [*d*] *in Mundo pressuram habebitis.* Valde itaque probabilis eorum sententia est, qui Christi verba ad eum diem referunt, quem nulla adversitas deinceps consequatur (*e*): etenim die illa *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* (*f*)

12 Trombellium reprehendis, quod opportunissimam appellet hanc Hieronymi argumentationem: (*g*) *Si Apostoli & Martyres adhuc in Corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos.* Sed cur reprehendis, cum rectissima ea sit argumentatio, & ab aliis Patribus sæpe tradita, quod facile offenderem, nisi Trombellius, (quod alibi ad-

(*a*) Joan. 16. v. 26. (*b*) *Qua veritate Vener. Abbas verba*: Illo die petetis, *de morte intelligere passit &c.* [*c*] pag. 193.
[*d*] Ibid. & 33. [*e*] *Nox enim non erit illic.* Apocalyp: 21. 25.
(*f*) Apocal. 21. 4. (*g*) n. 7. libri contra Vigilantium.

adverti,) Capite XIX. hujus ipſius Diſſertationis III jam oſtendiſſet.

13 Nec porro tu eam argumentationem infirmas, cum hæc ais: [a] *Ego admodum levem & infirmam eſſe ſtatuo hanc rationem*, & reliqua quæ antea ex te retuli. Nimirum Apoſtolos mortali vita functos ignorare deſideria eorum populorum, quos viventes rexerunt, ſi tradit Kieslingius, nos minime aſſentientes habebit. Nec temere illi denegamus aſcenſum, cum copioſiſſime oſtenderit Trombellius *revera a Beatis noſtra conſpici* [b]: quamquam etiam oſtendit Sanctorum ſuffragationi neceſſarium non eſſe noſtrarum rerum intuitum notitiamque. [c] Si his verbis: *Eccleſiis quas condiderunt jam jam devaſtatis, & Paganiſmo corruptis non præſunt, ſed illas Chriſto ſummo Eccleſiarum Epiſcopo tradiderunt*, intelligis nullam curam habere eos Eccleſiarum earum, id (ut Scholaſticorum phraſibus utar) *ponis in theſi, quod eſt in quæſtione*: hoc enim eſt de quo ambigimus. Affirmo ego, negas tu. Mihi vero patrocinantur ii omnes Patres, quos Trombellius per plurima capita attulit, atque in primis Alexander Narciſſi in Hieroſolymitano Epiſcopatu ſucceſſor, idemque ſanctiſſimus & vetuſtiſſimus Doctor, cujus ea ſunt ad Hieroſolymitanum Populum verba: *Salutat vos Narciſſus, qui ante me hic* [Hieroſolymis] *tenuit Epiſcopalem locum, & nunc mecum eundem orationibus regit &c.* Quæ tribuis Apoſtolo Paulo digna te ſunt, non Apoſtolo Paulo: nam & barbara ſunt ea *Oro quidem in hac fragilitate*, & Soleciſmum continent manifeſtum iſta: *Sed evectus in Cælum longe efficaciores erunt mea pro vobis preces*. Ceterum facilis eſt ad iſta reſponſio: potuit Paulus hæc ſcribere, & ſi ſcripſiſſet, vera ſcripſiſſet. Sed quot potuit cum veritate ſcribere, & tamen non ſcripſit?

14 At brevi expendamus paragraphum tuum quintum. En illum: [d] *Excutit Trombellius alteram perſuaſionem, qua Sancti Patrem interpellent pro nobis; quia dicit Chriſtus*: Pater vos amat. *Eligit tamen Bellarmini ſententiam, qua Sancti Chriſtum orant, & eidem preces referunt noſtras. His vero Chriſtus ſatellitibus & internuntiis non opus habet, qui abiturus ex hoc mundo dixerat*: Ego ſum vobiſcum perpetuo uſque ad finem ſeculi. Matth. XXVIII. 20.

15 Cur porro tam paucis complecteris Kieslingi quæ Trombellius copioſe proſecutus eſt? Plures ſcilicet paragraphos inſumit in eo explicando & aſſerendo, in quo tu pauciſſima verba impendis. Quod vero Trombellius Bellarmini ſententiam eligat, non is animoſe dicet, qui hæc Trombellii verba cautiſſima ſane paulo diligentius expenderit: (e) *Ego tamen Bellarmini ſententiam prætulerim alteri, tum ob eorum auctoritatem, qui eam amplectuntur, & juſtinent, tum etiam quia ita oratores ad thronum Patris Sanctos eſſe poſſe concipio, ut Chriſtum orent ſedentem ad dexteram Patris. Utcumque ſit, ejus generis &c.*

[a] Exerc. XIX. pag. 279 §. IV. [b] Differ. III. cap. 36 n. XIV. (c) cap. 38. n. ſeu §. VI. [d] pag. 279. (e) pag. 197. & ſequen.

Digitized by Google

16 Quid vero obſecro intelligis verbis illis? *His vero Chriſtus ſatellitibus & internuntiis non opus habet, qui abiturus ex hoc mundo dixerat:* „ Ego ſum vobiſcum perpetuo uſque ad finem ſeculi Matth. „ XXVIII. 20„ Profecto ſi tuam celebratiſſimam Chriſti ubiquitatem hic inducere iis verbis vis, non modo Catholicos, verum etiam Calviniſtas adverſantes habebis. Si Eccleſiæ præſidium denotatum ſignificas, id minime tuis conatibus favet. Num recte porro Sanctos, Chriſti *Satellites* appelles, alii vederint. Non hoc ſane vocabulo eos appellare audet ille ipſe Dallæus, ad quem ſæpe nos provocas. An cuſtodes Dei Sanctos eſſe vis? Antea vero dixi qua ſignificatione dici poſſint Sancti *internuncii*. Nemo vero dicit, niſi inſanus is ſit, egere Chriſtum Sanctis veluti internunciis, cum ipſe & noſtra per ſe noſcat, & juvare, cum illi libuerit, poſſit. Non ita deſipiunt, ut tu deſipere eos fingis, Catholici, ut ſcilicet eos reprehendere poſſis, tuiſque placere.

17 Sed jam tempus eſt, ut Kieslingius pro more a propoſita quæſtione deflectat, & pro lubito evagetur. Id ſtatim exequitur paragrapho VI. quem ſic exorditur. [a] *Liberius nunc de hoc momento erit diſceptandum: Eam omnes fere emunctæ naris Romanenſes declinare ſtudent ſuſpicionem, ſe nimis alte de Sanctis ſentire, & ſe, ipſorum ope & interceſſione percipere beneficia eſſe perſuaſos: Ipſos hujus perſuaſionis eſſe reos, quo demum ſe vertant, evidenter apparet. Utinam nobiſcum ſentirent, qui ſic ſtatuimus:* „ *Omnia dona bona, & perfecta munera, ſuæ penne ſunt, deſcendentia a Patre luminum, apud quem nulla eſt mutatio, aut ulla converſionis umbra.* Jacob. I. 17. „ *O ſi nobis dextram, fidemque hoc in argumento darent & crederent, omnia bona, æque ſpiritualia, ac temporalia per interceſſionem Chriſti in nos redundare! Eo fidem noſtram verbis Chriſti innitentem:* „ quæcumque petieritis in meo „ nomine a meo Patre, daturus eſt vobis. Joa. XVI. 23. „ *Ubi quæſo dicit ſalutis noſtræ vindex: Si poſtulaveritis a Deo per Mariam, accipietis. Illa enim me efflagitabit, illa ſuas preces interponet, & me impellet, ut ipſius, & veſtris precibus dem locum. Nullum neque Marie, neque Sanctorum, quos defatigatis, in his verbis eſt veſtigium. Nullum mandatum de interceſſione ipſorum, in bonis petendis, nullum promiſſum de iis accipiendis: Quid igitur opus eſt, ut eos tanquam bonorum impetratores, ut loquitur Vener. Trombellius, invocemus? Sed res accuratius eſt inveſtiganda.*

18 Quoniam igitur declamatoris hactenus partes ſuſtinuit Kieslingius, diſputatoris partes ſuſtinere incipit, & hæc ait: (b) *Quid, ſi tibi Ven: Abbas, quadruplici ratione demonſtrarem; popellum Romanenſium credere, bona a Sanctis ipſis, & non a ſolo Deo profluere? Levis eſt opera, contrariam quam profiteri videris, tibi demonſtrare Romanenſium ſententiam. Probo illam primo Sanctorum, quos veneramini, imaginum cultu; Secundo miraculis per Sanctorum imagines factis: Tertio veſtris, qui-*

(a) pag. 279. (b) pag. 280. §. VIII.

quibus Sanctos exornare ſoletis, inſcriptionibus. Quarto, veſtris, quæ Sanctis offertis, donariis, & tabulis votivis. Exorditur autem primam probationem hoc modo: (a) *Haſitant & Euripo ſunt mutabiliores Eccleſiæ Romanæ doctores, & neſciunt eloquanturne, an fileant, quæ occultant, de virtute, & poteſtate imaginum figmenta. Hoc ſane laborant Romanenſes vitio, ut aliter ſcribant, aliter ſentiant. Si ipſorum de imaginibus primo oculo aſpexeris confeſſionem, putaveris, eos omnem omnino imaginibus Sanctorum denegare, & divinitatem operandi miracula, & conferendi beneficia, poteſtatem. Si vero cultum ipſum penſitaveris, utrumque offendes:* tum Concilii Tridentini notiſſimum de Imaginibus decretum adducit, cui addit Concilii Maguntini decretum alterum, quo ſuperſtitiones arcentur. Paragrapho porro nono multa aggerit, quibus nos ea docet, quæ omnino ad rem non pertinent: ſed tamen illius mentem denotant: cupit nempe nullas eſſe Sanctorum imagines, quibus ſublatis, neque miracula per imagines forent, neque Sanctorum invocatio: monet non eſſe *in imagine nuda* ſperandum: docet, aut certe ſupponit nos ſuperſtitiones omnino non tollere, ſed uni ablatæ alteram ſubſtituere: Quo quidem conſtituto, Sanctos Patres dementiæ accuſat. Invehitur denique potiſſimum quidem in Romanum Pontificem, quem nollet *Sancti* titulo neminem decorare, & a quo ait Sanctos poteſtate miraculorum efficiendorum donari, ſed nec Epiſcopos præterit quos ſuperſtitionis auctores eſſe vult. Ne hæc temere dixiſſe videamur, ipſa Kieslingii verba in paginæ calce ponimus [b], quæ conſulere poſſit Lector.

19 Qui-

---

[a] Ibid. §. VIII.

[b] *Nihil ſane Chriſtiano nomine, hac gentilium ſuperſtitione eſt indignius. Sed iſtbmum perfodiunt Romanenſes, qui omnem hanc ſuperſtitionis notam obliterare audent. Si enim nulla Sanctorum imaginibus vis ineſſe creditur, evaneſcit omnis miraculorum ratio, vana eſt Sanctorum per imagines invocatio. Quid enim mihi a nuda imagine eſt ſperandum? Secundo videntur bi egregii Eccleſiæ Chriſtiana patres conſcripti prava ſuperſtitioni objcem ponere, quando decernunt ejuſmodi imagines, qua ſuperſtitionem alunt, eſſe tollendas, aut mutandas: Re vera ipſa ſuperſtitionis & ſtuporis ſunt nutritores, quando aliam imaginem a prima* notabili quantitate differentem apponendam *iniungunt. Hoc ipſo non minuitur, ſed augetur ſuperſtitio, Sic peccandi illecebra, & delinquendi lenocinia non removentur, ſed ad aliud quoddam ſuperſtitionis obiectum diriguntur. Pone Domine Trombelli, Sanctum veſtrum Nerium miraculis clarum eſſe ſuperſtitiosum, & idololatriæ auctorem, ducemque. Pone, hunc Sanctulum ex Romani Epiſcopi decreto removeri, ne populi ſuperſtitio increbeſcat; ſed S. Eulogium in ejus locum ſubſtitui: quaro nunc ex te Venerande Trombelli: num hac medella ad auferendum omnem ſtuporem, & vanitatem ſit ſufficiens? Superſtitio quam ſublata Nerii imagine expulerit, tamen in Eulogii imagine uſque recurret. Omnis peccandi cauſa & remota, & proxima eſt removenda. Res non aliter eſt comparata, quam ſi maleſano & mentis non compoti cultrum, quo ſe ipſum petere poſſet, ſubtraxeris, ſed alio nocendi modo,*

19 Quibus paucis ajo, superstitiones utique pro viribus ab Ecclesia tolli. Si quæ supersunt aut forte irrepunt, ea invita supersunt irrepuntque. Id testantur Tridentinæ Synodi, aliorumque Catholicorum Conciliorum decreta, quæ attendere opus est, non ad aliquorum rudium atque indoctorum exempla, quæ non sequimur, sed emendamus. A Tridentini porro decretis [ut cetera interea omittam] discimus nullam nos in *imaginibus ipsis spem ponere*. Itaque tuis monitis opus non erat Kieslingi.

20 Cur vero vis sacras imagines prorsus tolli, quas utilissimas esse novimus, qua de re vide quæ Capite 76. Dissertationis IX. Trombellius tradidit [*a*] egregia sane, & veterum auctoritate firmata.

21 Quæ deinceps ais, ex lubito conficta sunt, & temere effutita: neque enim ulla est superstitio in eo imaginum cultu quem approbat Synodus Tridentina. Lepidum vero illud est, quod his verbis ais: *Omnis peccandi causa & remota & proxima est removenda*. Si ita est, fœminas, & aurum expellatis oportet ex ædibus vestris Lipsienses, quoniam remotæ saltem hæ peccandi causæ sunt. Sed Censor noster adeo præclarus, doctus adeo est, ut nesciat causas *per accidens* (uti Scholastici appellare consueverunt), seu *causas remotas*, *veras* non esse causas, sed potius occasiones, ex quibus quis desumere possit peccandi ansam: & has quidem non esse eliminandas, nisi cum ex remotis fiunt proximæ, idest quum incipiunt per se allicere, deducereque ad peccandum. Hujus vero generis non sunt procul dubio sacræ imagines.

22 Quam præclara vero sunt illa, quæ deinceps recitas! *Pone Domine Trombelli &c.* Laborant sane hæc omnia (ut Scholasticorum phrasibus utar) *in falso supposito*: Scilicet Sanctorum cultum, sacras imagines per se deducere ad superstitionem. Id autem nego, pernegoque. Quo negato [uti negandum id est] videbit quisquis sapit, non Catholicos Antistites, sed te in rebus seriis ludere.

23 Quos ferias verbis illis: (*b*) *Et quod tertio, fere est ridiculum Sancti Patres eo dementiæ sunt delapsi, ut privatam phantasiam promovérent*,

---

ignem, funem, gladium, & venenum apposueris. Quid si Moyses vitulum quidem aureum comminuisset, quia idolum; sed in locum ejus Osiridis, aut Ibrahei imaginem erexisset? Putasne, illum bene suo functum esse officio, & Israelitis omnem peccandi præripuisse ansam? Non putassem, viros quos gravitas decet, in rebus seriis adeo ludere posse. Et quod tertio, fere est ridiculum, Sancti Patres eo dementiæ sunt delapsi, ut privatam phantasiam promoverent & augerent. *Increpant eos, qui privatæ phantasiæ, alicujus Sancti imaginem feligunt, & suam spem in illa collocant, ipsi vero hanc phantasiam evulgant. Si Episcopi Romani hos Sanctos non excogitassent, neque eos hac dignitate, & miracula operandi potestate donassent, nullius Sancti adoraretur imago; quia ignoti nulla est cupido. Omnis igitur peccandi culpa in Episcopos Romanos, & eos qui Ecclesiæ præsunt, pleno gurgite redundat*, Exerc. XIX. pag. 282. §. IX. (*a*) pag. 362. (*b*) §. 9. pag. 282.

vent, & augerent? Increpant eos, qui privata phantaſia, alicujus Sancti imaginem ſeligunt, & ſuam ſpem in illa collocant, ipſi vero hanc phantaſima evulgant: An vetuſtos Sanctos Doctores, quos Sanctorum Patrum vocabulo fere appellamus, an Tridentinos Patres, an Catholicos omnes Epiſcopos diſtringas, cum tu non dicas, ignorare me fateor; haud tamen ignoro te plane inſanire, cum hæc effundis: neque enim viri pietate, doctrina, & dignitate præſtantiſſimi, vel ab inimico, impudentiſſimis his vocabulis notari debent.

24 Ad quid reſpicias, dum *privatam phantaſiam* commemoras, pariter ignoro: hoc tamen ſcio, Sanctos Patres, & Catholicos Antiſtites in ſtabiliendis ritibus vetuſta monumenta conſulere, nec novum aliquid in Eccleſiam inducere.

25 Quod poſtremis verbis ais. *Si Epiſcopi Romani hos Sanctos non excogitaſſent &c.* reſponſionem hanc habet. Eſt in Eccleſiæ poteſtate novos Sanctos agnoſcere, proponereque fidelibus. Cur enim ii, qui veterum pietatem imitantur a Sanctorum numero arcebuntur, quando quidem par illis eſt meritum? Sane vetuſta Eccleſia cum novos Martyres habuit, veteribus addidit utique pari honore colendos. Cur ergo id fieri nunc vetas, quod antiquitus laudabile agnitum eſt? An Chriſtus ita nunc dereliquit Eccleſiam, ut minus gratia ſua eam irriget, ita ut illius uberate nemo poſſit fieri Sanctus? An non potius novimus, perpetuo duraturum præſidium illius, quod quidem ſe perpetuo eidem Eccleſiæ allaturum promiſit iis verbis: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſeculi*? Ceterum falſo ais, Romanum Pontificem *donare poteſtatem operandi miracula*. Miracula a Deo facta, quibus etiam innoteſcere vult quantum ſervos ſuos cæleſti beatitudine potitos diligat, expendit Romanus Pontifex, ne ſcilicet quid temere dijudicet: poteſtatem efficiendi miracula nec ipſe largitur, nec alius quiſpiam, ſed Deus tantum.

26 Quam vero præſtans eſt epiphonema illud tuum! *Omnis igitur peccandi culpa in Epiſcopos Romanos, & eos, qui Eccleſiæ præſunt, pleno gurgite redundat*. Mitto elegantiſſimam phraſem, ut in theologico argumento conſiſtam. Dixi, idque rurſus affirmo, cultum eum quem Eccleſia approbat, ſive Sanctorum, ſive Imaginum ſit, eſſe a ſuperſtitione alieniſſimum & per ſe rectiſſimum. Si qua forte in eum illabitur ſuperſtitio, id non Eccleſiæ vitio fit, ſed vel inſcitia, vel vitio aliquorum, quos acerrime Eccleſia redarguit, fraudes omnes, erroreſque interdum illapſos pro viribus tollens. An propterea cultum ipſum tollere debuerat? Minime vero. In Evangelico agro frumentum evelli non ſinit Cæleſtis Agricola, tam etſi illi interdum zizania miſceantur, ſed zizaniis igni datis, triticum ſervat in cæleſti horreo reponendum?

27 Librum Durandi *de ritibus Eccleſiæ Catholicæ* minime vidi. Vidi tamen librum quem inſcripſit *de ratione divinorum officiorum*: illum quoque quem *ſpeculum juris appellavit*. An ex horum aliquo decer-

cerpsisti quæ tu allegas? Fac tamen ea scripsisse, quæ tu scripsisse ais: [a] ideſt *extra omnem controverſiam eſt, Sanctorum imagines mirifica deſignare miracula, ut & debilibus valetudo bona per eos concilietur, ſæpeque in ſomniis apparentes optima quæque nobis conſulant.* Cum noverimus *occaſiones per quas, aut ex quibus aliquid fit*, cauſas non raro appellari, noverimus quoque (quidquid tu ſecus dicas) miracula per imagines fieri [b], merito dicere Durandus potuit Imagines mirifica deſignare miracula. Quanam vero ſignificatione idem Durandus dixerit, *Sæpe in ſomnis apparentes optima quæque conſulere*, diſcere, ſi vis, poteris ex Trombellio [c].

28 Quæ deinceps de Imaginibus lacrymas effundentibus narras, (d) mihi ignota ſunt prorſus, neque meis temporibus quidquam horum evenit. Sed paucis dixerim: ſi vera ſunt, quædam indicia eſſe, quibus vult Deus nos ad pœnitentiam movere: ſi falſa, hujuſmodi fraudes detegendæ ſunt, & vehementer puniendæ. Et de imaginibus quidem ſatis.

29 Ab Imaginibus tranſit Cenſor noſter ad Inſcriptiones, & duas præſertim exhibet: harum prima hæc eſt [e]

NUMINI
DIVI GEORGII
POLLENTIS, POTENTIS
INVICTI.

En alteram: (f)

DIVIS
PRÆSTITIBUS JUVANTIBUS
GEORGIO, STEPHANOQUE
CUM DEO OPT: MAX.

Haud ſane ego laudo hujuſmodi inſcriptiones, quarum prima reprehendi propterea debet, quod Martyri appoſita inſcriptio ethnicas phraſes reijciat. Tamen is, qui eam elaboravit, poteſtatem, ut arbitror, aut virtutem Sanctiſſimi Martyris intellexit, non aliud quidpiam. Neque vero altera magis placet: tamen indulgere aliquid poſſumus homini vetuſtas formulas affectanti.

30 Sed quis omittet ea quæ ad Trombellium dirigis verba? [g] *Ecquis, bone Trombelli ex hoc monimento non colliget, Georgium per ſuam vim, & poteſtatem hæc beneficia vobis confere? Sunt itaque Sancti ex veſtra ſententia internuncii, & ipſorum imagines tantæ ſunt auctoritatis & virtutis, ut auxilium vobis ab iis ſit expectandum, petendumque lon-*

(a) pag. 283. §. X. [b] Vide quæ tradidit Trombellius cap. 76. ideſt poſtremo Diſſertationis IX. n. 14. [c] Ibidem n. V. (d) §. X. pag. 283. *Nec inſolens eſt, imagines Sanctorum in Italia nonnunquam lacrymas effundere, ingemiſcere &c.* (e) Citat. Boldonii Epigraphe: pag. 422. Sed liber hic ignotus eſt nobis, nec ſane in honore, aut pretio ullo eſt. [f] Rurſus citat Boldo: pag. 649. (g) pag. 285.

Digitized by Google

longe uberimum? Sin autem minus id efficiant, nihil juvabit earum aspectus; nihil valebunt preces vestræ ad Sanctorum imagines effusæ. Velint, aut nolint, nobis concedere debent Romanenses, se credere, Sanctos, eorumque imagines non omnis virtutis, & auxilii inopes esse.

31 At, cur sic Trombellium alloqueris, quasi ipse aut inscriptionem hanc Georgio, & Stephano posuisset, aut is qui posuit, munus hoc a Catholicis omnibus impetrasset, ut communi nomine eam poneret. Ceterum ex ea inscriptione minime inferimus, Sanctissimum Martyrem Georgium per suam vim, ac potestatem beneficia nobis conferre: quot enim juvant, præsuntque, & tamen per suam vim, ac potestatem beneficia non conferunt? Sane Sancti quandocunque nos juvant, non propria, sed accepta a Christo potestate, ac vi nos juvant.

32 Reliqua quæ tu infers: *Sunt itaque &c.* minime inferuntur. Multi juvant, nec sunt internuncij: nec ab ipsorum imaginibus expectamus, aut petimus auxilium. Et profecto Sanctorum imaginibus nos juvari docent Catholici omnes, nemo vero ab imaginibus ipsis aliquid petit. Quid habeat æmolumenti Sacrarum imaginum aspectus docuit, uti dixi, Trombellius Capite 76. Dissertationis IX. Nemo vero nostrum docet ad imagines preces esse fundendas. Hinc quod ais de precibus ad eas fusis mera calumnia est.

33 De donariis, & votis ad Sanctorum imagines appensis copiosissime egit Trombellius Capitibus 38. & 39. Dissertationis VI. Hic tantum repeto, quod sæpe dixi, sed tu perpetuo videris nescire, a Trombellio, atque adeo a Catholicis omnibus fuisse traditum: Nos *non auctores beneficiorum eorum, quæ per Sanctos recipere nos profitemur, facere eosdem Sanctos, sed impetratores.* Ethnici vero vana persuasione decepti Deos suos eorum, quæ poscebant, auctores esse putabant. Secundo Dæmonibus monumenta ponebant, nos ponimus Dei servis, & si loqui ita volumus, familiaribus. Quis porro vetat, ne hos deprecemur, eisque grati animi argumenta promamus? An improbandus is est, qui se gratum præbet erga eum, quem beneficum expertus est? Sed hoc de argumento, uti dixi, copiose egit Trombellius, ad quem te allego. Sane non opus erat, ut tam multa proferres ex veterum Ethnicorum superstitione deprompta, neque ut Imagunculas commemorares, quas Montfauconius, (quem tu omnium primus [a] Montefalco appellas) descripserat: cum de his nullo modo hic agamus; neque aptus de hujusmodi monumentis hic incidat sermo.

(a) *Venerabilis Montefalco varias Ethnicorum imagunculas &c.* pag. 286.

AD EXERCITATIONEM XX

Quam inſcribit Kieslingius:

De Socia, quæ fingitur Sanctorum in expoſcendis beneficiis & auxiliis ferendis opera.

CAP. I.

1 COnſtituta ex ſuperioribus Sanctorum ſuffragatione, addiderat theſim hanc Trombellius: *Sanctos ferendæ nobis opis cupidos, aliorum etiam ſuffragia, & adjumenta non recuſare.* Qua quidem theſi eam determinat queſtionem, quam antea propoſuerat: *Per quem ſcilicet Sancti impetrent: an ſcilicet ipſi per ſe, an alterius ope, & interventu.* Eandem porro theſim probaverat auctoritate Victoris Vitensis, Baſilii Magni, Gregorii Nyſſeni, Gregorii Turonici, Origenis quoque, atque adeo ipſius Romanæ Eccleſiæ: denique Sacræ Scripturæ ex qua diſcimus, *Michaelem unum de principibus primis veniſſe in adjutorium Angeli Præſidiis Angelorum populo*, illumque precibus ad Deum fuſis adjuviſſe, ut populus Judaicus antiquis ſedibus reſtitueretur. Quid ad hæc Kieslingius? *Nullius momenti hæc eſſe*: Tum Trombellium his vocibus interpellat: [a] *Aut ſingulorum Sanctorum preces ad impetranda auxilia ſufficiunt, aut minus. Si ſingulorum preces ad impetranda ſufficiunt beneficia, quid opus eſt, ut alios Sanctos in ſubſidium precum, & interceſſionem vocent, ut veluti vi unita, eaque fortiori, Deum adeant: Sin minus valide ſunt ſingulorum Sanctorum preces, vicem illorum, qui Sanctos tutelares ſibi ſeligunt, doleo: Nullum enim ab ipſis auxilium eſt ſperandum. Inopes ſunt ſolatii, & auxilii Sancti, ſeparatim confiderati, & niſi primæ magnitudinis Sancti, inferioris poteſtatis Sanctorum ſublevent inopiam, nihil ipſorum interceſſiones valebunt. Sic Hecatombe quaſi opus eſt, ſi Deus deſideria noſtra exaudire debet. Solius Chriſti mediatorium non ſatis eſt officium, neque, ut ex genio Romanenſium loquar, unius Sancti interceſſio ſufficiens eſt: plures accedere debent internuncii: quum tamen ſolius Abrahami deprecatio pro tota regione, ſi paucis piorum numerus offenderetur, eſſet valida. Gen. XVIII 32. Rurſus Ven. Abbatis argumentum ſic excipio. Si totus, ut ait, Angelorum Chorus, ſua addit ſuffragia; ſequitur omnes Sanctos in univerſum pro nobis intercedere, a quod*

(a) pag. 289.

quod nos libenter concedimus. Corruet igitur de singulari Sanctorum intercessione figmentum, & nostrum de universali Sanctorum oratione pro universa Ecclesia, ejusque membris confirmabitur argumentum.

2 Atque ad hæc quidem hanc responsionem adhibeo. Nunquam Trombellius dixit: nunquam dicimus nos, unum Angelum, vel Sanctum minime sufficere: immo unum sufficere sæpe Trombellius dixit: Sed quoniam procul dubio multorum suffragatio majores vires habet, quam habeat unius suffragatio [eamque ob causam Paulus Apostolus aliorum preces sæpe poposcit [*a*], statuit Trombellius multorum suffragationem non recusari ab Angelis, & Sanctis: idque non temere statuit, sed veterum valde probabilium Patrum, atque adeo ipsius Scripturæ auctoritate suffultus. Quid tu ad hæc? Nihil plane. Sed pro more ad ineptissimas interrogationes diverteris, & impie nugaris. Scisne Kieslingi, quid vox hæc *Hecatombe* denotet? Si scis, & tamen adhibes, improbissimus es, qui Sanctorum preces, a te quoque admissas, centum Bobum Sacrificium Diis gentium, ideoque Dæmonibus oblatum comparas? Si nescis, & tamen adhibes, infantissimus es, & ad Grammaticos reiiciendus. Sed indica obsecro locum, in quo tradiderit Trombelius *totum Angelorum Chorum sua addere* suffragia. Tu quidem Trombellium allegas, citasque pag. 195. Sed pernegat Trombellius se hæc dixisse, & a te efflagitat, ut locum integrum referas: neque vero tam barbare Trombellius loquitur, ut ea effutiat, quæ tu illi imputas. Fac tamen dixisse, quod indubitate non dixit: nondum convenimus Kieslingi. Vos dicitis *Sanctos omnes in universum pro nobis intercedere*: & nihil amplius. Nos asserimus præter preces Sanctorum pro Ecclesia universa fusas, statui etiam a nobis preces particulares [ut ita loquamur] alicujus Sancti Angeli, & pro individuis, sive personis, sive cœtibus fusas: qua de re cum millies dixerimus, hic dicere supersedeo.

(*a*) Vide Apostoli Pauli loca quæ allegat Trombellius III. 19. 1.

AD EXERCITATIONEM XXI.

In Qua, si Kieslingio credimus,

Sanctorum merita in intercessione ficta refelluntur, & dicta Sacri Codicis vindicantur.

CAPUT I.

1 DUobus Capitibus, quæ Kieslingius annotat, duo propo-fuerat Trombellius. Ut a primo incipiamus, capite XXXI. quæsivit: *Num pro nobis impetrent Sancti non modo precibus apud Deum fusis, verum etiam objectu meritorum Christi, & suorum.* Dissolverat vero quæstionem ad hunc modum. *Quod preces fundant, crebro vidimus, neque opus est, ut ea in re immorer, cum satis superque de ea egerimus, non omissuri eandem tractationem Capitibus subsequentibus. Quod vero præter simplices, & nudas, ut ita loquamur, preces, alia expresse adjungant, persuadere videntur crebra monita Sanctorum Patrum, a quibus edocemur, opportunissimum esse, ut in precibus nostris Christum Patri expresse obiiciamus, illique merita Dei filii offeramus, quorum intuitu flectitur Pater ad pietatem, nobisque dat in nomine Salvatoris, quæ petimus, salutaria. Sed præter infinita merita Sanctissimi illius Filii Jesu Christi, quibus maxime fidunt Sancti, sua quoque Patri offerri ab iisdem Sanctis, didicimus, tum ex aliis id indicantibus, (& certe id innuit etiam Maximus Taurinensis in Sermone in Sanctum Cyprianum nuper allegato) tum manifesto ex Joanne Chrysostomo in homilia de Sanctis Bernice, & Prosdoce Virginibus, & in homilia in Juventinum & Maximum martyres, e quibus nuper testimonia desumpsimus, ad quæ vos amando.*

2 Vehementer ad hæc insurgit Kieslingius, aitque Trombellium *putare quidem se nodum dissolvisse*, sed re vera obscurasse. (*Putat se modum dissolvisse, sed verius dixerim obscurasse*). Cur vero ad hæc insurgit? Quia Sanctorum merita memorat, fateturque Trombellius; eamque ob rem sic illum redarguit (a): *Merita Sanctorum ad impetranda beneficia nobis æque nihil, ac Sanctis ipsis proficiunt. Omnis causa meriti proprii in Sanctis exsulat. Nam gratia, inquit Apostolus, estis salvati per fidem, idque non ex vobis. Dei donum est: non ex factis, ne quis se jactet. Ephes. II. 8. 9. Quum igitur Sanctis sua, si quæ fuissent, ad salu-*

(a) Exerc. XXI. pag. 290. §. 2.

salutem, & bona acquirenda nihil conferre potuerint merita; nullum certe ex his operibus, quæ fingis, ſuperogationis in alios redundare poteſt emolumentum. Nec ea, quæ tantopere laudas, ſunt merita, ſed opera, eaque aliena, Spiritus nempe Sancti gratia, excitata. Quæ igitur putas merita a Sanctis in medium afferri poſſe? Et quale præſidium ab illis mortales expectare cogitas? Abrahamus Deo pro Sodomitis ſupplicans ſua non recenſuit merita, ſed omnium inops, ad miſericordiam Dei in ſua deprecatione confugit. Gen: XVIII. Sancti quorum pietatem commemorat Chriſtus, Matth. XXV Omne ſuum meritum a ſemetipſis declinant, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, ut paverimus? aut ſitientem, ut potum dederimus? v. 37.„ Dixerat enim Chriſtus: „ Adeſte beati „ Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab orbe condito. v. 34. „ Sed omnem omnino meritorum cauſam præſciderat. Appellitat hos urbis ſuaviſſimæ cives benedictos, qui gratia Dei vitam æternam ſunt conſecuti. Quin imo titulus, poſſidete regnum, non eſt mercenarius, ſed hæreditarius, ut optime obſervat B. Rappoltus Theologus noſtræ Academiæ pereximius. Detrita enim eſt, quæ a vocula enim *petitur ratio, quæ non eſt cauſalis rei, ſed aſſertionis Chriſti. Putaverat totam rem conficere poſſe Chryſoſtomum, qui propria negat merita, & illa vivis neutiquam proficua eſſe futura, ſimul declarat.„ Ceterum inquit, laudando probos, oſtendit „ quanta eos a principio charitate complectatur. Venite namque, ait, „ benedicti Patris mei, poſſidete preparatum vobis regnum a conſtitutione „ mundi. Quibus bonis hoc nomen compenſari poteſt, ut benedictus „ ſis, & a Patre ipſo benedictus? Unde autem tanto dignati ſunt honore? quænam eſt cauſa hujus? Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: Sitivi, & potaſtis me, & quæ ſequuntur. O quantæ gloriæ, „ quantæ beatitudinis hæc verba ſunt! nec dicit, accipite: ſed hereditate, quaſi propria, quaſi paterna, quaſi veſtra, quæ vobis a principio debebantur. Nam antequam nati fitis, quia ſciebam vos hujuſmodi futuros, hæc vobis a me præparata fuere. Et poſt pauca. His igitur rationibus iſti [qui nulla bona opera fecerunt] non injuria puniuntur, & illi etiam, ſi mille talia fecerint, per gratiam tamen coronantur. Gratia namque, quæ omnino illa benignitas eſt, ut pro „ rebus minimis & viliſſimis cæleſte regnum, & tantus honor tribuatur.*

3 Verum ad hæc hanc facilem adhibeo reſponſionem. Quæſtionem a preſenti ſcopo alieniſſimam hic immiſces, Kieslingi. Obſequor tamen, & quantum inſtituto noſtro conducit, hæc ſubiicio. Noſtra merita fiunt, quæ ex gratia agimus, etiamſi gratia ipſa donum Spiritus Sancti ſit, etenim quum illi cooperamur, *meremur*. Abrahamus merita ſua fortaſſe attingit, quum ait: *Si inveni gratiam*. Sed fac nullo modo attigiſſe. Cum rem grandem, & in qua Divina pietas ſe mirum in modum proderet, peteret, rectiſſime divinæ pietatis, ac miſericordiæ tantum modo meminit. Quas enim vires habere poterat tenue Abrahami meritum ad veniam obtinendam tot viris iniquiſſimis, & perditiſſimis, quique nullam cum Abrahamo habebant

Digitized by Google

bebant affinitatem? Neque vero in meritis noſtris grandem ſpem ponimus, quum præeuntibus Sanctis Patribus edocemus, (*a*) *opportuniſſimum eſſe, ut in precibus noſtris Chriſtum Patri expreſſe obiiciamus, illiſque merita Dei filii offeramus, quorum intuitu flectitur Pater ad pietatem, nobiſque dat in nomine Salvatoris, quæ petimus ſalutaria.* Tamen id non vetat, ne Sancti cæleſti beatitudine jam potiti ſua quoque merita Deo offerant: etenim (ut rurſus verbis Trombellii utar) (*b*) *præter infinita Chriſti merita, quibus maxime fidunt Sancti, ſua quoque Patri offerri ab iiſdem Sanctis, didicimus tum ex aliis id indicantibus,* [*& certe id inquit etiam Maximus Taurinenſis in Sermone in S. Cyprianum ſuper allegato*], *tum manifeſto ex Joanne Chryſoſtomo in homilia de Sanctis Bernice, & Proſdoce, Virginibus, & in homilia in Juventinum & Maximinum martyres*; e quibus homiliis teſtimonia antea deſumpſerat, atque allegaverat Trombellius.

4 Neque vero nulla ineſſe Sanctis merita probas his eorumdem Sanctorum verbis: *Domine, quando te vidimus eſurientem*: Si quidem verba hæc tantummodo oſtendunt fateri Sanctos ſe Chriſtum ipſum non aluiſſe, neque ei potum dediſſe: at non propterea negant ſe alia bona feciſſe, ex quibus promanat meritum. Num negant, ſe jejunaſſe? An negant ſe corpus ſuum caſtigaſſe, & in ſervitutem redegiſſe? An negant ſe Deum dilexiſſe, aut proximum? Sane Chriſtus meritum illis tribuit, dum hæc ait: (*c*) *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione Mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: Sitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me &c.* Quibus Chriſti vocibus aſſequeris non prædeſtinatorum merita improbari a Chriſto, ſed tantum trädi prædeſtinatos fuiſſe illos, antequam ea agerent: tametſi ſuperſit adhuc quæſtio, num hæc merita, quæ a Divina gratia ſunt conſecuta, Deum moverint, ut prædeſtinarent, an vero Deus mera liberalitate ſua eos prædeſtinarit, quod ipſiſſimum eſt, quod Scholaſtici inquirunt, dum inquirunt: An prædeſtinatio ſit *ex prævisis meritis, an ante prævisa merita, & mere gratuita.* Detur tamen Kieslingio, ſi vult, iis Chriſti verbis: *Venite benedicti poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi*, reijci meritum, quod appellant *electionis*, ideſt quod Deum moverit ad eligendos prædeſtinatos, non continuo dabo meritum quod vocant *aſſecutionis* reiici: immo vero hoc exprimitur [quod jam innui] dum dicitur: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*: Sicut enim improba opera homines ad inferos ducunt, ita proba homines ad cæleſtem beatitudinem evehunt. Aliud eſt porro nulla prorſus merita habere, & hoc negamus: [dicimus quippe habere Sanctos merita, ob quæ beatitudinem aſſequantur;] aliud eſt ea merita non haberi ex ſe, ſeu propria virtute, & id affirmamus obſiſtente Pelagio, & Pelagii aſſeclis. Si Chriſoſtomi verba expendantur, id inculcant, quod nos tradidimus.

6 Sed

(*a*) Trombel. pag. 200. (*b*) pag. 200. (*c*) Ibidem v. 33.

5 Sed adhuc ſuam argumentationem proſequitur Kieslingius hæc ſcriptis mandans: [a] *Satis eſt abſonum, ſi dixerit illos, qui coram Deo non meritis ſuis niti poſſunt, aliis ſuis operibus ſuccurrere poſſe! Ubi unquam Sanctus tam inſulſe a Deo petiit*: redde mihi quod debes: *Concede vivis, quæ ob merita mea mihi ſunt ſuperflua. Se ipſos omnibus, quibus a Deo exornantur, donis, & beneficiis indignos judicant beati ſuas coronas ad dei ſolium abiicientes, & dicentes.* „ *Dignus es domine, qui gloriam, & honorem, poteſtatem accipias, quoniam tu omnia condidiſti, eaque tua voluntate, & ſunt, & condita ſunt. Apoc: IV. v. 11.* „ *Si unuſquiſque ſua vivit fide, Habac. II. 4.* „ *aliorum merita alteri non proſunt. Nam ea, quæ nos non fecimus ipſi, vix ea noſtra putat Deus, neque aliena gratia nos is facit participes, qui unicuique retribuit ſecundum ſua opera. Rom. 11. 6. Deus non Sanctorum merita, quæ coram ipſius facie examinata ſunt impura, & imperfecta, ſed Chriſti mediatoris meritum intuetur, & ex hujus, nempe Chriſti plenitudine, ſumpſimus gratiam. Joan. I. 16. Nullius Sancti opera, meritaque in nos promanant.* His, Calmeti monita Kieslingius adjungit, docentis ſcilicet, a Criſto ductore habere nos quidquid gratiæ, ac meriti habemus.

6 Sed his facile reſpondemus, nos non inſanire, ut fingamus Sanctos petentes veluti *ex juſtitia ſibi debita*, beneficia, quæ poſcunt, ideoque Deum ita alloquentes: *redde mihi quod debes.* Hæc mera, Kieſlingi mi, figmenta tua ſunt, & a Catholicorum opinionibus remotiſſima: dicimus quippe Sanctos, quæcunque nobis conferri cupiunt, a Chriſto ipſo petere, dicimus ea nobis impetrare obſecrationibus, precibuſque, & objectu meritorum ipſius Chriſti, & infinitæ pietatis Dei.

7 Tu vero Kieslingi mi dic, obſecro, unde probas teſtem beatos *ſe indignos eſſe qui exaudiantur?* An id comprobant ea quæ recitas Sanctorum verba *dignus es Domine recipere gloriam, & honorem?* Minime vero. Scilicet reſpiciunt hujuſmodi verba ſupremum illum honorem, qui *Chriſto in carne paſſo, & pro pro nobis oblato* convenit. Neque qui Deum honorat, & Chriſtum celebrat, ejuſque prædicat laudes, Sanctos deprimit, & contemptiſſimos eſſe teſtatur. Nonne Catholici omnes ea ipſa adhibent verba, nec continuo Sanctos tum morte functos, tum adhuc viventes *indignos arbitrantur, qui exaudiantur?*

8 Propoſitio hæc: *aliorum merita alteri non proſunt*, qua tu maxime inſiſtis, varios excipit ſenſus. Si ita accipias: nemo per merita aliena ſibi imputata ſalvari poteſt, veriſſima tradis: *referet enim unuſquiſque propria corporis, pro ut geſſit, ſive bonum, ſive malum.* [b] Si vero ita accipias, ut nolis neminem impetrare aliis quidquam boni, falſa narras, teque redarguunt plurima Trombellii monita (c), quibus compertiſſimum fit, Sanctorum interceſſione juvari nos: te quoque palam redarguit Jacobus Apoſtolus iis verbis (d), *Orate pro invicem, ut ſal-*

[a] pag. 292. (b) II. Corint. V. 10. (c) III. 26 &c.
[d] Epiſt. Cano. V. 16.

vemini: multum enim valet deprecatio justi assidua. Hinc recte Augustinus (*a*) *Cur enim non potius ita dicitur: Et si qui nondum sunt vocati, pro eis ut vocentur, oremus? Fortasse enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, qua velint, atque efficiantur electi.* Et hæc quidem ad ea dicta sunt, quæ tu adversus Caput XXXI obiicis.

9 Expendenda ea pariter sunt, quæ tu obiicis adversus Caput XXXII. Tametsi porro caput illud multa complectatur, pauca sunt tamen, quæ tu adversus illud effundis. At quamquam pauca sunt, utique omittenda non sunt. Seligis ea, quæ numero tertio Trombellius his verbis docuit. „ Aio itaque locum acquisitioni novi meriti non „ extare in Paradiso; extare vero locum præmio ejusdem meriti. Porro ad præmium spectare voluit Deus impetrationem beneficii alteri „ conferendi. Neque vero id alienum est a recta ratione, aut a „ frequentibus, nobisque familiaribus exemplis. An non recta ratio „ nobis persuadet, argumentum esse non leve, quod diligamur ab „ aliquo, si nostri causa, & interventu alios etiam muneribus, & honore afficiat? Hinc ad principem per illius amicos plerumque confugimus, id recepturi, quod nos ipsis orantes minime reciperemus: „ & crebro conspicimus, eos, qui suis præclaris gestis Regis animum „ sibi devinxerunt, tametsi dignitates eas, & summos honores obtineant, quos eorum merita exposcebant, adeo ut novos acquirere „ jam non possint, adhuc tamen juvare alios, & Regem beneficentiorem iis efficere, qui ad se confugerunt. „

11 Quid vero ad hæc tu Kieslingi? „ Recoquit jam detritum „ de Principe exemplum, quod ad interceſſionem Sanctorum nihil „ valet. Nam Deus non opus habet his internunciis, qui se solum „ remotis arbitris invocandum demandavit. Princeps non est omniscius, nec novit civium suorum desideria; non est omnis præsens, „ nec videt, quibus excrucientur ærumnis. Opus habet ministris, qui „ preces aliorum exponant. In Deo humanæ infirmitatis signum frustra quæsiveris. Sancti, si sunt in loco beatitatis, præmia ipsi accipiunt, & non aliis conferunt. Christus rerum nostrarum judex longe justissimus ipse hæc præmia retribuit piis, & Sanctos præmiorum dispensatores non constituit, ne dum, ut vivis propter merita beatorum ex mente Vener: Trombellii, præmia retribuere soleat. Dixit Servator noster: *qui vicit, illi ego ipse dabo sedere in meo solio, ut ego quoque victor consedi cum meo Patre in ejus solio.* Apoc. „ III. 21. Sed hæc bona non propter Sanctorum merita, sed ex libera gratia se daturum esse promittit. „

12 Quibus ad hunc modum occurro. Alia multa ad rem præsentem conducentia Trombellius tradidit, antequam principis exemplum adduceret, quæ tu omittis. Hoc tamen ipsum, quod is attulit, exem-

(*a*) Cap. 22. alias n. 60. *de bono*: seu potius *de dono perseverantia*.

exemplum valde aptum eſt: neque enim eo utitur, quaſi deſcribens Deum egentem Sanctis veluti internunciis; Deus quippe cuncta per ſe novit, neque ullo indiget, qui noſtra prodat: ſed eo utitur, ut dilectionem Dei erga Sanctos explicet: multa quippe illis, tum & ſi præmio ſuo jam potitis, dum nobis poſcunt, indulget, quæ ſi ipſi non expoſcerent, minime conſequeremur. Neque vero dicimus Sanctos conferre nobis præmia (quod tu pro lubito Kieslingi fingis), ſed tantum dicimus Sanctos nobis expoſcere, impetrareque beneficia.

13 Quæ Chriſtus iis verbis tradidit. *Qui vicerit, dabo ei ſedere*, ſupremam ejus poteſtatem, ac *judicialem dignitatem* declarant. Eę vero neque Sanctorum Suffragationem expoſcunt, neque rejiciunt, ſed tantum docent, proba opera noſtra ampliſſimum a Chriſto præmium fore conſecutura. Proba vero opera agnoſco quidem ex gratia Chriſti meritoria: ſed dum id agnoſco, neque veluti neceſſarium efflagito Sanctorum interventum, neque eum veluti inutilem, ineptumque derideo; etenim hanc ipſam gratiam [quod modo etiam inculcavimus ex Auguſtino] nobis licet indignis impetrare poſſunt Deo carorum preces.

AD EXERCITATIONEM XXII.

In qua, ut Kieslingius ait,

Duo argumenta ab utilitate, & efficacia precum, quas Sancti emittere dicuntur, desumpta breviter diluuntur.

CAPUT I.

1 REpellit capite XXXIII Trombellius eorum impetus, qui Sanctorum interceſſionem, ſuffragationemque quaſi inutilem redarguunt. Neceſſe hic non eſt ea referre, quæ ille adducit, cum potius ſint Corollaria ex ſuperioribus capitibus deducta, quam novæ probationes. Quoniam vero in ſolutione objectionum attulerat Trombellius illum ipſum Auguſtini, quem paulo ante deſcripſimus, locum: *cur enim non potius ita dicitur &c.* vehementer inſurgit Kieslingius, & ad hunc modum diſſerit: „ Paucis reſpondeo, quum hoc argumentum a communione „ vivorum, & mortuorum, eorumque caritate jam ſit devictum. Pro „ vivis rite oramus, ut convertantur, quia ad illum locum, e quo „ nulla remeandi datur facultas, & copia nondum ſunt dejecti. Quod „ pietatis officium nobis diligenter Apoſtoli inculcant. Pro mortuis „ non oramus: nam ſi bene vixerunt, & pie emortui ſunt, noſtris „ non indigent precibus; ſed ex affectu pio ipſis fauſta quævis appre„ camur. Hæc igitur pia vota fuerunt primitivæ Eccleſiæ orationes „ pro mortuis, quod eſt alterum Viri Venerabilis argumentum. Men„ tem noſtram de his in defunctorum memoriam, orationibus jam „ habitis, ſupra expoſuimus; quare jam retrahimus vela. „

2 Dum tamen hæc ait, palam oſtendit Kieslingius, aut ſe ne legiſſe quidem, quæ tamen redarguere vult, aut ſi legit, minime intellexiſſe, quæ Trombellius perſpicue, & nitide ſcripſit. Nec apex quidem in hoc capite eſt, in quo preces pro mortuis fuſæ attingantur (*a*): & tamen audet Kieslingius noſter aſſerere *orationes pro mortuis alterum eſſe viri venerabilis argumentum*. An idem reputas, Kieslingi mi, orationes a viventibus pro mortuis fuſas, & orationes Sanctorum mortali vita functorum pro viventibus ad Deum porrectas, ut alte-

[*a*] Argumentum capitis XXXIII. quod exagitare ſe jactat Kieslingius, hoc eſt: *Expenditur poſtremum argumentorum genus, quod a precum pro nobis fuſarum a Sanctis, eorumque interceſſionis apud Deum adhibita inutilitate deſumitur.*

Digitized by Google

terum pro altero ſumas? At deceptus fortaſſe eſt cenſor noſter, cum hæc Trombellii verba oſcitanter, ut ſolet, legit? [a] *Tantum hic addam Sanctorum vita mortali functorum preces ad nos juvandos utiles eſſe iiſdem fere argumentis oſtendi, quibus oſtenditur a noſtris precibus juvari alios.* Sed ſi in his decipitur Magiſter noſter, an ea comprehendet, & ingenioſe corripiet, quæ propter difficultatem aliquam argumento illi inhærentem nonnihil habent obſcuritatis?

3 Argumentum porro deductum ab utilitate precum a viventibus fuſarum ad evincendam utilitatem precum a Sanctis beatitudine jam potitis Deo porrectarum, uti reprehenſum eſt a Kieslingio, ita vindicatum eſt a Trombellio [b]. Concludamus cum Origene, [c] cujus auctoritate hoc ipſum tertium, & tricefimum caput Trombellius claudit. *Plus a te poſt hujuſmodi diſceſſum adjuti* (de filiis Ambrofii, adſquem librum dirigit, loquitur) *quam ſi cum illis remanſiſſes. Scieſenim tunc melius quomodo diligendi ſunt, & prudentuis pro illis orabis, ſi cognoveris filios tuos eſſe, non ſemen tantum.*

(a) pag. 209. [b] III 19. 33. &c. [c] *Exhorta: ad Martyr. n.* 38.

AD EXERCITATIONEM XXIII

Quam Kieslingius inſcribit:

De precibus Sanctorum pro univerſa Eccleſia effuſis;

CAP. I.

Proponitur ſtatus queſtionis: ſeponuntur ea, quæ ad præſentem quæſtionem minime pertinent: afferuntur priora argumenta Kieslingii.

1 A*Ctioris indaginis* appellat cenſor noſter quæſtionem, quam capite triceſimo quarto pertractat Trombellius: *num ſcilicet pro tota Eccleſia tantummodo, an etiam pro individuis perſonis, & cæteris Sancti orent.* Quoniam vero in eo capite docuit cum Catholicis omnibus Trombellius, *Sanctos non modo univerſæ Eccleſiæ, ſed etiam ſingularibus perſonis, & cæteris adeſſe, opemque ferre, caſuque multa ad Deum prece fuſa adjuvare*, cenſor noſter Kieslingius multa adverſus eandem ſententiam, & probationes, quibus ea innititur, affert.

2 Atque hic omittenda ducimus, quæ ad rem præſentem minime pertinent, veluti ea quæ §. VIII. [a] *de Sanctis poteſtatem adverſus quoſdam morbos exercentibus, quæ §.* IX. *de votis, ac donariis*, [b] *quæ de Sanctis plane confictis*, ſeu ut vocat ille *imaginariis* tradit: [c] præterquam enim, vel alibi copioſe ſunt pertractata, vel manifeſto ſunt falſa; quos enim Catholica Eccleſia veneratur Sanctos, extitiſſe etiam novit, & laudatiſſimam egiſſe vitam; ſunt profecto a præſenti inſtituto alieniſſima. Mihi vero ſummum in modum diſplicent excurſiones illæ, & aberrationes, quæ in delitiis Kieslingio ſunt: quam ob rem ſæpe eum teſtificanten audimus, ſe a diverticulis redire in viam. [d]

3 Nolo etiam diu inſiſtere in reprehendendis locutionibus, quibus ſæpe utitur cenſor noſter, a culina fere repetitis, & certe a dignitate, gravitateque Theologica remotiſſimis. Quis enim non ad hæc rideat? *Argumentum, quod citius quam aſparagi coquuntur, diſcuti poſſit.* (§. VII. pag. 301.) *Teſtam jam jam a Theologis confractam reſarciunt minuti ſedis Apoſtolicæ defenſores*: aliaque id genus multa, quæ dum ſcribit Kieslingius, ſibi diſertiſſimus eſſe videtur. Conſiſto porro in Theologicis argumentis: immo in iis conſiſto, quæ ad præſentem attinent controverſiam.

4 Quo-

[a] pag. 303. (b) Ibidem. [c] §. X. (d) §. VII. *Redeo igitur rurſus in viam = Sed in viam, qua egreſſi ſumus, redimus* §. X.

Digitized by Google

4 Quoniam porro multa affert censor noster partim a Theologis aliis, partim etiam a Trombellio ipso desumpta, sed ea vel ita ab aliis disparata, & sejuncta, ut rectum sensum habere non possint, vel cum aliis eo minime pertinentibus confusa, & permixta, vel saltem ita inordinate, & incomposite, ut sine tædio, & defatigatione legi non possint, ad summa quædam capita ea omnia revocare studuimus: ut scilicet, & facilius assequi, & firmius retinere, quod discimus, possit Lector. Ad tria itaque argumentorum genera cuncta revoco, quorum primum sibi adsciscit imbecillitas, si Kieslingium audimus, probationum, quibus fidit Trombellius; secundum, imbecillitas, eodem Kieslingio judice, responsionum, quas Trombellius Protestantium argumentis adhibet; tertium probationes quædam novæ, quasque nondum Trombellius attigit, dum Protestantium argumenta sibi dissolvenda proposuit.

5 En quæ primum argumentorum genus exhibet. Præcipuum, atque adeo unicum fundamentum, quo innititur opinio eorum, qui volunt Sanctos pro singularibus etiam personis orare, in eo situm est, quod Pontificii summum in modum commendant, videlicet in acutissimo Sanctorum intuitu. Scilicet si nos, nostraque vident, indigentias etiam nostras videbunt. An vero non miserebuntur, si vident? Miserebuntur itaque; & quoniam aliter nostri misereri non possunt, precabuntur pro nobis Deum. At revera nos, nostraque minime vident, etenim hoc sibi servavit Deus, nec probari etiam potest quanam ratione tam procul posita videant. Et qui ad *speculum* (uti appellant) *deitatis* confugiunt, ad rem nugacissimam confugiunt. *Speculum deitatis* [inquit Kieslingius (*a*) *est res mere imaginaria, & ad nauseam usque detrita.*

6 Quod si Theologica ratione destituti ad Patres provocent iidem Pontificii, temere ad eos provocant. Revera enim iis minime favent, neque illius, de quo agimus, intuitus assertores sunt, quod putant Pontificii. Ut exemplo res comprobetur, affertur veluti patronus Pontificiorum sententiæ Athanasius. Perperam tamen affertur, neque enim Athanasius is est, qui affertur, sed alius quispiam multo deterior Athanasio: Quod fatetur Trombellius ipse merito anceps de auctore *quæstionum ad Antiochum*, qui tamen liber adducitur, ut ostendatur Pontificiorum opinioni præluisse Athanasium. Nempe hæc eloquitur Trombellius. *Sane auctor quæstionum ad Antiochum, seu Athanasius is fuerit, seu quispiam alius &c.* Sed quisquis is est, se deinceps ita explicat, ut plane adversetur Pontificiorum opinioni: ait enim animas corpore exutas nulla prorsus conspicere: animas vero beatorum hoc unice habere cordi, ut Deum laudent, & ipsæ gaudeant. (*b*) *Anima deposito corpore, neque bonum aliquid, neque malum operari potest. Visiones enim quas cernimus, de eis ita dispensative Deus ostendit ad commoditatem. Sicut enim lyra, si non habuerit pulsantem, vana videtur, & otiosa: ita*

&

(*a*) §. VII. pag. 301. [*b*] Quæst. XXXIII.

& anima, & corpus a se utrinque separata nihil operari possunt: Sanctorum igitur animæ a Sancto Spiritu incitatæ cum Angelis in regione vivorum Deum laudant, & tripudiant. (a) *In concionum porro* est, quod asfertur ex Severiano Gabalitano tradente: „ verissime de se affirmasse „ Mariam Sanctissimam: *Beatam me dicent omnes generationes*: quibus „ recitatis hæc sibi idem Severianus opponit. *Et quid illam juvat „ istud, si non audit?* tum vero ad hunc modum respondet: *immo „ vero maxime audit, eo quod in loco est splendido in regione vivorum „ mater salutis.* „ Maria (inquit Kieslingius) „ apud omnes quot„ quot Christi nomen profitentur gentes, magno est in pretio, & „ ab illis mater Jesu prædicatur, sed apud prudentiores, & selectiores „ Christianos non adoratur. Satis habet, quod ipsius memoria adhuc „ durat. Nemo, nisi solus Deus, audit, quæ ipsi deferuntur laudes. „ Et si audiret Maria, non gauderet, sed ingemisceret, & hunc detesta„ retur cultum. Ludrica proinde nobis apponit *Vir Venerabilis*, quæ „ quidem superstitiosi, sed prudentiores, & sagaciores viri non„ credunt. Insolens est [sic prosequitur Kieslingius] quod ex Pru„ dentio de Eulalia magno cum hiatu recitat.

„ *Ossibus altar & impositum*
„ *Illa Dei sita sub pedibus*
„ *Prospicit hæc populosque suos*
„ *Carmine propitiata fovet.*

7 Restat itaque unicus Gregorius Magnus [b], cujus auctoritas apud Protestantes magna non est. Sed quæcunque ea est, refellitur, si cum Tertulliani vetustissimi Theologi auctoritate comparetur [c]. „ Tertullianus vero non dicit nostra consprici a Sanctis, sed eos esse „ rerum quæ in hoc terrarum, Orbe geruntur, nescios. *Cur enim* „ (inquit (d)), *non putes animam, & puniri, & foveri in infernis, interim sub expectatione utriusque judicii in quadam usurpatione, & candida ejus. Quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? At enim animæ, „ nec in viventibus dormiunt; corporum enim est somnus, quorum & ipsa „ mors cum speculo suo somno. Aut nihil vis agi illic, quo universa humanitas trahitur, quo spes omnis sequestratur. Quid amplius vis esse, „ post mortem confusa spe, & incerta expectatione ludentem; an vitæ re„ censum jam, & ordinationem judicii inhorrentem, semper autem expe„ ctat anima corpus, ut doleat, aut gaudeat.*

8 Quod si a Patribus ad Scripturam provocat Trombellius, adhuc causa cadit. [e] Attulit ille quidem (f) locum Job. 14. 21. *Sive nobiles fuerint ejus filii non sciet? Sive ignobiles non ad illos attendet, seu intelliget?* eamque explicationem Philippi Presbyteri vetusti Theologi auctoritate firmavit: Sed non propter ea quidquam evicit. Cur vero?

(a) Kiesling. §. 3. [b] Vide quæ de Gregorio ait Kiesling: §. V. pag. 299. (c) Kiesling. §. II. pag. 296. (d) lib. de *spectacu*; cap. 33. [e] Kiesling. §. IV. pag. 297. (f) cap. 37. pag. 219.

Digitized by Google

vero? „ Ipſe [ſubiicit de Trombellio Kieslingius [a]] „ ambigit, „ & quam ſeligat ſententiam, ignorat. Arridet ipſi ſui Gregorii Magni explicatio. „ Apertiſſime, inquit Gregorius Magnus: ſicut enim „ hi, qui adhuc viventes ſunt, mortuorum animæ, quo loco habe„ antur, ignorant: ita mortui vita in carne viventium poſt eos qua„ liter diſponatur, neſciunt: quia & vita ſpiritus longe eſt a vita „ carnis: & ſicut corporea, atque incorporea diverſa ſunt genere, „ ita etiam diſtincta cognitione. Quod tamen de animabus Sanctis „ ſentiendum non eſt: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem „ vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod „ ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum filiis „ impendunt, hoc eo Beatus Job neſcire poſtmodum aſſerit, quod „ hic vehementer amaverunt: ut ſive nobiles, ſive ignobiles ſint „ filii, neſciant, quorum eos ſemper cura fatigabat. „

9 Hæc ſane reiiciuntur; „ Etenim nondum eviſtum eſt agere „ hic Job de mortuorum ſtatu. De interrogatione nullum plane eſt du„ bium. Hac itaque ſtante ſententia, nihil impedit, quo minus hæc „ verba Jobi de miſera mortalium conditione interpretemur. Jobus „ triſtiſſimam hominum ſortem contemplaturus forte hæc in verba „ erupit: O quam miſera eſt rerum humanarum conditio! Filii mei „ emortui ſunt, nec ullam, cum jam gravioris eſſent ætatis, ab „ iis accepi lætitiam, nec ipſis miſere mortem oppetentibus con„ currere potui. Parum intereſt: num verba; *an nobiles ſint futuri*, „ de opibus, vel de gloria, & dignitate ſumas. Nec aliena ſunt, „ ut recte demonſtrabit B. noſter Sebaſtianus Schmidtius, verba, *non „ ſciet, & intelliget*, quorum primum non nudam intelligentiam, „ ſed & ſenſum, & effectum & gaudium, alterum vero attentionem „ ad juvandum ſignificat. Quem verborum ſenſum haud coactum „ etiam admittit Cl: Renat. Andr. *Kortumius*. De ſtatu viventis, aut „ jam moribundi, qui curam ſuorum liberorum deponit, & quod „ illis acciderit, ignorat, & veſter Caſpar *Sanctius*, & Joannes de „ Pineda, uterque Societatis Jeſu alumnus, hoc dictum intelligunt ... „ Ab hac ſententia quoque ſtat Cel: Joan. Mercerus aſſerens: Ita „ hinc, homo quum moritur, emigrat, & prorſus diſcedit, ut nihil „ jam cum viventibus commune ei ſit, neque curet, aut ſciat, ſive „ opulenti, & clari liberi, quos poſt ſe relinquit, ſive inopeſ, & ob„ ſcuri, atque abiecti. Dabo vero (ad hunc modum proſequitur Kies„ lingius [b]), Venerabili Trombellio, ejuſque ſententiæ ſocio, Gre„ gorio M. hunc locum de ſtatu mortui eſſe intelligendum. Unde „ quæſo probabit, inferni, caliginiſque incolas res humanas ignorare, „ beatitatis vero heredes eaſdem ſcire? Quæro ex Gregorio M. quor„ ſum Jobum referat? Num ad damnatos, an ad beatos? Poſtremum „ mi-

[a] Ibidem, ideſt §. IV. pag. 297. [b] Ibidem pag. 299.

„ mihi concedit: Argumentor nunc: ſi Jobus, qui beatus omnino eſt
„ dicendus, & qui faciem Dei viſurus erat, profitetur, ſe neſcire ea,
„ quæ liberis poſt mortem accidant, minus tuto de Sanctis intimam
„ rerum, quæ in terris agantur, notitiam affirmare poſſumus. Saltem
„ hoc Jobi effatum, ſi de mortuorum ſtatu ſumatur, magis eſt pro
„ parte negante, quam affirmante. Fruſtra repoſueris: Jobum tunc
„ temporis rebus humanis adhuc interfuiſſe, & nondum ad Dei con-
„ ſpectum, & ejus commercium fuiſſe admiſſum, & proinde futuram
„ beatorum conditionem ignoraſſe. Quam excuſationem facile ample-
„ ctor, & nunc ex Venerabili Abbate ediſcere cupio: unde certo
„ ſciat, aut a quonam Sancto audiverit, hanc eſſe beatorum ſortem,
„ eamque illorum felicitatem, qua rerum humanarum conſcii ſint ap-
„ pellandi? Neque Jobus hanc notitiam poſt mortem ſibi pollicetur;
„ neque Scriptura Sacra hoc tradit arcanum.

10 Attulit quoque ſi *Kieslingium* audis, verba illa Salomonis Trom-
bellius. [*a*] *Mortui nihil noverunt amplius.* „ [*b*] Sed ſic ille refellitur:
„ Etenim quod ex Eccleſiaſte nobis movet dubium iiſdem fere retun-
„ dimus argumentis. Dictum, quod vindicare allaborat Ven. Abbas,
„ ita fluit; *Mortui autem neſciunt quicquam, nec eſt amplius eis merces,*
„ *cum oblivioni tradita ſit memoria ipſorum.* Planum eſt loqui Eccle-
„ ſiaſten de ſtatu animæ poſt mortem æque pii, ac impii. Nulla eſt
„ ratio, ob quam de ſtatu impii Bellarminus verba hæc interprete-
„ tur: quia de mercede bonarum actionum, & boni nominis, apud
„ poſteros, memoria videlicet pia, agit Salomo, Regum in Oriente
„ facile ſapientiſſimus. Bene B. noſter *Martinus Gejerus* in hoc com-
„ mentatur effatum: *Mortui autem neſciunt quicquam: nempe eorum,*
„ *quæ in ſeculo hoc geruntur; ſicuti limitatio hæc mox ſubiicitur verſ. 6.*
„ *non eſt eis portio in ſeculo hoc, in cunctis, quæ fiunt ſub Sole, ac pro-*
„ *inde cum neſciunt, frui etiam rebus illis ignoratis nequeunt.* Tametſi
„ hæc B. noſtri *Geieri* expoſitio in ſe ſit ſatis ſolida, & concinna; ;
„ placet tamen ei Cel. *Thome Cartvvrighti*, Cantabrigenſis Theologi,
„ addere ſententiam, quæ multum lucis adhuc affundet. Ipſi perſua-
„ ſum eſt agere Eccleſiaſten de vana Atheorum perſuaſione, qua vi-
„ vi, qui rebus his caducis frui poſſent, de mortuis feliciores eſſent
„ dicendi. Poſt mortem nullam futuram eſſe mercedem, & volu-
„ ptatem. Illos Sardanapali, & Vitellii ſocios reprimit Eccleſiaſtes.
„ Sic horum helluonum occurrit perſuaſionibus. *Quod autem*, inquit,
„ *dicunt, nihil ſciri poſt mortem, falſiſſimum eſt: cum pii ea, quæ jam*
„ *ex parte cognoſcunt, ut pueri, ut qui in ſpeculo faciem intuentur, ut*
„ *in ænigmate, tum demum perfectè cognoſcent: impii vero ipſo ſenſu ira*
„ *divinæ, & experimento cruciatuum, qui illos manent, plus ſcituri ſunt*
„ *quam vellent, piorum nempe completam omnibus numeris beatitatem,*
„ *atque ſuam ipſorum conſummatam infelicitatem.*

CA-

[*a*] Cap. IX. v. 5. [*b*] Kiesl. 55. §. VI. pag. 300.

CAPUT II.

Superiori capite propoſita expendimus.

1 CAve tamen putes, his Kieslingii explicationibus, Trombellii, immo potius Catholicorum omnium, argumenta diſſolvi, evitarique. Conſiſtunt adhuc illa neque hos impetus timent. Lectorem judicem volo. Exordiamur ab argumentatione propoſita §. V. capitis ſuperioris. Propoſitio illa prior, quam indubitatam eſſe arbitrantur Proteſtantes: hæc videlicet: *præcipuum, atque adeo unicum fundamentum, quo innititur opinio eorum, qui volunt Sanctos pro ſingularibus etiam perſonis orare, in eo ſitum eſt, quod Pontificii ſummum in modum commendant, videlicet in acutiſſimo Sanctorum intuitu*: illa inquam, prior propoſitio, quam indubitatam, & certiſſimam eſſe ajunt, in ea parte, qua ait, *unicum fundamentum*, qua opinio illa innititur, *eſſe acutiſſimum Sanctorum intuitum*, deficiens demonſtratur a Trombellio in tertio capitis XXXIV: quippe ut ejuſdem Trombellii verbis utar: (*a*) *Etiam ſi fateremur, eas* [res noſtras] *neſciri a Sanctis; poſſent illi tamen pro ſingulis impetrare; fieri enim poſſet, ut generatim Deum deprecantibus Sanctis pro unoquoque eorum, qui ſuam opem expoſcunt, Deus Sanctorum prece commotus beneficia ſingulis opem Sanctorum depoſcentibus tribueret. Nimirum ex D. Auguſtini monitis novimus, quod ſicut nobis ignorantibus peculiares mortuorum neceſſitates, orantibus tamen Deum, ut eorum miſereatur, miſeretur re ipſa Deus, & præſentiſſimam opem fert, ita Sanctis, tametſi ignorantibus res noſtras, Deum tamen deprecantibus, ut noſtri miſereatur, dicendum eſt re vera miſereri, & præſentiſſimum, opportuniſſimumque ſubſidium ferre*:

2 Atque hoc quidem monitum copioſius proſecutus eſt Trombellius numero VI capitis XXXVIII, quæ tamen omnia pro more reticet, diſſimulatque Kieslingius noſter. Ita tamen detur propoſitio illa, ut adverſarius non habeat pro *conceſſa*. Quod ad *ſpeculum* (uti Kieslingius appellat) *Deitatis* attinet, quoniam illud ita explicavit Trombellius numero V capitis 38 (*b*), *ut ſit revelatio divinorum Decretorum*, & hanc ipſam revelationem reiicit ſubſequenti exercitatione Kieslingius, illuc Lectorem avoco, ubi argumenta Kieslingii hoc ſuper argumento prævenit. Conſiſto itaque in Patribus. Ajo vero, Patres vetuſtos valde, & probabiles, opinionis illius, quæ a Sanctis noſtras egeſtates audiri ait, & conſpici, eas ſaltem, quas nos cupimus ab iis ſciri, & audiri, revera eſſe aſſertores. An e vetuſtorum, itemque probabilium Patrum numero deles auctorem libri *de Virginitate*, qui inter Baſilii libros habetur? An vetuſtus, itemque probabilis Pater non eſt Niſſenus? An vetuſti, iidemque probabiles Patres non ſunt Ambroſius, Auguſtinus, Paulinus, & Theodoretus, qui omnes Gregorium Magnum ætate præceſſerunt, & multam eruditionis

[*a*] pag. 222. (*b*) pag. 227. [*c*] Ibidem.

Digitized by Google

etiam causa, in Ecclesia consecuti sunt laudem? Cur tamen hos, quorum expressa testimonia Trombellius attulit [a], ne memoras quidem? An ex eorum numero es, qui unum ex doctoribus tuis, mille vetustis, iisdemque ab antiquitate tota laudatissimis Patribus præferunt? Hic tamen non usque adeo audet Kieslingius, sed impudenti mendacio veritatem Lipsiensibus suis obtegens hæc ait: *dubia quædam affert Patrum effata* (Trombellius) *quæ rem minime conficiunt totam*. Sed cum omissis reliquis tam pauca attulisti Patrum loca? Hoc tui muneris nimirum Kieslingi erat, ut perspicere posset Lector, num *dubia quædam*, an multa, eaque perspicua, & expressima essent Patrum effata, quæ affert Trombellius. Tu tamen age, quod libet, dummodo noveris hæc temere a Catholicis non proferri, nec *parum solide*, ut tu effutis [b], *quæstionem hanc probatam fuisse* a Trombellio, quem num ea impetant, quæ ex Theologica ratione discimus, deinceps videbimus.

3 Venio jam ad solutiones tuas. Dum auctorem *quæstionum ad Antiochum* protulit Trombellius, minime dissimulavit dubium, quod criticos angit: quisnam scilicet is sit: alibi tamen monuit laudabilem eum auctorem esse, quique sæpissime ipsas Athanasii sententias transcribit: adeo ut Athanasium quandoque allegemus, dum eum allegamus (c). Hunc porro scriptorem, quisquis is est, Catholicorum opinioni obesse, minime ostendis propterea quia docuerit animas corpore solutas *nec bonum, nec malum posse operari .... easque a Sancto Spiritu actas in regione viventium Deum hymnis laudare, & exsultare*. An in his verbis negat nostra ab iis conspici? Nihil minus: & tamen hoc super argumento lis agitur.

4 Ut sensum hujus Scriptoris probe assequaris, attende obsecro, quid hoc in loco is quærat. *Quid nunc igitur agunt animæ, quæ jam decesserunt*? Cui quidem quæstioni, si interpretationem Patrum S. Mauri sequeris, ad hunc modum respondet. *Anima corpore liberata, nec bonum, nec malum potest efficere: nam visiones, quas de illis quidam cernunt, Deus ad nostrum commodum dispensat. Quemadmodum autem lyra, nisi pulsantem aliquem nacta fuerit, vana, & inutilis videtur; sic anima, & corpus post mutuam separationem nihil possunt agere. Itaque Sanctorum animæ a Sancto Spiritu agitatæ, cum Angelis in regione viventium Deum hymnis laudant, & exsultant.*

5 Mens itaque hujus Scriptoris, est describere, quænam sit jugis, & si loqui ita licet, *ordinaria operatio* animarum corpore exutarum. Monet autem statim de se, animas corpore exutas quidquam boni, vel mali, operari non posse. Quod quidem monitum duobus modis intelligi potest: idest eas nec mereri posse operibus bonis, nec improbis demereri: rursus nec visere nos posse, aut monitis suis adjuva-

(a) Cap. 36. & 37. (b) §. 2. pag. 295. [c] Differ. II. cap. XIV. n. 7.

juvare. (a) At quoniam obiici poſſet apparuiſſe interdum animas mortuorum, & monita quædam dediſſe viventibus; annuit quidem Scriptor iſte, ſed tamen eas apparitiones tribuendas eſſe negat animabus ipſis, quaſi ipſæ per ſe apparuerint, ſed monet eas apparitiones peractas fuiſſe extraordinaria actione Dei, qui eaſdem apparitiones fieri mortalibus per Angelos voluit, ut eæ juvarentur. [b] Hoc autem non modo de impiorum animabus ſtatuendum eſſe cenſet, ſed de ipſis quoque Sanctorum animabus, nam hæ circa corpora non verſantur, ut Gentiles non pauci tradiderunt, ſed ad cælos evectæ, & Angelis junctæ jugiter Deum laudant. Ceterum dum id agunt, nos orationbus juvare fatetur, iiſque fortaſſe jugiter ad Deum fuſis; etenim huic quæſtioni, quæ. XXXI eſt: *Quodnam opus eſt cæleſtium virtutum in cælis?* Reſpondet: *Hymnus nunquam intermiſſus, lauſque perennis magnificentiæ Dei. Forte etiam oratio aſſidua pro noſtra ſalute.* Quæſtionem vero XXXII, quæ his verbis propoſita eſt: *An noſtri ſunt memores animæ quæ diſceſſerunt, quemadmodum & Angeli ſunt noſtri memores?* ad hunc modum ſoluit: *Sanctorum quidem anima noſtri omnino meminerunt, minime, vero peccatorum animæ, quæ in inferis jacent: cum enim ſupplicium ſibi debitum expectent, merito certe de illo ſolum ſunt ſollicitæ, nihil aliud curantes.* Quibus quidem poſitis, vides agnoſcere auctorem hunc, Sanctorum pro ſingularibus etiam perſonis, non pro univerſa tantum Eccleſia, interventum, & preces, quidquid ſecus tu cenſeas, [c] neque huic Catholicorum opinioni ea obeſſe, quæ tu ex quæſtione XXXIII depromſeras.

6 Cur porro inconcinnum appellas Severiani Gabalitani monitum: *Immo vero* (Maria) *maxime audit &c?* Quum aliquid reprehenditur,

(a) Quæſtione XXV hæc propoſuerat. *Num hominum animæ, qui ante nos decedunt, vitam iterum inviſunt nec ne?* Reſp. Nequaquam. Audi enim Prophetam Davidem de hominibus morientibus monentem: *Homo, ſicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſivit in illo, & non exiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum.* De animabus autem Juſtorum nihil eſt ambigendum.

[b] Id apertiſſime tradit queſt. XXVI nam huic interrogationi: *Si hæ ita ſe habent, quomodo ſæpe Sancti ſuis in templis, & tumulis apparent?* Reſp. *Singularis, & paradoxa ſane quæſtio, fideliſſimaque indigens anima, ad reſpondendum. Tamen ſi capis, audi, nec ratione vacilles. Quæ in templis, & tumulis Sanctorum adumbrationes, & viſiones fiunt, non per animas Sanctorum fiunt, ſed per Angelos, qui formas Sanctorum aſſumunt. Quomodo enim, dic mihi, Beati Petri, vel Pauli anima una poſſit eodem momento in memoria, ſive monumento ejus apparere in mille ejus templis per totum orbem? Id enim nec unus Angelus queat unquam præſtare. Solius ſiquidem Dei eſt duobus in locis, & toto in Mundo eodem momento reperiri: quandoquidem & ipſæ intelligentes virtutes deficiunt omnino a doxologia, quæ in cælis eſt, cum in miniſterium in terram mittuntur.*

[c] Sane *ſingulares perſonas* indicant ea verba: *an noſtri ſunt memores?*

Digitized by Google

reprehenſionis ratio adducenda eſt, mi Kieslingi. Quam vero affers? Nullam hic prorſus; num deinceps probabilem adducas, poſtea videbimus: ſed interea nullam affers; immo vero pro more alio excurris, & ſermonem de *adoratione* inſtituis, qui hoc in loco ineptiſſimus eſt, quoniam de *adoratione* omnino non agitur, ſed potiſſimum quidem de interceſſione, & data occaſione, de rerum noſtrarum, præſertim vero egeſtatum, intuitu Sanctis impertito. Cur vero *prudentiores*, & *ſelectiores* Chriſtianos appellas eos, qui a tuis partibus ſtant? An imprudentes, & de populi fece nos ſumus, qui præeuntibus Sanctis Patribus Mariam colimus? Hanc vero Kieslingi ſummo in honore profecto habes, dum *ſatis* illi eſſe dicis (*ſatis habet*) quod illius *memoria adhuc durat*. Doctorum hominum, Ducum, Regum, ſceleſtiſſimorum quoque hominum, atque adeo dæmonis ipſius *memoria adhuc durat*. An illis Mariam comparas, nec habebit illa præſtantius aliquid, & excellentius, quo eos antecellat? An non ea Maria eſt, quæ de ſe ipſa affirmavit. *Beatam fore dicendam in omnes generationes*? An beata dicetur ſi illius *memoria adhuc duret*?

7 Cum porro dicis, *Solum Deum audire, quæ ipſi deferuntur laudes*, id affirmas, de quo ambigitur, & ut Scholaſtici ajunt, id quod in *quæſtione eſt*. Ceterum facile tibi aſſentiar, & ſi hæc ita proferas, quaſi Deus ſolus immenſitate ſua cuncta complens, & omniſcientia cuncta comprehendens cuncta *per ſe*, & ſi loqui ita volumus, *naturaliter* ſciat, Sancti vero *per gratiam*. Id haud temere a nobis tradi is affirmabit, qui ad ea adverterit animum, quæ a Trombellio capitibus 36. 37. & ſequentibus ediſſeruntur.

8 Num vero Maria cultum illi adhibitum inſpiciens, preceſque audiens, quas illi porrigimus, *ingemiſcat*, an non, experientia nobis compertiſſimum facit: conſequimur enim Virginem deprecantes, illique æquam venerationem adhibentes, nec rara, nec modica beneficia:

9 Quid vero *inſolentis* (*a*) protulit Trombellius Kieslingi mi: quid *magno cum hiatu* adduxit, ut in rabiem concitatus eum injuriis laceſcas, & veluti hominem intemperantiſſimum apud Lectorem accuſes? Nihil, niſi moderatiſſimum protulit, cum hæc ſcripſit: *eadem & Pruæntii opinio fuit*: etenim his verbis eandem perſuaſionem comprobat:

Tanta pro noſtris periclis &c.

Rurſus in hymno tertio in laudem Eulaliæ Virginis hæc ait:

Oſſibus altar & impoſitum
Illa Dei ſita ſub pedibus
Proſpicit hæc, populoſque ſuos
Carmine propitiata fovet.

Quid, obſecro, inſolentis hic eſt? Quid *magno cum hiatu recitatum*? Profecto ſi inſolentia produxit Trombellius, ſi magno cum hiatu ea recitat,

(*a*) *Inſolens eſt, quod ex Prudentio magno cum hiatu recitat*; pag. 197.

tat, facile dices insolentia etiam produxisse Augustinum, eaque *magno cum hiatu* recitasse, nam e suggesto de Stephano Protomartyre hæc ait: *Cum eo, quem lapidasti, cum Christo regnas: ambo nos videtis: ambo modo sermonem nostrum auditis.*

10 Num superioribus Patribus, an Gregorio Magno tantummodo innitamur, dum dicimus a Sanctis nostras egestates conspici, precesque ad eos directas audiri, iis dijudicet, qui trigesimum sextum dissertationis III Trombellii caput expendet. Neque vero iis opponere potes tu Tertullianum, quem tamen, licet vetustus sit, cum Augustino ut arbitror, non comparabis. Sed quisquis is est, nihil est plane in objectis verbis, quod sententiæ tuæ suffragetur, Kieslingi mi: neque enim de Beatis eloquitur ille, sed expressissime sermonem habet de animabus illis, quas, quia mala multa, dum corporibus unitæ essent, egerunt, ancipites esse putat spem inter & metum, reservata scilicet [Tertulliani quidem opinione] ad extremi judicii diem sententia: interea tamen *puniri vult, & foveri in infernis &c.* An hæc ad eam quæstionem pertinent, quam pertractamus? An beatorum animæ puniuntur, & *foventur in infernis interim sub expectatione utriusque judicii in quadam usurpatione, & candida ejus?* Et hæ sunt solutiones quibus tu Kieslingi Trombellii argumenta, probationesque eludere te posse speras, iisque Lipsienses plaudunt & gratulantur. An tibi plauderent, & gratularentur, Kieslingi mi, si scirent, te illum ipsum, quem hic citas, Tertulliani locum, nusquam confuluisse, sed tenere excripsisse ex alio nescio quo simili tui Scriptore, desidi scilicet, & oscitanti? An, si confuluisses eum, citares veluti desumptum ex capite XXXIII Libri de *spectaculis*, cum liber ille capite trigesimo concludatur? Quid: si moneam omnino non extare locum illum in toto illo, quem allegas libro *de spectaculis*? An te accuratissimum dicam, cum paginam nescio quam 579 indices, & tamen tam turpiter erres? Et tamen revera turpissime erras; neque enim in eo, de quo agimus libro, verba ea extant, quæ tu tamen profers. Verum ne deinceps irridearis a tuis, scito verba illa quæ tu producis, Tertulliani esse quidem, sed neque in eo, quem tu dicis libro, neque in eo, quod tu allegas capite. Extant scilicet capite quinquagesimo octavo, id est postremo libri de *anima*, [quod quidem caput quanti æstimandum sit, facile scies, si interpretes consules. *Sane ad Paracletum* provocat, & sententiam illaudabilem hic proponit] cum aliqua tamen sententiarum, verborumque varietate, & nonnullis interjectis, quæ tu omittis, nec tamen ea de re Lectorem mones. Et dum hæc agis, Trombellio insultare, viroque diligentissimo detrahere audes?

11 An vero accuratior apparebit censor noster, quum a Patribus, quos Trombellius attulit, sermonem convertit ad ea Scripturarum loca, quæ a Trombellio allegata fuisse autumat? Minime vero: immo adeo negligens apparebit, ut objectiones cum probationibus ipsis confundat, & misceat, ideoque is qui Trombellii scripta legens minime adverterit, quando is aliquid probet, aut jam constituta sententia aliquid sibi obiciat.

Digitized by Google

biiciat. Illud sane constat ea Scripturam loca, quæ veluti argumenta a Trombellio allata ad Catholicorum sententiam asserendam Kieslingius allegat, esse puras, merasque objectiones, quas sibi facit Trombellius, eas deinceps dissoluturus. An non vera narro? Profecto Kieslingius ita § IV exordiritur (pag. 397): *Pergit nunc ad Caput XXXVII ut evincat, quæ supra adduxerat, argumenta, e codice Sacro desumpta. Primum dictum apud Jobum extat cap. XIV,* com. 1. & ita fluit *sive nobiles fuerint &c.* Tamen multo aliter lego caput XXXVII, Trombellii, cujus quidem titulus hic est. *Dissolvimus ea, quæ adversus persuasionem superiori capite propugnatam allata sunt.* An hoc est pergere *ad caput XXXVII ut evincatur, quæ supra adducta erant argumenta e codice sacro desumpta?* At debebat saltem errorem, si in quem inciderat, evitare Kieslingius, quum hæc legeret: quibus Trombellius caput ipsum exordiritur: *Sequor objectionum ordinem, & primo explico illud, quod primo objectum est* (objectum erat autem hoc testimonium n. 1 capitis XXXV): tum ad *reliqua descendam. Eum Jobi locum* (*quem adversus nos intorserunt &c.* An non prudens tibi videtur Kieslingius, quum hæc Scripturarum loca quasi a Trombellio Protestantibus objecta sibi dissolvenda proponit? facile porro ea solvet, si Trombellium sequetur. Et revera tum sequitur, cum primo convenit cum Trombellio, sequi nos posse Philippum Presbyterum, legereque cum interrogatione. *Sive nonobiles, sive ignobiles* filii ejus (qui per baptismum ex Deo nati sunt,) *non intelliget? De interrogatione* (inquit censor noster (*a*)) *nullum plane est dubium.* Et tamen hac posita, Protestantium difficultas plane evitatur: tum enim [uti advertit Trombellius [*b*]] *tantum abest, ut hujusmodi testimonium obsit scientiæ sanctorum, ut potius mirum in modum faveat: & de Sanctorum scientia quasi de indubitata re pronunciatur.* Oh incomparabilem itaque censorem nostrum, qui & objectiones pro probationibus sumit, & eas approbat responsiones, quibus Doctorum suorum difficultates, atque argumenta prorsus tolluntur.

12 Is tamen adhuc Trombellium accusare non timet, hæcque de eo affirmat: [*c*] *Ipse ambigit, & quam seligat sententiam, ignorat. Arridet illi sui Gregorii Magni* explicatio: *Aptissime*, inquit, *Gregorius M. Sicut enim hi, qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vita in carne viventium post eos qualiter disponatur, nescient: quia & vita spiritus longe est a vita carnis: & sicut corporea, atque incorporea diversa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus Sanctis sentiendum non est: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum filiis impendunt, hoc eo Beatus Job nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amaverunt: ut sive nobiles, sive ignobiles sint filii, nesciant, quorum eos semper cura fatigabat.* Tum ad hunc mo-

[*a*] pag. 300. (*b* pag. 219. (*c*) pag. 279.

modum prosequitur Kieslingius: [a] *Non tantopere hoc urgeo dictum, quum nondum sit evictum agere illud de mortuorum statu. De interrogatione nullum plane est dubium. Hac itaque stante sententia, nihil impedit, quo minus hæc verba Jobi de misera mortalium conditione interpretemur. Jobus tristissimam hominum sortem contemplatus, forte hæc in verba erupit: O quem misera est rerum humanarum conditio! Filii mei emortui sunt, nec ullam, cum jam gravioris essent ætatis, ab iis accepi lætitiam, nec ipsis misere mortem oppetentibus concurrere potui.* „ *Parum interest:* „ *num verba; an nobiles sint futuri, de opibus, vel de gloria & dignitate sumas.*

13 Sed quonam, hæc Kieslingi mi? Tu ais Trombellium ambigere, ignorareque quam sententiam eligat: arridere tamen illi sui Gregorii Magni explicationem. Non ambigit profecto Trombellius, nec ignorat, quam sententiam eligat: Sed plures affert explicationes, easque valde probabiles, e quibus nullam rejicit, sed in Lectoris lubito relinquit, ut quam vult, seligat. Neque vera dicis, cum indicas eum unice approbare explicationem, quam ex Gregorio Magno tu allegas. Aliam etiam Gregorii Magni explicationem is approbat. Aliorum etiam Patrum explicationes affert, & approbat: nimirum Philippi Presbyteri, & auctoris illius, cui tribuimus commentaria in Job, quæ sub Hieronymi nomine edita sunt.

14 Ais etiam *nondum evictum esse agere illud* (testimonium, ut arbitror nam si ad Jobum, cujus proxime ante mentio facta fuerat referas a Prisciano vapulabis) *de mortuorum statu*. Sed et hoc ipsum discis a Trombellio, quippe hæc ait: [b] *Monent alii, loqui Jobum de ea notitia, quam vivens homo habere potest de posteris suis; quippe ignorat plane, num nobiles, num ignobiles futuri sint. Monent alii, hic judicari ignorantia, in qua dum vivimus, versamur, num Deo accepta sint nostra operam, nec ne. Sic interpretatur Gregorius Magnus, Philippus Presbyter pag. 55. & auctor ille, qui sub Hieronymi nomine Commentarios in Jobum edidit, hoc modo versiculum objectum explicans.* Hoc est, non filii carnis, sed filii mentis, idest „ opera virtutum. Non intelligunt ergo Sancti in hac vita ante judi„ cii diem, quales pro certo filios habeant, utrum Deo placentes, an „ non placentes. *Alii de mortuis* id accipiunt &c. „ Cur ergo mones, non esse necesse, ut ea Jobi verba *de mortuis* intelligamus, quasi jussisset Trombellius nos ea verba de mortuis intelligere.

15 Num vero ea etiam excipi possit explicatio, quam tu adhibes, non multum curat Trombellius: namque uti dixi satis explicatus est locus ille. Sed si vis, non verebitur Trombellius eam ipsam explicationem superioribus adjungere: quod dum facit, humanitatis cujusdam erga te causa, se id facere affirmat. Quis enim verba ista: *nescit num nobiles, an ignobiles habiturus sit filios*: ad hunc modum explicet?

(a) pag. 298. [b] pag. 219.

cet? *O quam misera est rerum humanarum conditio! Filii mei emortui sunt, nec ullam, cum jam gravioris essent ætatis, ab iis accepi lætitiam, nec ipsis miseræ mortem oppetentibus concurrere potui.* Quos tu porro Doctores e grege tuo allegas, nec in ea, de qua agimus quæstione sperno, cum nobis contrarii non sunt, nec tanti facio, ut veteribus præponam.

16 Ii vero, quos ex Catholicis obiicis, Trombellii, ideoque Catholicorum sententiæ minime adversantur. An non facile excipiet Trombellius, adeoque Catholici omnes Sanctii explicationem, & cum Jobo fatebuntur *humanæ vitæ conditionem undique vexatam, ac miseram? Si filii desint, magnus est parentibus dolor, & ignominia, maxime apud Hebræos..... Si vero filiis abundat, neque hoc parentis mortem consolabitur, quia nescit, an suscepti filii, in quorum vita ipse quoque quodam modo vivet, nobiles futuri sint, an ignobiles &c.*

17 Nec Trombellio quidquam officit prior explicatio Pinedæ. Etenim vel de homine *generatim*, & *naturaliter sumpto* loquitur, minime vero de anima ad cæleſtem beatitudinem evecta: vel fortasse etiam expressius de anima hominis deducta ad inferos, cui quidem animæ, nostra procul dubio non innotescunt. Porro de hujusmodi anima Pinedam loqui declarant verba illa [*a*]: *Emissus homo, & expulsus ex vita hac, atque dimissus a Dei manu conservatrice viventium omnium perget ad inferos, ubi neque ratio, neque sapientia, neque scientia est; non enim cognoscunt quid apud nos agatur, neque curare possunt, quæ ad suos pertinent, quæ ignoratio ingentis cujusdam miseriæ genus est.* An hæc displicebunt Trombellio, qui cum Gregorio Magno hæc protulit? *Sicut enim hi, qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vita in carne viventium post eos qualiter disponatur, nesciunt, quia & vita spiritus longe est a vita carnis: & sicut corporea, atque incorporea diversa sunt genere, ita etiam distincta cognitione.* An saltem eidem Trombellio posterior Pinedæ explicatio obest? Minime vero. Audiamus quid doceat secunda explicatio Pinedæ. [*b*] *Tum etiam ex Olympiodoro, & Polychr: indicant, docere videtur Job, nullam miserum hominem ex iis, quæ post eum futura sunt, utilitatem capere; quæ enim, & quanta post ejus interitum, soboles, & progressio filiorum fuerit, & cujusmodi generis propagatio, puella, an ampla, ignorat: ut tacite admoneant speciosam, numerosamque sobolem non magni fieri debere, nam morituro homini nihil istorum fructum aliquem affert: similiter divitiæ, & ignobilitas filiorum anxium, & metu mortis perculsum parentem nihil videntur juvare.* An nonne ea ipsa sunt, quæ tradidit licet paucis Trombellius, dum hæc ait? *Monent alii loqui Jobum de ea notitia, quam vivens homo habere potest de posteris suis; quippe ignorat plane, num nobiles, num* ignobiles *futuri sint.* Tamen non veretur Kieslingius Pinedam Trombellio opponere, speratque se Trombellium Pinedæ verbis posse revincere.

18 Quam-

[*a*] pag. 299. Kieslin. (*b*) Ibidem, ideſt pag. 299.

Digitized by Google

16 Quamquam porro iis quæ hactenus diximus, ea etiam diffolvantur, quæ deinceps interrogando obiicis, placet tamen ea ipſa recenſere, ac refellere. Statuantur ea, quæ ex Gregorio Magno retulimus, excepitque Trombellius, ad hunc modum inſtat Kieslingius (a) *Unde quæſo probabit, inferni, caliginiſque incolas res humanas ignorare, beatitatis vero hæredes eaſdem ſcire? Quæro ex Gregorio M. quorſum Jobum referat? Num ad damnatos, an ad beatos? Poſtremum mihi concedit. Argumentor nunc: Si Jobus, qui beatus omnino eſt dicendus, & qui faciem Dei viſurus erat, profitetur, ſe neſcire ea, quæ liberis poſt mortem accidant, minus tuto de Sanctis intimam rerum, quæ in terris agantur, notitiam aſſirmare poſſumus. Saltem hoc Jobi effatum, ſi de mortuorum ſtatu ſumatur, magis eſt pro parte negante, quam affirmante. Fruſtra repoſueris: Jobum tunc temporis rebus humanis adhuc interfuiſſe, & nondum ad Dei conſpectum, & ejus commercium fuiſſe admiſſum, & proinde beatorum futuram conditionem ignoraſſe. Quam excuſationem facile amplector, & nunc ex Venerabili Abbati ediſcere cupio: unde certo ſciat, aut a quonam Sancto audiverit, hanc eſſe beatorum ſortem, eamque illorum felicitatem, qua rerum humanarum conſcii ſint appellandi? Neque Jobus hanc notitiam poſt mortem ſibi pollicetur, neque Scriptura Sacra hoc tradit arcanum.*

17 Verum hæc ad hunc modum diluo. Gregorius M. diſcrimen attulit damnatos inter, & beatos verbis iis: *quod tamen de animabus Sanctis ſentiendum non eſt*, & reliquis quæ ſubiicit, quæque hic non recolo, quoniam antea ea retuli: de quibus judicium tulit Trombellius n. V. capitis triceſimi octavi, cui quidem modo reliquos addas velim, quos idem Trombellius eodem ipſo capite triceſimo octavo tradidit.

18 Tuæ illi argumentationi *ſi Jobus qui beatus omnino eſt dicendus &c.* cum reliquis quæ deinceps urges, hac ratione occuro. Unde ſcis Kieslingi, Jobum quum hæc dixit, ſciviſſe ſe futurum eſſe beatum? At fac ſciviſſe. Quoniam duos, ut ita appellemus, beatitudinis ſtatus habiturus erat Jobus, priorem imperfectum, quique vera & rigoroſe ſumpta beatitudo non erat, ſed potius requies a prioribus mortalis vitæ laboribus, & certitudo veræ beatitudinis deinceps obtinendæ: & ſtatum hunc recepturas erat in ſinu Abrahæ: perfectum alterum obtinendum poſt Chriſti reſurrectionem, per quam idem Chriſtus diſrumptis mortis vinculis *Captivam Captivitatem*, id eſt Sanctorum animas in ſinum Abrahæ evecturus erat ad Cælos, unde ſcis determinaſſe potius poſteriorem, quam priorem, cum multo ſimilius veri ſit, cum de poſteris egerit, quorum ſeries raro poſt multa ſecula perſeverat, mentem intendiſſe ad eos, qui minoris temporis intervallo ab ejus morte diſtarent, quam ad eos, qui poſt ea ſecula, quæ Jobum inter, & Chriſti reſurrectionem excurrere debebant, or ituri erant, ſi tamen orituri erant: quis enim filiis deſtitu-

(a) pag. 299.

tutus, & ægritudine graviſſima affectus (ut tum erat Job) filios ſibi futuros fore perſuadeat, quorum nepotes ac poſteri per plurima ſæcula perſtent? Dum porro in ſinu Abrahæ detinebantur Animæ, in *Dei eſſentia*, ſeu ſi vis, in Dei decretis conſpicere noſtra non poterant, qui tamen intuitus commodior pleriſque videtur eſſe modus, quo mundana Beati conſpiciant.

19 Ad ea verba: *nunc ex Venerabili Abbate ediſcere cupio, unde certo ſciat, aut e quonam Sancto audiverit, hanc eſſe beatorum ſortem, eamque illorum felicitatem qua rerum humanarum conſcii appellandi*, hæc eſt reſponſio. Nunquam Trombellius dixit, certum id eſſe, quod de Sanctorum intuitu, ac notitia eis impertita traditur a Theologis ſane non paucis: neque enim quidquam eo ſuper argumento definitum eſt a Patribus Tridentinis: ſed tantum dixit: *a Patribus antiquiſſimis, & fide digniſſimis ſæpe nos fuiſſe edoctos a Beatis noſtra conſpici*: proponi quoque a noſtris probabiles explicationes, ac rationes, quibus noſtrarum rerum notitia, earum ſcilicet, quas noſtra intereſt eos ſcire, eis innoteſcat: Cum porro id non modo dixerit, verum etiam copioſe oſtenderit, Trombellius, toto ſcilicet capite 38, neceſſe non eſt, eo in argumento immorari.

20 Venio jam ad locum Eccleſiaſtæ, ideſt ad ea verba verſiculi 5. capitis IX. *Mortui nihil noverunt amplius*. Paucis ajo: nunquam Trombellium locum hunc *reſtrinxiſſe ad ſtatum impii*: ſic ut neceſſe non ſit interpretationem hanc hac de cauſa reprehendere. Ajo quoque te nunquam, Kieslingi mi, reprehendiſſe eam interpretationem, quam ex Hieronymo, & Janſenio Iprenſi deſumpſit Trombellius in eo poſitam, quod *mortuis nullus detur locus edendis operibus bonis*. Satis vero eſt difficultati ex hoc Salomonis loco erutæ, diſſolvendæ, ſi aliqua adſit probabilis, nec a te reprehenſa interpretatio. Ajo denique, a te ipſo, Kieslingi, approbari priorem Trombellii interpretationem. En Trombellii verba. (*a*) *Dicunt nonnulli non ex ſuo, ſed ex impiorum ſenſu hæc fuiſſe locutum Salomonem. Scilicet id non raro fit in hoc libro. Vide Gregorium Magnum capite 4. libri 4. dialogorum.* Sed nonne id approbas, dum hæc ais? [*b*] *Placet tamen ei* (explicationi) *Celeberrimi Thomæ Carturighti, Cantabrigienſis Theologi, addere ſententiam, quæ multum lucis adhuc affundet. Ipſi perſuaſum eſt agere Eccleſiaſtæ de vana Atheorum perſuaſione, quan vivi, qui rebus his caducis frui, poſſent, demortuis feliciores eſſent dicendi. Poſt mortem nullam futuram eſſe mercedem, & voluptatem. Illos Sardanapali & Vitellii ſocios reprimit Eccleſiaſtes. Sic horum bonorum occurrit perſuaſionibus.* „ Quod autem, *inquit*, dicunt, nihil ſciri poſt „ mortem, falſiſſimum eſt: cum pii ea, quæ jam ex parte cognoſcunt „ ut pueri, ut qui in ſpeculo faciem intuentur, ut in ænigmate, „ tum demum perfecto cognoſcent: impii vero ipſo ſenſu iræ divinæ, „ & experimento cruciatuum, qui illos manent, plus ſcituri, ſunt, quam

(*a*) pag. 200. [*b*] pag. 300.

Digitized by Google

„ quam vellent; piorum nempe completam omnibus numeris beatitatem, atque ſuam ipſorum conſummatam infelicitatem. „ Et tamen, quamquam hæc ſcribit Kieslingius, non veretur, hæc libris tradere. *Quod ex Eccleſiaſte nobis movet dubium* (I objectionem tamen adverſariorum refert, refellitque Trombellius) *iiſdem fere retundimus argumentis &c.*

CAPUT III.

Vindicantur ſolutiones, quas Proteſtantium probationibus adhibuit Trombellius.

1 NOn ſatis Kieslingio fuit probationes a Trombellio adductas impetere. Suas partes arbitratur etiam eſſe, ea tueri, vindicareque argumenta, quæ Proteſtantes adverſus nos adducunt. Quoniam itaque Trombellius aptas ſolutiones iiſdem argumentis adhibuit, ea inſtaurare ſtudet, ac confirmare Kieslingius. Ut reiiciatur ea notitia, quam Sanctis Pontificii tribuunt, affertur celebris Iſaiæ locus [*a*]: *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos*: ſeu ut vertit Kieslingius (*b*) *Abraham non cognoſcit nos, & Iſrael non agnoſcit nos*. At Trombellius (*c*) *Variis modis accipit* locum hunc: vel tropologice ſcilicet, ut ſint voces hæ Eccleſiæ, ſeu ſynagogæ ſe convertentis ad Chriſtum: vel ita ut monita hæc ſint Iſaiæ atteſtantis Judaicum populum negligi a Patribus ſuis ipſis, eorum animos alienantibus immanibus ejuſdem populi criminibus. Sua porro monita in primis quidem Hieronymi, tum aliorum etiam valde probabilium Scriptorum auctoritate firmaverat, quos hic recitare ſuperſedeo, quoniam facile Lector per ſe ipſe conſulere eos poteſt.

2 Sed ingenioſiſſimus Kieslingius ſic refellere ſe poſſe ſperat Trombellii monita, & ſolutiones: „ Jure optimo (inquit (*d*)) „ in ſuis quibus „ undique premebantur Iſraelitæ calamitatibus, ad invocandum, & auxilii inopiam Abrahami, & Iſraelis, qui tamen Dei commercio fruebantur, provocant. Neſcios eos eſſe eorum, quæ iis evenerant, in ſuis enixis, quas ad Deum effundunt, precibus, cum dolore profitentur. *Deſpice e celo: Quia tu pater noſter es: Siquidem Abraham non cognoſcit nos: & Iſrael non agnoſcit nos: Tu Jehovah pater noſter, redemptor noſter a ſeculo nomen tuum eſt.* Jes. LXIII. 16 Quod tamen effatum ſugillat Ven. Abbas: & alio ſenſu veſtit; eo videlicet, quo Sancti quidem norunt mala ſuorum; attamen ob gravia illorum crimina pro illis non interpellant. *Alii ſic accipiunt*, inquit, „ *ut fateatur Jeſaias, Judaicum populum negligi, & veluti neſciri, id eſt, omnino non diligi, ſed plane contemni a Patriarchis ſuis*,

[*a*] 63. 16. (*b*) pag. 305. (*c*) pag. 821
(*d*) §. XII. pag. 305.

Digitized by Google

„ *Abraham & Jacob, eorum animos alienantibus, & multitudine, &*
„ *feditate criminum, quibus se polluerant Judei, qui sceleribus suis se*
„ *indignos effecerant, qui veluti filii agnoscerentur & diligerentur ab*
„ *Abraham & Jacob. Non multum videtur id abesse ab eo, quod*
„ *alibi docuimus, videlicet viros Sanctissimos interdum forte non*
„ *deprecari, quod videant immania adeo viventium scelera, ut in-*
„ *digni sint plane, quorum misereatur Deus, aliusque pro iis deprece-*
„ *tur, & advocatione fungatur.* Enixam Ven: Abbas impendit
„ operam, ut hoc Jesajæ effatum Romanensium sententiæ & inter-
„ pretationi reddat propitium. Quam jam dudum interpretandi ra-
„ tionem elegit *Piscator*, ipse jam secoquit, & amplectitur, asseren-
„ do, crimina hujus gentis tam horrenda & immania esse, ut Abra-
„ ham & Israel sibimetipsis pudori ducant, se tam degeneres, &
„ suo nomine prorsus indignos reliquisse liberos, quorum ne quidem
„ meminisse in suis deprecationibus apud Deum velint. Erubescunt,
„ ut rem planius exprimam, parentes, ob liberorum scelera, & o-
„ mnem amorem erga eos, quibus tamen mortalibus a natura nihil
„ dulcius est datum, ex animo quasi extinguunt, & illorum memo-
„ riam penitus expellunt, ita quidem, ut illos pro suis liberis non
„ agnoscant, neque ipsorum sustineant curam. Ita rem Israelitarum
„ deperditam se habere Ven: Abbas sibi quidem, sed non mihi per-
„ suadet. Nullum in hoc effato consipicitur argumentum, quod in-
„ tercessioni Sanctorum faveat. Verba enim quibus utitur Esaias, ni-
„ hil minus quam hanc Abrahami & Israelis suggerunt deprecationem.
„ Timidius cum Deo agunt deperditi Abrahami posteri, & omnem
„ qua alias innitebantur, fiduciam & præpeditam deponunt persua-
„ sionem, se esse filios Patrum, quos Deus in deliciis habuit, &
„ suis de nascitura felicissima generis humani sobole, exornavit pro-
„ missis. Quas alias erexerunt, jam dimittunt critas, asserentes: A-
„ braham nos *nescivit*, & Israel nos non *aguovit*. Quæ verba non
„ solum notitiam, sed & curam rei, & auxilium, ut harum vocum
„ fert ratio, significant. Prima enim vox *scivit* in codice sacro accu-
„ ratam rei alicujus cognitionem tradit, quod ex *Cel: Mario a Cala-*
„ *sio*, *Edmundo Castello*, & *Guilielmo Robertsonio* facile addiscitur.
„ Alterum verbum *aguovit* nec minus est significans, & hanc expri-
„ mit conditionem, qua quis rerum a se alienarum nullam amplius
„ habet notitiam, neque ullam sustinet earum curam, qua in hujus
„ vocis notione laudatissimos auctores, Calasium, Castellum, & Ro-
„ bertsonium habeo consentientes. Et si vel maxime hujus vocis no-
„ tio de indignatione & odio foret sumenda, & ex Deut. XXXIII
„ 9. אחיו לא הכיר, fratres non agnovit, seu ex justo zelo inter-
„ fecit, ut traditur Exod. XXXII. 26. probanda; res tamen non
„ esset acta. Sensus proinde huc redit: Ignoti sumus patribus nostris
„ rebus humanis ereptis, nec in statu felicissimo constitutis, ullum
„ ab iis nobis sperandum est in calamitatibus nostris auxilium. Spem

„ in

„ in ipſorum meritis collocatam habemus nullam, Sed tuam, o Pa-
„ ter Cæleſtis, imploramus, & preſſis tenemus manibus miſericor-
„ diam. Ecquis ex vero dixerit: Abrahamum illos habere odio, qui
„ Deum vera fide appellabant Patrem & redemptorem? Quod argu-
„ mentum magno cum pondere urget Vener: Magnif. D. Leſcherus.
„ Non e veſtigio hæc colligo, ſed celebriorum Romanæ Eccleſiæ Do-
„ ctorum auctoritate munio. Suffragatur noſtræ ſententiæ *Sanctius*,
„ qui in hæc verba ita commentatur: *Profitentur Iſraelitæ, & affirmant:*
„ *ſe neminem parentem agnoſcere præter Deum: ab illo uno ſperare omnia:*
„ *neque magis pendere ab Abraham, Iſaac & Jacob, quam ſi illi non*
„ *eſſent nati, aut, quod ad præſens inſtitutum idem eſt, quam ſi ab Abra-*
„ *ham, aut Iſrael cogniti non eſſent. Nam qui ab aliquo cognitus non eſt,*
„ *ſane ab eo nihil eſt quod ſperet. Porro neſcire, aut non cognoſcere ali-*
„ *quem, idem eſt, quod non curare, contemnere, aut alienum ducere,*
„ *cujus rei exempla ſunt obvia.* Nec diſſidet *Cornelius a Lapide*, qui hæc
„ tradit: *Senſus eſt: Abraham & Jacob jam pridem mortui non habuerunt*
„ *noſtri curam [imo nos non cognoſcunt] ſed ſuorum tantum filiorum,*
„ *qui tum vivebant; eos enim ſolos videbant & cognoſcebant: tu vero,*
„ *o Deus, es pater noſter, qui nos ab omni ſæculo novisti & habuiſti cu-*
„ *ram & providentiam, qua nos ex Egypto, Babylone, aliiſque ærumnis*
„ *mire liberaſti: In te ergo omnes ſpes noſtras collocamus, te imploramus,*
„ *non Abraham; tui filii ſumus, non Abrahæ.* Duo itaque, quæ & ex-
„ citati commentatores facile concedunt, diſputationis noſtræ ſunt ar-
„ gumenta. Unum, quod Judæi profitentur: Abrahamum & Iſrae-
„ lem, in ſuo, quo jam degunt, ſtatu rerum Iſraeliticarum, eſſe
„ expertes & inſcios. Alterum, quod non in ipſorum meritis, ſed
„ in ſola Dei miſericordia quærendum ſit auxilium. Age Vene-
„ rabilis Trombelli, expone rationem qua probes, Abrahamum &
„ Jacobum quidem ſcire poſterorum calamitates, ſed nullam jam pro
„ ipſis ſuſcipere, ob peccata, interceſſionem? Quo ex loco demon-
„ ſtrabis, jam antea hos Patres pro ſuis poſteris interpellaſſe? Sed
„ jam ob ſcelera ipſorum non intercedere velle? Affer effatum, quo
„ perſuaſionem ſuffulcire poſſis? Quo dicto probas, hos patres antea
„ pro filiis morigeris oraſſe? Nulla hujus rei adeſt nota. Edocent Iſra-
„ elitæ: hos Patres nullam ſuorum habere notitiam: *neſcit nos Abra-*
„ *ham, & non agnovit nos Iſrael.* Si vero harum rerum ſunt neſcii,
„ neque interpellatio habet locum. Si itaque ignorarunt hi Iſraelitarum
„ Duumviri, Abraham & Iſrael gentis ſuæ vexationes, non ſuas in-
„ terponere potuerunt apud Deum preces. Iſraelitæ hoc certiſſime
„ credentes, nullas neque in hoc, neque in alio effato ad illos emi-
„ ſerunt preces. Ex eo apparet, hæc verba de beatorum agere ſtatu,
„ qui ſingularem & intimam rerum noſtrarum notitiam non admittit.
„ Satius agit *Bellarminus*, qui veritatem noſtram affirmat, licet ei-
„ dem novum aliquem adiiciat errorem. Profitetur: *bis patribus in lum-*
„ *bo degentibus non eſſe revelata, quæ in terra agebantur.* Non urgeo

„ jam

„ jam absonum hoc discrimen, quod circa ignorantiam beatorum pa-
„ trum V. T. qui in limbo fuerunt, & revelationem beatorum, qui
„ novo Testamento, visione Dei fruuntur, cum *Bellarmino* non pau-
„ ci fingunt, hoc saltem ex ipsius sententia elicio argumentum: Pa-
„ tres sive in limbo, sive alio quopiam in loco fuerint, has Israeli-
„ tarum angustias prorsus ignorasse. Destruitur proinde hoc effato San-
„ ctorum intercessio, quam Cel: Guil: Perkinsus hoc adoritur argu-
„ mento: *Quod si*, inquit, *Abraham non norat posteritatem suam in*
„ *beatitate constitutus; utique neque Maria, neque S. Petrus, neque ul-*
„ *lus Sanctorum demortuorum noverit nos, multo minus sciverit necessita-*
„ *tes nostras: ac proinde etiam non poterit ullam specialem pro nobis a-*
„ *pud Deum intercessionem præstare.* Alterum orationis momentum est:
„ quod non suis meritis, sed soli misericordiæ divinæ confidunt; *Tu*
„ *es pater noster & redemptor*: Nullam in Maiorum suorum fide, meri-
„ tis & operibus ponunt fiduciam; quoniam hæc præsidia exigue opis,
„ & nullius plane auctoritatis futura esse prævidebant. Auxilium im-
„ plorant divinum. Sensus huc redit: *Agnoscimus quidem patres majo-*
„ *resque nostros, Abrahamum & Jacobum; sed cum illi dudum defecerint,*
„ *& quo sunt statu, nostri nullam habere possunt curam, & rationem, nul-*
„ *lum nobis afferre possunt subsidium aut opem: proinde ad ipsorum me-*
„ *rita non confugimus, sed nostram fiduciam in sola Dei gratia ponimus, ut*
„ *recte sensum suggerit Cel: Campeg: Vitringa.* Quæ Pontificiorum ar-
„ gumenta a negatione talis cognitionis specialis; a Sanctorum Patrum
„ ante adventum Christi statu; a cognitione approbationis, quam hic
„ in primis Vener: Abbas urget; & a modo revelationis petita, pror-
„ sus enervavit & confutavit *B. Augustus Varenius* Rostochiensis Theo-
„ logus apprime hic appellandus. Res adeo certa est, excludere hic
„ Israelitas omnia patrum suorum merita, omnes ipsorum deprecatio-
„ nes, & omnem sortis suæ notitiam, ut Vener: *Calmetus* vel coactus
„ in nostram descendere sententiam necesse habeat, ita rem proponens:
„ *Abraham pater noster nobis amplius opem ferre nequit: Te unum habe-*
„ *mus, Domine, a quo auxilium præstolari possimus.* Id autem Roma-
„ nensibus quodammodo damus, orare posse defunctorum animas in
„ genere, pro incolumitate & salute totius Ecclesiæ, quæ adhuc in
„ casteris degit. Suam de hoc argumento fidem nostri Augustanæ
„ Confessionis auctores ita expresserunt: *De Sanctis concedimus, quod*
„ *sicuti vivi orant pro Ecclesia universa in genere; in cælis orent pro*
„ *Ecclesia, in genere, tametsi testimonium nullum extet de mortuis oran-*
„ *tibus in Scripturis; præter illud somnium sumptum ex libro Machabeo-*
„ *rum posteriore.* Quam Confessionem nos admittimus, sed non ut dogma
„ fidei, quod ut *B. Feurbonius* recte monet: *Sacræ Scripturæ testimo-*
„ *nium habere oportet; sed concedimus, quod Sancti hominum defunctorum*
„ *Spiritus in cælis orent pro Ecclesia, in terris militante, tantum in ge-*
„ *nere, non autem pro hoc, vel illo homine in individuo, affectionibus*
„ *singularibus subjecto.*

2 At

3 At quamvis tam multa profundas, Kieslingi, non propterea probas, quod ais, nimium Trombellium effatum hoc Scripturæ *fugillare & vestire alio sensu* : Quis sit *Piscator* ille, cujus *interpretandi rationem* ais Trombellium *recoquere & amplecti*, non multum curo. At vereor tamen ne *Piscatorem* pro *Victore* [Vitensi scilicet] legeris. Id si est, diligentiam tuam in legendis, exscribendisque Trombelli sententiis, laudo. Utcumque sit, certo scito nullius Piscatoris scripta consuluisse Trombellium. Et is sane non in Piscatoris auctoritate nititur, sed Theologica ratione, & auctoritate Victoris Vitensis, & Hieronymi : quippe qui, si non expresse id docent quod Trombellius, indicant sane, quam probabilis ea sit interpretatio. Verba horum Scriptorum cum jam Trombellius attulerit, necesse non est, ea rursus recensere. Tu tamen ea retices, ut *Piscatoris* exscriptorem Trombellium describas.

4 Sed quoniam eam interpretationem reprehendis, dic age Kieslingi, cur Abrahami, & Israelis meminerunt Judæi supplices ? An ut *crissas aemittarent*, (tibi enim aliquando obsequendum est, tuæque phrases adhibendæ), an inquam, ut *crissas dimitterent*, *quas alias creaverunt*, mentionem horum Patriarcharum facere debebant? Dicas, quod libet, verisimiliorem rationem ea, quam Trombellius adduxit, minime inveries, præsertim quum, uti dixi, illi faverit Victor Vitensis, & Hieronymus antiqui sane, & valde laudabiles Scriptores. Atque hæc quidem perspicue ostendunt, non temere a Trombellio fuisse proposita ea quæ tradidit n. secundo capitis trigesimi septimi. An vero per solam fidem nos Deo placebimus, cum *daemones credant*, *& contremiscant?*

5 At Sanctium nobis obiicis, Cornelium a Lapide, Calmetum denique. Quid tum vero, quasi non haberemus his vetustiores, & præstantiores, quos jam allegavimus, quibus si vis adde fratres de Walembutch, & iis referentibus Crocium ? Sed re vera ii ipsi quos obiicis, minime nobis obsunt. Sanctius sane minime nobis adversatur. Scilicet sumit voces has *nescio*, *& non video*, pro vocibus *non curo*, *negligo*. *Porro nescire*, *aut non cognoscere aliquem*, idem est, ac non *curare contemnere*, *aut alienum ducere*, *cujus rei exempla sunt obvia*. At id ipsum docet Trombellius, cujus hæc verba sunt. *Fere tamen*, *sic accipiunt*, *ut fateatur Ijaias*, *Judaicum populum negligi*, *& veluti nesciri*, *idest omnino non diligi*, *sed plane contemni a Patriarchis suis Abraham*, *& Jacob*, *eorum animos alienantibus*, *& multitudine*, *& feditate criminum*, *quibus se polluerunt Judei*, *qui sceleribus suis se indignos effecerant*, *qui veluti filii agnoscerentur*, *& diligerentur ab Abraham*, *& Jacob*. Cornelius vero a Lapide de ea cura loquitur, quam Pater dum vivit, filiorum suorum habet, ut pascat, verbis regat &c. An nos, parentibus nostris mortali vita functis, si rigorose loqui volumus eam tribuimus? Quid ? quod Cornelius a Lapide eam regulam innuit, quam alibi Trombellius dedit, & ego quoque hic excipere non re-

cuso :

cuſo: ſcilicet abſolutis verbis comparationem interdum denotari? ſic ut ſenſus hic ſit. Ea cura, quam noſtri habent Abraham, & Jacob, ſi cum tua comparetur, oh Deus, tam levis eſt, ut nulla plane dici poſſit. Quo modo enim adjuvare nos poterunt, niſi precibus ad te fuſis? tu vero nos potentia tua adjuvas, nobisque opem fers. Lege obſecro ipſa Cornelii verba, & integra affer, & tum demum diſces a te ſubdole Cornelium fuiſſe allatum, præſertim quum non hanc tantum, ſed & alias explicationes adducat, e quibus quarta eadem Trombellii explicatio eſt: quam etiam deinceps accuratiſſime ab objectionibus vindicat. Sed hæc mirifica Kiestingi ſinceritas eſt, & nobilis candor.

5 Multo minus nobis adverſatur Calmet, qui dum hæc ait. *Abraham pater noſter nobis amplius opem ferre nequit: te unum habemus, Domine, a quo auxilium præſtolari poſſumus*, excipere commode poterit eam ipſam explicationem, quam adhibuit Trombellius iis Cornelii verbis, quæ nuper allegavi.

6 Sed quamcunque explicationem ex iis, quas paulo ante dedimus, excipias, indubitata res eſt, Hebreos ad Deum converſos ea dicere rectiſſime potuiſſe, quæ ex Iſaia diſcimus: *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos: tu Domine pater: redemptor noſter: a ſæculo nomen tuum.* Ne ab ea diſcedamus, quam propoſuit Trombellius, nonne propterea ad Deum unice converti ii debebant, quia vetantibus immanibus eorum criminibus jam ab Abrahamo, & Jacobo negligebantur quaſi filii minime meriti, quibus opem ſuffragatione ſua ferrent? Ad Deum itaque veluti ad miſericordiæ abyſſum converti ii debebant, faſſi ſcilicet ſe miſericordiam quidem minime mereri, ſperare tamen eam a miſericordiiſſimo Patre, & Redemptore. Dic mihi Kieslingi omnium hominum ſapientiſſime. Nonne reus qui ſe patrocinio cujuſque, propter immania ſua crimina, deſtitui videt, ad Judicem convertere ſe poteſt, illiuſque pietatem tanto enixius, validiuſque implorare, quanto clarius conſpicit, ſe defenſione quavis deſtitui? Certe quidem. An vero eo exemplo inferre generatim poteris: defenſor ergo, & patronus inutiles reis ſunt, & quoties de rei alicujus ſententia ſtatuitur, conſultius eſt ad Judicem ipſum confugere rejecto patrono? Minime vero: ſæpe enim is plurimum juvat, & crebro videmus homines ſupplicio dignos, patroni ſubſidio juſtam pœnam effugere. Peccat itaque argumentatio hæc tua, quoniam ab uno exemplo generalem conſecutionem eruit, ſeu, ut Scholaſticorum phraſe utar: *tranſit a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.* Putaſſe porro Hebræos ſe Veterum interceſſione juvari, ſatis oſtendit Trombellius. [a]

7 His jam conſtitutis facilis eſt ad tuas ſiſcitationes reſponſio atque ad illam quidem [b]: *Age vero venerabilis Trombelli expone rationem,*

[a] Diſſer. III. cap. 3. (b) §. XIII. pag. 307.

Digitized by Google

tionem, quæ probet Abrahamum, & Jacobum quidem scire [a] *posterorum calamitates, sed nullam jam pro ipsis, suscipere ob peccata, intercessionem &c.* Respondetur exposuisse Trombellium, cum Hieronymum Victorem Vitensem, & Gregorium M. attulit haud obscure monentes multitudinem, & gravitatem criminum avertisse a Judaico populo patrocinium Patriarcharum suorum. Nec Scripturam allegare omisit Trombellius, (*b*) cujus quidem testimonio verisimiliorem efficere studuit responsionem suam.

8. Quod reprehendas Bellarminum, abs re est: neque porro hac in re Bellarminum sequitur Trombellius, sed alia via incedit.

9 Nescit vero Trombellius, nescio ego pariter quidquid illi tribuis *de cognitione approbationis*, cum nihil horum hoc in loco tradiderit Trombellius: ceterum *cognitionem approbationis*, ideoque *reprobationis* Deo tribuunt ii omnes, qui illa audiunt: *Oculi mei super justos: Mundi sunt oculi tui, ne videant malum.* Sed hæc alterius indaginis sunt.

10 Quæ in fine doces de Sanctis pro Ecclesia universa orantibus alibi expensa sunt: nec vereor ego, si Sanctorum intercessionem pro singularibus etiam personis minime excludis, preces a Sanctis pro *Ecclesia universa* fusas agnoscere.

CAP. IV.

Occurrimus Novis illis probationibus a Kieslingio allatis, quas Trombellius minime attigit.

1 Licet non omnia, quæ Trombellius tradidit, Kieslingius expendat, multa enim præterit, quæ Trombellius numeris IV V & subsequentibus Capitis XXXVII tradidit, multa quoque, quæ capite subsequenti, ideſt XXXVIII docuit, ingeniosi tamen, acutique argutatoris laudem sibi comparare studet, novaque perquirit argumenta, quibus Trombellium, ideoque Catholicos omnes impetat. „ Immortalem (inquit ille [c]), quæ fragili hoc corporis u„ titur domicilio, animam nostram, depositis mortalitatis exuviis „ vires, quibus instructa est, intelligendi, cogitandi, reminiscendi, „ & volendi, amittere, citra destructionem ipsius essentiæ, nemo di„ xerit. Manet itaque anima nostra ad sedes beatas delata, in sua „ essentia, sed certis circumscripta limitibus, nec tantum accipit no„ titiæ rerum, quæ in terris aguntur, accessum, augmentumque, ut „ aut per se, aut per speculum aliquod Deitatis, quod Romanensi„ bus per somnium incidit, nostram conditionem, & sortem, qua

(*a*) Ideſt, Scire quidem. [*b*] III. 37. 3. Consule etiam caput 3. & 4. ejusdem Dissertationis III. (*c*) §. VII. pag. 301.

Digitized by Google

„ adhuc in peregrinatione noſtra fruimur, intelligere poſſint. Te-
„ ſtam jamjam a Theologis confractam refarciunt minuti Sedis Apo-
„ ſtolicæ defenſores, qui hæc talia nobis obtrudunt. Speculum dei-
„ tatis eſt res mere imaginaria.

2 Quid tamen, Kieslingi mi, ſtudio hoc tuo, ac conatibus obtines, niſi quod facile dabo: nimirum beatorum animas, ſi natura earum ſpectetur, ſibique relinquantur, omnino non aſſecuturas quid apud nos agatur? An ſecus Trombellius docuit? An non hæc ipſa expreſſiſſimis his verbis tradidit? [*a*] *Porro citra divinam viſionem, citra ea emolumenta quæ dat beatitudo, & ſi vir, citra revelationem, neſcire poſſunt mortui quinam ſint, aut futuri ſint eorum poſteri.* Quod vero de poſteris tum dixit, de Mundanis reliquis dicere non veretur.

3 Ais ſpeculum deitatis eſſe *rem mere imaginariam*. Mere imaginaria non eſt, quæ veterum Patrum monitis, & Theologica ratione innititur. Sed qualiſcunque ea ſit, Trombellium non impetis, dum hæc mones. Ita ſcilicet (quod jam dixi) *viſionem in eſſentia divina* explicat, ut ſit revelatio divinorum decretorum, quam quidem revelationem ſi ademeris, viſio eſſentiæ divinæ [Trombellio judice] dignoſcendis mundanis ſatis non eſt. Recole obſecro, quæ hoc ſuper argumento Trombellius tradidit, videbiſque apertiſſime Trombellium non impeti, dum adverſus eum te ſcribere profiteris. Fatetur quippe Trombellius viſionem *in eſſentia Divina, niſi alii modi adjungantur, aliquam quidem notitiam præbere poſſe, determinatam, atque individuam ſcientiam præbere non poſſe*. Reliqua quæ ſive tu ipſe tradis, ſive Priſodius ſtatuit, cum alibi ſoluta ſint, nos detinere minime queunt.

AD

[*a*] cap. 57. pag. 219.

AD EXERCITATIONEM XXIV.

Cujus hic est titulus:

Modus, quo defuncti rerum humanarum conscii esse dicuntur, rite diluitur.

CAP. I.

1 NE rem ineffabilem tradere videretur Trombellius, dum egestates nostras Sanctis notas fieri posse dixit, modos, quibus Sancti rerum mundanarum notitiam habere possunt, describit capite XXXVIII. Irridet Trombellii studium Kieslingius, aitque [a] *non esse mortale quod audet Venerabilis Abbas, qui nobis modum aliquem, quo rerum nostrarum gnaros fingit Sanctos, magna cum veritatis specie obtrudit.*

2 Revera Trombellius multo minus audet, quàm vult Kieslingius: neque enim animose docet a Beatis nostra conspici, sed tantummodo conspici posse; quippe varii adsunt modi, quibus ad eos rerum nostrarum notitia pervenire potest. Enumeravit porro Trombellius quatuor modos, quos strictim, & paucis primum recenset, fusius deinceps explicaturus. *Primus quidem est* (inquit [b].) *ille videndi, cognoscendique quasi naturalis modus, quem Platonici, & Patres fortasse non pauci animis corporeo carcere solutis assignaverunt: quos animos ex hoc ipso, quod materialibus vinculis liberi essent, putaverunt, res hasce nostras multo melius cognoscere. Alter modus est positus in Angelorum nunciis, a quibus Sancti intelligere plurima de nobis possunt. Tertius est revelatio Sanctis, vel a Christo, vel a Deo facta. Quartus denique est manifestatio certissimorum Decretorum Dei, per quæ Sancti illa noverunt, quæ interdum nobis accidunt.*

3 Primum porro modum propositum fuisse monet ab Ambrosio, & a Prudentio; Trombellius tamen in eo non multum inhæret. Quid ad hæc Kieslingius? Ut se eruditum, doctumque probet, occasionemque habeat carpendi Trombellium docet eum quoque propositum fuisse ab Augustino epistola 159. ad Evodium. Cuncta Augustini verba a Kieslingio allata si referam, vereor ne æquo sim longior: hæc tamen est Augustini conclusio: *cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit, qua vivas, sensusque quo sentias. Cave jam deinceps, ne dubites, vitam manere post mortem.*

3 Sed quonam hæc Kieslingi? Dic mihi: an propositum Trom-

[a] pag. 310. [b] n. 1. capitis XXXVIII. pag. 225.

Digitized by Google

bellio fuit cuncta Patrum teſtimonia afferre? Minime vero: infinitus enim fiat oportet, & Lectori moleſtus, qui cuncta Patrum teſtimonia, ſuper quovis argumento afferre ſtudet. Laudem itaque, non reprehenſionem meretur Trombellius, dum ipſa Ambroſii verba allegans, & Prudentii locum indicans, aliorum Patrum verba non deſcribit, haud obſcure tamen declarans alios extare, qui modum hunc tradunt: *Primus quidem eſt ille videndi, cognoſcendique quaſi naturalis modus, quem Platonici, & Patres fortaſſe non pauci animis corporeo carcere ſolutis aſſignaverunt: quos animos ex hoc ipſo, quod materialibus vinculis liberi eſſent, putaverunt, res baſce noſtras multo melius cognoſcere.* Et hæc quidem reprehenſioni Kieslingii ſatis ſint dicta.

5 Quid ſi reprehenſionem retorqueam in Kieslingium, afferamque nihil minus atteſtari Auguſtinum, quàm id, quod cupit Kieslingius? Quæſtio hæc eſt: num noſtra innoteſcere beatis poſſint? Porro Trombellius primum quaſi naturalem modum, quo innoteſcere ea beatis poſſint, eſſe ait, quum anima corporeis vinculis exſoluta cuncta ſibi ſubjecta liberrime conſpicit. Quem quidem modum non modo Ambroſius, & Prudentius, verum etiam proponere videtur Severianus Gabalitanus ea de Maria Virgini affirmans, quæ jam citavi. *Si enim maxime audit, eo quod in loco eſt ſplendido*, maxime etiam conſpiciet, *eo quod in loco eſt ſplendido.* (a) An hac de re Auguſtinus diſſerit? Nihil minus; ſed tantum probat animam corpore exutam adhuc videre, & ſentire, nec corpore egere, ut videat, ſentiatue. Verba Auguſtini cuncta, quæ refert Kieslingius non refero, cum quiſque per ſe ipſe conſulere poſſit: oſtendantque perſpicue, ea vera eſſe, quæ tradidi.

6 Sed cur tantopere ſtudet Kieslingius Auguſtinum prioris illius modi patronum facere: quando quidem eum modum Kieslingius deſpicit? Levisne gloria videtur illi, ſi Trombellium diſtringat, niſi Trombellio addat Auguſtinum, adverſus quem audaciſſime inſurgat? & ubi Trombellius multos Patres allegare omittit, quod explicationem hanc minime amplectatur, Kieslingius eos ipſos allegare ſtudet, qui modum eum minime proponunt. Cur vero? ſcilicet [ea enim eſt moderatio Kieslingii] ut reiiciat, & apertiſſime profiteatur ſe ab Auguſtino diſcedere. Temere tamen id ſe conſequi poſſe ſperat, cum, ut jam dixi, ea hic non tradat Auguſtinus, quæ Kieslingius noſter illi appingit.

7 Mo-

(a) Integrum Severiani locum recitamus oportet, ut illius ſenſus apertius conſtet. Monens ſcilicet Mariam Sanctiſſimam veriſſime de ſe affirmaſſe *Beatam me dicent omnes generationes*: ſubinde hoc ſibi opponit. *Et quid illi prodeſt, cum non audiat?* Tum vero ad hunc modum reſpondet. *At revera audit, quod ſit in ſplendido loco vivorum, mater ſalutis, fons lucis &c.* Tom. VI. Oper. Chryſoſt. edit. Montfaucon. pag. 569. n. 10. ora. VI. *de Mundi creatione*; (ſeu opificio.)

7 Modum alterum, quo innotescere Sanctis nostra possunt, esse dixerat Trombellius nuncios, quos iisdem Sanctis referrent Angeli: allegarat vero Augustini librum *de cura Mortuorum* cap. 15. alias n. 18: [a] hæc nimirum docet Augustinus. *Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hic, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt. Nisi enim essent Angeli, qui possent interesse & vivorum, & mortuorum locis, non dixisset Dominus Jesus*: Contingit autem mori inopem illum, & afferri ab Angelis in sinum Abrahæ &c.

8 Quid vero ad hæc censor noster [b]? „ *Nec de secundo modo* „ *Augustinus dubitat, licet animo aliquantisper fluctuet*: Dixerit, *in-* „ *quit*, aliquis, si nulla est mortuis cura de vivis, quomodo ille dives, „ qui apud inferos torquebatur, rogabat Abraham patrem, ut mit- „ teret Lazarum ad quinque fratres suos nondum mortuos, & ageret „ cum eis, ne venirent & ipsi in eundem tormentorum locum. Sed „ numquid, quia hoc dives ille dixit, ideo quid fratres agerent, vel „ quid paterentur, eo tempore, scivit? Ita illi fuit cura de vivis, „ quamvis quid agerent, omnino nesciret, quemadmodum est nobis „ cura de mortuis, quamvis quid agant, utique nesciamus. *Et post* „ *pauca*: Proinde fatendum est: nescire quidem mortuos, quid hic „ agatur, sed dum hic agitur: Postea vero audire ab eis, qui tunc „ ad eos moriendo pergunt: non quidem omnia, sed quæ sinuntur „ indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos, quibus „ hæc indicant, oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus, „ quæ aguntur hic, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unum- „ quemque illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt. „ *Venerabilis tamen Augustinus hanc sententiam nobis nondum satis af-* „ *firmavit. Nam omnia, quæ dixit, dubia sunt, & incerta, quum a li-* „ *bera Dei dispensatione dependeant. Quam fingit rationem, quæ in re-* „ *velatione, vel per animas emigrantes, vel per Angelos, vel per Deum* „ *ipsum consistit, multis obnoxia est dubiis.*

9 At non continuo tibi assentior, Kieslingi. Num secum ipsa conveniant, quæ primum ais: scilicet Augustinum *de primo modo non dubitare, licet animo aliquantisper fluctuet*, tu videris. Profecto qui de re aliqua non hæsitat, nec aliquantisper quidem animo fluctuat. Ceterum omnino non dufluctuat animo Augustinus. Curam aliquam rerum nostrarum haberi a mortuis censet ille: sed a damnatis citra ullam scientiam eorum, quæ apud nos geruntur: *ita illi fuit cura de vivis, quamvis quid agant, omnino nesciret, quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamvis quid agant, utique nesciamus*: a beatis vero non sine scientia eorum, quæ geruntur, limitata tamen, eorum scilicet tantummodo, quæ Deus judicat opportunum, ut ab iis sciantur, neque ea naturaliter: (si liceat ita

(a) pag. 223. (b) pag. 312.

ita loqui) ſed illis revelata vel ab animabus ad cælum evectis, vel ab Angelis. [a]

10 Cur porro hæc ſuperbe reiicis Kieslingi, nec vereris pronunciare rationem, quam Auguſtinus adducit ab *eo fingi*? [b] Quod de Deo ipſo Sanctis *revelante* ais [c], hic non memoratur ab Auguſtino. Quum vero memoratur, rectiſſime memoratur, is enim qui prophetis abſentia revelavit, an non poterit revelare Sanctis in cælo degentibus? An vero prohibebuntur animæ, quum ad cælos evehuntur, ea revelare, quæ noverunt, quum ſciunt eorum notitiam utilem fore viventibus, acceptam vero Sanctis ipſis? An angeli jubebantur ea non revelare, quæ pariter norunt, ſi revelentur, emolumentum non leve allatura eſſe viventibus de *quorum ſalute*, ut verbis Cypriani utar, *Sancti ſolliciti ſunt*?

11 Sed Auguſtino Voſſium obiicis. Profecto Voſſius multi apud te eſt, dum illius auctoritas, te quidem judice, Auguſtini vetuſtiſſimi, & ingeniоſiſſimi doctoris auctoritatem antecellit. Sed quid tandem affert Voſſius, quem Auguſtino præfers? Ea omnia, quæ de animabus Sanctorum aſſeverat: noſtra ſcilicet non curare &c. ea ipſiſſima ſunt, de quibus ambigitur: adeo ut vitium hic inſit, quod logici appellant: *dare theſim pro hypoteſi*. Soluta quoque ſunt dudum, & a Trombellio, & nuper a me. Quod de Angelis ais: ſcilicet nuncios eſſe quidem Dei ad nos, non item noſtros ad Deum, facile negatur, nec immerito negatur: ſunt enim, ut ipſemet fateris, *adminiſtratorii ſpiritus propter eos miſſi, qui hereditatem capiunt ſalutis*. Itaque ſi noſtra utilitas expoſcet, perinde divina ad nos deferent, ac noſtra ad Deum. Quid? quod apertiſſime affirmant Hilarius, & Zeno, quos & excitavit Trombellius, & ego quoque excitavi, noſtra deferre ad Deum, illique delatas preces ſuis ipſis precibus efficaciores reddere. An magis Voſſio, quam Hilario, & Zenoni fidem præſtabimus? Quamquam valde diſtat id, quod hic dicimus cum Magno Auguſtino: res ſcilicet noſtras Sanctis mortuis per Angelos innoteſcere, ab eo, quod huc immittit Voſſius, nimirum per Angelos non habere nos acceſſum ad Deum, ſed per Chriſtum. Hoc tamen ipſum quodcunque eſt, explicatum eſt copioſe Capitibus 26. 29. & 33. Diſſertationis III. Trombellii.

12 Ter-

(a) Proinde fatendum eſt, neſcire quidem mortuos, quid hic agatur, ſed dum hic agitur: poſtea vero audire ab eis, qui tunc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare, qui ſinuntur etiam iſta meminiſſe, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Poſſunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hic, præſto ſunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta ſubjecta ſunt; niſi enim eſſent Angeli, qui poſſent intereſſe & vivorum, & mortuorum locis, non dixiſſet Dominus Jeſus: *Contigit autem mori inopem illum, & afferri ab Angelis in ſinum Abrahæ &c.*

[b] *Quam fingit rationem &c.* [c] *Vel per Deum ipſum &c.*

Digitized by Google

12 Tertius modus, quo innotescere Sanctis beatitudine potitis nostræ res possunt, est revelatio divina. Hunc ex Augustino [a] ita explicat, comprobatque Trombellius (b): *Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quos necessarium est ea nosse, non solum præterita, vel præsentia, verum etiam futura, Spiritu Dei revelante cognoscere: sicut non omnes homines, sed Prophetæ, dum hic viverent, cognoscebant; nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda, Dei providentia judicabat*, idque etiam Paulini Nolani, & Gregorii Magni auctoritate confirmat.

13 At audite, quomodo & referat, & refutet Kieslingius. (c) *Tertia ratio erat, quod Sanctis revelet Deus, illi deinde, quasi datatim remittant Deo. Sed manifestum est hujusmodi ἀιτοφημιαν non minus divinæ sapientiæ adversari, quàm priores istas rationes.*

14 Oh mi Kieslingi, quàm præclare Trombellii sententiam exponis, quam ingeniose refutas! Sine tamen omnium hominum sinceriſſime, nonnullas dubitationes tibi candide exhibeam. Cur vocem *modus* vertere tibi placuit in vocem *ratio*, quæ ambigua valde est, & multo pluribus obnoxia significationibus, ideoque ambiguitatibus? Tui muneris erat, Kieslingi, dum Trombellii sensa explicas, iisdem vocibus uti, quibus ille usus est. Sed id omittamus. Quid est, obsecro, quod deinceps ais: *quod Sanctis revelet Deus, illi deinde quasi datatim remittant Deo?* Sanctis nonnulla a Deo revelari, Catholici tradunt, docuitque manifesto Augustinus, quem allegat, & sequitur Trombellius: *sed quod illi deinde quasi datatim remittant Deo*, impietas tua est, non stultitia tantum. An putas nos minime assequi unde vocem hanc *datatim* acceperis? A Plauto nimirum eam derivasti hæc [d] Curculioni, applicante:

Tum isti qui ludunt datatim servi scurrarum in via &c.

respicit scilicet ad eos, qui pila ludentes eam invicem dant, & recipiunt. An Catholici ineptias has, & nugas absonas, atque iniquissimas, aut aliquid horum simile de Deo, aut Sanctis confingunt? In quonam Catholicorum libro legisti Kiesingii, Sanctos *datatim remittere ad Deum ea*, quæ Sanctis ipse revelavit? Insanis Kieslingi, insanis, dum hæc Catholicis temere, ac falso imputas. Sane hæc omnia negantur a nobis; & vehementer pernegantur: fidimus porro magis Augustino, & reliquis Patribus, qui ea valde probabilia censent quæ nos tradidimus, quam tibi, qui dum ea reiicis, nullam consilii tui rationem adducis.

15 Quartus modus, quo innotescere beatis possunt mundanæ res aliquæ, *est manifestatio certi ſimorum decretorum Dei, per quæ Sancti illa noverunt, quæ interdum nobis accidunt.* Adversus hunc modum ve-

[a] lib. *de cura mortuorum* cap. 15. aliàs n. 18. (b) n. 4. cap. 38. pag. 226.
[c] pag. 312. (d) Curcu. 2. 3. 17.

hementer Kieslingius insurgit, & hæc effundit [a]: *Duplex nobis decretorum Divinorum revelatio in scriptura sacra est obvia. Alia vivis, & in hoc orbe degentibus est facta, qualis fuit illa, qua Deus suum consilium de extirpanda Sodomitarum urbe Abrahamo exposuit. Gen. xviii. 17. 18. 19. Alia Angelis in Cælis evenit, de qua div. Paulus:* „ Ut „ nunc declaretur principatibus, & potestatibus, in cœlestibus „ per Ecclesiam, tam varia Dei sapientia. Eph. III. 10. „ *Prima manifestatio vivo adhuc Abrahamo de decretis divinis adhuc perficiendis contigit, non quidem de individuis Sodomiticæ regionis inquilinis, sed de tota hac hominum sentina. Prodesse poterat Sodomitis Abrahami intercessio, si pauci extitissent fideles. Sed ubi unquam offendes ejusmodi manifestationis defuncto Abrahamo in sede cælesti factæ, vestigium? Omne cum hujus Mundi rebus apud mortuos cessat commercium, neque tristia, neque læta, quæ fuit amicis accidunt, ad eos pervenire valide probatur. Excellentiora suarum cogitationum objecta in felicissimo hoc beatitatis statu habent beati. Oblivioni enim omnia, quæ nostris eveniunt, tradentur, & Deo soli committentur. Merito & hic applicatur illud Pauli:* Obliviscor, quæ sunt a tergo, & ad interiora me intendo. Philipp. III. 13. *Curam rerum, quæ in terra agebantur, Abrahamus demit helvoni in supplicii loco, ipsi in animum revocant:* illos habere Mosen, & Prophetas. Luc. XVI. 29. *Non igitur opus esse, innuit, ut de illorum salute sit sollicitus. Res, quas in Regno gratiæ Deus cum mortalibus tractat, ad Regni glorioſi possessores non spectant. Interim hos beatos, neque facultatum, quibus anima ornata est, neque status totius Ecclesiæ militantis expertes esse statuimus: si quidem balcyonia, quæ Deus concedit Ecclesiæ, & victoria, quas nanciscitur militans cœtus, trophæa, & gaudia in cælis excitant sempiterna. Apoc. XII. 10. seq. Et cur tantopere huic insistimus argumento? Auras venamur. Suavia enim sunt somnia, quæ de rebus, quas Deus suæ omniscientiæ, & Majestati relictas esse voluit, nobis fingimus. Multa multam, imo maximam veri speciem præseferunt, sed tamen, non sunt certa, & evicta. Omne fere punctum tulisse mihi videtur B. Fechtius, qui de immaturo hoc ingenii fœtu appositæ judicat:* „ Si dixeris: Deo infinitos modos esse, quibus Sanctis „ ingenerare petitionum nostrarum etiam innumerarum notitiam queat, „ neque potentiæ Divinæ limites esse fingendos; tum respondetur, „ non quæri quid possit Deus, sed quid velit. Etsi fieri potest, ut „ nudus homo universa sciat, & universa possit, quæ conceptu nostro ipsam creaturæ essentiam transcendunt, quomodo ex omniscientiæ, & omnipotentiæ possessione adversus Socinianos pro Dietate „ valide amplius argumentabimur? „ *Quam argumentandi rationem a generali, & confusa rerum notitia, ad specialem, & accuratam individuorum cognitionem, quin imo a modo possibili ad actum vere talem petitam, jam dudum devictam, consutatamque dederunt Venerabilis Mag. D. Val.*

[a] §. IV. pag. 312.

D. Val. Erneſt. Leſcherus, & B. Gottl. Wernsdorfius, Theologi & vivi, & mortui immortales. Experta certe Romanenſes videntur eſſe audaciæ temeritatiſque, quando modum revelationis ex cerebro fingunt. Verum proinde eſt de iis, quod de ſciolis hujus rei venatoribus Cl. Joachimus Oporinus ſcribit. „ Nimiam, *inquit*, Chriſtianorum quorundam „ Philoſophorum ſubtilitatem circa futurum animæ poſt mortem ſu„ perſtitis ſtatum hic accuſo. Etiamſi enim hi libenter accipiunt, „ quæ auctore Chriſto nobis revelantur, ultra tamen interdum, quam „ par erat, ſapere volunt, in erroreſque facile incurrunt. „ *Multum roboris hoc habet argumentum: Poſſe Deum Sanctis Angelis, & defunctis majorem revelationis & ſcientiæ concedere gradum, quis dubitare vellet? Sed quæritur nunc: num re ipſa tanta gaudeant rerum omnium notitia? quod niſi Scripturæ vim inferant Romanenſes, nobiſcum negabunt. Alium eſt de omnibus, quos ſibi imaginantur modis Pontificii, in Scriptura Sacra ſilentium.*

16 Hæc tamen, quamquam multa ſunt, haud difficile ſolvimus: Tu Kieslingi ſtatum quæſtionis ignoras, aut ignorare te ſimulas, quum ais: (*a*) *Quæritur nunc: num re ipſa tanta gaudeant* (Sancti) *rerum omnium notitia?* Minime id quærimus Kieslingi mi, neque ullum Catholicum Doctorem afferre poteris, qui *ſtatum quæſtionis* hunc eſſe affirmet. Fruſtra itaque illa adjicis: *quod niſi Scripturæ vim inferant Romanenſes, nobiſcum negabunt &c:* cum, uti dixi, nemo unus e noſtris id affirmet, ſed tantum quæramus, num quoniam Veterum auctoritate præeunte, nec Theologica ratione obſiſtente, valde probabile eſt, egeſtates noſtras, aliquas ſaltem, & preces Sanctis porrectas, illis eſſe notas, quomodo illis notæ eſſe poſſint. Quoniam porro de poſſibilitate agimus, neceſſe non eſt, ut exemplum alicujus decreti Beatis a Deo revelati adducamus: nam poſſibilitas, de qua, uti dixi, tantum modo agimus, minime expoſcit, ut exiſtentiam aſſeramus. Num recte ea dicas: *prima manifeſtatio vivo adhuc Abrahamo de Divinis decretis adhuc perficiendis contigit non quidem de individuis Sodomitice regionis inquilinis, ſed de tota hac hominum ſentina*, judicent alii. *Segor*, niſi plane fallimur, eadem pice inquinata fuiſſe videtur, & tamen illi propter Lot pepercit Deus. Num vero omnes ejuſdem criminis rei flammis cæleſtibus abſumantur, nullaque detur eidem crimini venia, dicant qui noverunt multa crimina occulta eſſe, poteſtatemque dimittendorum criminum quorumvis ampliſſimam eſſe in Eccleſia.

17 Quod dicis de interdicta Sanctis etiam mortuis noſtrarum rerum notitia [*b*] & communicatione (ſi appellare ita vis), hoc eſt *quod quæritur*, & nos negamus, nobis aperte faventibus iis Patribus, quos jam excitavi. Tibi vero gratulor Kieslingi, quod inauditam, &

[*a*] In fine exercitationis hujus pag. 313.

[*b*] *Omne cum hujus Mundi rebus apud mortuos ceſſat commercium.*

Digitized by Google

prorſus novam explicationem inveneris verborum Pauli (*a*): *Obliviſcor quæ ſunt a tergo, & ad interiora me intendo* (*b*). Sane ignota hæc fuit non modo veteribus omnibus, verum etiam ea non admodum in recentibus libris frequens erit. Tene tamen laudem hanc tuam, dum ex Gypriano, aliiſque Patribus, quos Trombellius citavit, aſſequor ego, *ſollicitos eſſe beatos pro noſtra ſalute*: aſſequor etiam ex Paulo Apoſtolo *caritatem nunquam ceſſare*; ideoque proſecuturos Beatos preces ſuas, quas ante mortem pro nobis fundebant.

18 Falleris porro Kieslingi, dum hæc ais: *Curam rerum, quæ in terra agebantur, Abrahamus demit heluoni in ſupplicii loco ipſi in animum revocans, illos habere Moyſen & Prophetas*. Falleris, inquam, primo quia falſo ais: *Demiſſe Abraham heluoni curam rerum quæ in terra agebantur*. Non enim eam demit, ſed tantum demit ſtudium ac vehemens deſiderium eos monendi per extraordinarias mortuorum apparitiones; quod quidem deſiderium repreſſit Abrahamus verbis iis: *Habent Moyſen, & prophetas, audiant illos ..... Si Moyſen & prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*. Falleris pariter, quod eandem curam ineſſe vis Beatis, quæ damnatis ineſt. Dic mihi Kieslingi, an ad damnatos viſendos pergunt Angeli, qui noſtra nuncient? An caritate erga nos fervens damnati, item ut beati fervent? Nollem Kieslingi hæc ſcripſiſſes; facile enim ſi tua legent, irridebunt illi ipſi Lipſienſes, qui ſcripta tua tot laudibus exornarunt.

19 Sed quid eſt, quod ſtatim his verbis ais: *Interim hos beatos neque facultatum, quibus anima ornata eſt, neque ſtatus totius Eccleſiæ nullatenus expertes eſſe ſtatuimus: ſiquidem halcyonia, quæ Deus concedit Eccleſiæ, imo & victoriæ quas nanciſcitur militans cœtus, trophea, & gaudia in cœlis excitant ſempiterna*. Apoca. XII. 10. ſeq. Hoc porro ſic ſtatim diſſolvo. Pax & quies quam Deus interdum concedit Eccleſiæ, victoriæ quas illa conſequitur, ſi gaudia in cœlis excitant, innoteſcere procul dubio beatis debent. Quomodo vero innoteſcent? Niſi ad quattuor illos modos, quos recenſuit Trombellius, aut, ut melius dicam, ad aliquem eorum confugias, innoteſcere omnino non poterunt. Cur ergo generatim dicis, rationes a Trombellio propoſitas *divinæ ſapientiæ adverſari*?

20 Quæ ex Teſthio objicis, reſponſionem hanc habent. Nemo Catholicorum dixit certo innoteſcere noſtra Beatis: ſed ſimile veri eſſe, & valde probabile innoteſcere aliqua, veluti preces noſtras, egeſtates, propter quas ad Sanctos confugimus. Quoniam vero ambigere poſſit quiſpiam de modo, quo hæc innoteſcere poſſint, modos eos recenſemus, nec temere recenſemus, ſed Veterum, præſertim vero Auguſtini auctoritate præeunte. Hinc dignum Kieslingii moderatione, &

(*a*) Philip. III. 13. (*b*) Vulgata ſic reddit: *Unum autem: quæ quidem retro ſunt, obliviſcens, ad ea vero quæ ſunt priora, extendens me ipſum &c.*

& toties jactata modeſtia monitum illud eſt: (a) *Experto certe Romanenſes videntur eſſe audaciæ, temeritatiſque, quando modum revelationis ex cerebro fingunt: verum proinde eſt de iis, quod de ſciolis hujus rei venatoribus &c.* Kieslingi mi non Bellarminum tantummodo, aut Oſium Cardinales ampliſſimos, nec reliquos Catholicos Doctores, quos, velis nolis, egregios viros eſſe conſtat, ſed vetuſtos, eoſque probatiſſimos Patres his verbis dilaceras, atque in primis Auguſtinum, cujus monitis jugiter inhæſit Trombellius. An de Auguſtini mente dubitas, poſtquam expreſſiſſima illius verba Trombellius deſcripſit? Itaque Auguſtinum alioſque quos allegavimus Patres *experte audaciæ temeritatiſque* eſſe dices, quique *modum revelationis ex cerebro finxerint, ſciolos* quoque *hujus rei venatores*. Id porro cum dices, quænam tua *modeſtia* ſit, quænam doctrina pariter tua, facile ediſcemus.

(a) pag. 313.

AD EXERCITATIONEM XXV.

Quam inſcribit Kieslingius:

De Fructuoſo, & S. Polycarpo pro tota Eccleſia rogantibus.

CAPUT I.

1 AT ad novam Kieslingii accuſationem convertamur oportet. Reprehendit ſiquidem Trombellium Kieslingius, quod Auguſtini locum tam inepte attulerit, ut eo Proteſtantium, non Trombellii cauſa vindicetur. En ipſa Kieslingii accuſatio. (*a*) „ Quod demum affert ex Auguſtino de Fructuoſo „ martyre argumentum, noſtræ ſententiæ favet. Ex Auguſtino, ſeu „ potius ex Fructuoſo antiquiſſimo, & Sanctiſſimo Martyre, cujus Au„ guſtinus mentionem facit, & laudes texit, novimus, pro tota „ Eccleſia tantummodo deprecari, atque intercedere Sanctos. *Nimi„ rum edocet Auguſtinus Fructuoſo cum diceret quidam, ut eum in mente „ haberet, & oraret pro illo, reſpondiſſe Sanctiſſimum Martyrem: me „ orare neceſſe eſt pro Eccleſia Catholica ab oriente uſque ad occidentem „ diffuſa* [*b*]. Parum ſuccedit, qua utitur venerabilis Abbas, argumenti ratio. *Qui pro Eccleſia orat, non prohibetur pro peculiaribus etiam „ ſingulorum indigentiis orare.* [*c*] Quam minutulam rationem jam diſſolvit S. Auguſtinus hæc Fructuoſi verba ita exponens: *quis enim „ orat pro ſingulis? Sed nemiuem ſingulorum præterit, qui orat pro uni„ verſis. Ab eo nullum membrum prætermittitur, cujus oratio pro toto „ corpore funditur.* (*d*) Globulum jam ipſe enodavit Martyr Fructuoſus: *Tu vis, ut pro te orem, noli recedere ab illa Eccleſia, pro „ qua oro.* Non igitur opus eſt, ut pro particulari oret perſona. Nam „ tota Eccleſia multis conſtat partibus, ſeu membris. Quando igi„ tur quis pro tota precatur, orat ſimul pro omnibus Eccleſiæ membris. „ Non individua, & particularis requiritur oratio. Ineptum & ſuper„ fluum foret, ſi tibi, vir Venerabilis, apprecarer ſanitatem corporis, & „ adderem: Sanus ſis oculis, pedibus, manibus, digitis. Rideres; nam „ votum quo apprecor, ut toto corpore gaudeas ſano, jam involvit „ omnium partium ſanitatem. Bene proinde rem decidit Fructuoſus, „ qui pro tota Eccleſia, quæ multis conſtat membris, orandum eſſe „ dicit. Mitto porro hæc, quæ non rejicienda ſunt. Fructuoſi viven-

„ tis,

[*a*] pag. 314. [*b*] Vide pag. 232. §. I. [*c*] Vide pag. 233.
[*d*] Vide Aug. Oper. To. V. Sermo. CCLXXſil. pag. 771. edit. Bened.

„ tis, & nondum defuncti verba. Solemne enim fuit, ut pii Jesu te-
„ stes ultima subituri supplicia, ardentissimis precibus Ecclesiam totam,
„ & fideles hujus Civitatis Christianæ inquilinos Deo commendarent,
„ ut statim de Polycarpo declarabo. „

2 Quam ingeniosus, quam acutus es, mi Kieslingi! Nondum advertisti quæ de Fructuoso retulit Trombellius, tuque ea ex eodem Trombellio narras: nondum scilicet advertisti, non probationes id esse sententiæ, quam sustinet Trombellius, sed objectionem quam sibi solvendam proponit. Tamen id argumentum, & initium capitis ipsius XLI, in quo hæc pertractantur, apertissime ostendunt. Id ne temere dixisse videar, recolamus obsecro ipsa Trombellii verba. [a] En capitis argumentum seu titulus. *Refertur, atque expenditur id quod de Fructuoso narrat Augustinus: ostenditurque Catholicorum sententiæ minime adversari ea quæ referuntur ab eodem Augustino, Fructuosi verba: denique indicatur locus, in quo diluimus ea, quæ ex tertio capite repetunt.*

3 Ad hunc vero modum caput ipsum exorditur Trombellius. „ Alte-
„ rum, ut vidimus, objectionum genus impossibilitatem, de qua hactenus
„ disseruimus, minime curans, certe adhibitum negat singillatim nobis
„ hujusmodi interventum. Porro hoc objectionum genus complectitur
„ multa, veluti ea Patrum monita, in quibus tantum docemur, pro
„ Ecclesia rogare Sanctos, vel etiam doceri videmur, pro Ecclesia
„ tantummodo, non pro peculiaribus singulorum indigentiis rogare.
„ Inter cetera postremi generis argumenta hoc præstat. Ex Augusti-
„ no, seu potius ex Fructuoso antiquo, & Sanctissimo Martyre, cujus
„ Augustinus mentionem facit, & laudes texit, novimus pro Eccle-
„ sia tantum modo deprecari, atque intercedere Sanctos &c. „

4 Supereſt itaque, ut videamus, recte ne, an secus, objectionem hanc dissolverit Trombellius, idemque prævenerit quæcunque recitas. En quæ tradit ille „ Qui pro Ecclesia orat, non prohibetur pro peculia-
„ ribus etiam singulorum indigentiis orare. At neque secundum ma-
„ gnam habet difficultatem. Etenim, ut in illo sistamus testimonio,
„ quod expresse tantum allegaverunt, neque constat (quantumcun-
„ que Augustini verba pervolvas) Fructuosum, ubi se pro Ecclesia
„ precaturum dixit, respexisse ad eas preces, quas post mortem Deo
„ fundere potuisset; neque si id etiam constaret, colligi omnino pos-
„ set, eum, qui pro Ecclesia universa precaturus est, non etiam pro
„ singulis precari posse. Quod ad primum attinet, si diligenter in-
„ spexeris, perpenderisque Augustini verba, nullam omnino reperies
„ voculam, immo nullum, ut ita loquar, reperias apicem, ex quo
„ discas, preces non viventis, sed vita mortali functi Fructuosi indi-
„ cari: immo contra a tempore præsenti, quo utitur Augustinus (*orat*)
„ preces indicari videntur ab eo, quum adhuc viveret, fundendæ. En
„ quæ dixi Augustini verba. *Cum ei diceret quidam, & peteret, ut*
„ *eum*

[a] pag. 232.

„ *eum in mente haberet, & oraret pro illo, respondit: me orare necesse* „ *est pro Ecclesia Catholica ab Oriente usque ad Occidentem diffusa. Quis* „ *enim orat pro singulis? &c.* Et re vera consueviſſe Sanctos Martyres, „ ac præsertim Episcopos, martyrium paulo post subituros pro Ecclesia universa orare, discimus ex numero octavo actorum Sancti „ Polycarpi. Quod si de precibus post mortem fundendis intelligi id „ vis, non propterea excluduntur peculiares personæ. An non discimus ex iisdem actis S. Polycarpi, eum, tam & si pro universa „ Ecclesia fuderit preces, peculiarium tamen personarum adhuc meminisse? *Ut vero precationem finiit, in qua mentionem fecerat omnium,* „ *qui aliquando cum ipso congressi fuerant, parvulorum juxta, & magnorum,* „ *clarorum & obscurorum, totiusque per Orbem terrarum Catholicæ Ecclesiæ* „ *&c.* Et sane minime prohibetur is, qui pro cunctis universim rogat, ne „ pro aliquibus speciatim roget. At age: noluerit S. Fructuosus polliceri se se singillatim nominatimve oraturum pro cunctis, qui „ preces suas exposcebant. Id vero indicat non obscure Augustinus iis „ verbis: *Quis enim orat pro singulis?* Adhuc peculiaris interceſſio extare potest, si generatim pro iis orat, qui aut carnis cognatione, „ aut civitatis, & amicitiæ vinculis conjuncti sunt, aut etiam preces suas posposcerunt, aut affine aliud ob meritum [si appellare „ ita vis] digni effecti sunt, ut Sanctus eorum ageret curam, advocationeque fungeretur. Tum sane resicitur peculiaris illa enumeratio, qua singillatim & nominatim quisque recenſetur, & simul talis interceſſio & cura importatur, ut ad singulares personas descendat. „ Quid? quod, nisi fallor, D. Fructuosus illa reposuit homini suas „ preces exposcenti, ut eum in Catholica religione detineret, a qua „ forte recedere ille volebat? Id sane innuunt & verba posita in Sermone Augustini: *Rogabat ille, ut oraret pro illo*: & Fructuosi ipsius: „ *Et ego oro pro Ecclesia Catholica ab Oriente usque ad occidentem diffusa: Tu si vis, ut pro te orem, noli recedere ab illa, pro qua oro*: „ quæ verba utique puto Fructuosi esse, non Augustini; aut si vis, „ Augustini referentis tantummodo Fructuosi sensa, non de suo aliquid addentis. „ An non hæc tuas objectiones præveniunt, dissolvuntque Kieslingi mi?

5 Mirabile est porro quod deinceps adversus Trombellium urges Kieslingi mi. Tua verba Lectori subjiciam, ne videar tuas qualescunque difficultates, atque objectiones omittere. *Iterum* (inquit Kieslingius (*a*)) *se ipsum suo gladio petit, quando ad S. Polycarpi solemnem provocat Orationem, de qua hæc leguntur*: „ Ut vero precationem finiit, „ in qua mentionem fecerat omnium, qui aliquando cum ipso congressi, si fuerant, parvulorum juxta & magnorum, clarorum & obscuro„ rum, totiusque per Orbem terrarum Catholicæ Ecclesiæ. „ *Probet velim ex hac Polycarpi oratione, eum pro individuis, quos tamen & officii so-*

cios,

(*a*) §. II. pag. 315. quæ per errorem refert. 551.

eios, & amicitiæ ſodales habebat, oraſſe. Id enim viro venerabili probandum erat. Si oravit pro omnibus, parvulis ac magnis, claris & obſcuris, palam eſt, eum precibus ante ſupplicium emiſſis, omnes Deo commendaſſe. Et ſi pro ſingulis oraſſet, nihil id juvaret Vener. Abbatem, quia ipſi demonſtrandum erat, S. Polycarpum demortuum pro nonnullis Eccleſiæ membris oraſſe. Sed non de vivo, nedum de mortuo Polycarpo id probari poteſt.

6 Vis Trombellium probare ex hac Polycarpi oratione, eum pro individuis, quos tamen & officii ſocios, & amicitiæ ſodales habebat, oraſſe? *id enim* (inquis) *viro Venerabili probandum erat.* Sed quid aliud indicant verba illa: *Precationem finiit, in qua mentionem fecerat omnium qui aliquando cum ipſo congreſſi fuerant, parvulorum &c. Mentionem in oratione facere eorum omnium, qui aliquando cum ipſo congreſſi fuerant, parvulorum &c.* Idem eſt (ſi latine ſapis) pro *individuis*, quos & officii ſocios, & amicitiæ ſodales habuerat, oraſſe. Oſtendit ergo ex Polycarpi verbis Trombellius, quod ab ipſo oſtendi efflagitas.

7 Falleris vero Kieslingi, quum hæc addis. *Et ſi pro ſingulis oraſſet, nihil id juvaret Vener. Abbatem, quia ipſi demonſtrandum erat, S. Polycarpum demortuum pro nonnullis Eccleſiæ membris oraſſe. Sed non de vivo, ne dum de mortuo Polycarpo id probari poteſt.* Falleris [inquam] quia Polycarpi exemplum ad eum tantum finem aſſumit Trombellius, ut probet, *minime prohiberi eum, qui pro cunctis univerſim rogat, ne pro aliquibus ſpeciatim roget.* Hoc autem expreſſiſſime eo exemplo Trombellius probat. Rectiſſime itaque exemplum illud attulit. Ceterum, ſi vis aliud expreſſius exemplum, quo diſcamus Martyres pro individuis etiam perſonis poſt mortem orare, ecce tibi promiſſionem glorioſiſſimi Martyris Theodoti Ancyrani, quam quidem minime dubitamus ab eo fuiſſe impletam. (a) „ Cumque orationem finiens [de Theodoto „ loquitur Nilus horum Actorum ſcriptor] adjunxiſſet amen, converſus „ vidit fratres flentes, & dixit: *Nolite lugere fratres, ſed glorificate Domi-* „ *num noſtrum Jeſum Chriſtum, qui fecit, ut perficerem curſum meum,* „ *& inimicum ſuperarem. DEINCEPS ENIM IN CÆLIS CUM FI-* „ *DUCIA PRO VOBIS DEUM DEPRECABOR.* Et hoc dicto „ gaudens excepit gladium. „

AD

(a) Act. SS. Theodoti, & VII. Virginum n. 31. pag. 407. editionis Veron.

AD EXERCITATIONEM XXVI

Quæ hunc titulum habet:

De Rebus terrenis, & humanis, a Sanctis frustra expoſcendis.

CAP. I.

1 NUgaris Kieslingi, & ineptias ineptiſſimas narras. Theſim hanc propoſuit Trombellius. [a] *Non modo cæleſtia beneficia, verum etiam terreſtria & temporalia poſſe nobis impetrari a Sanctis*: eamque Baſilii, Theodoreti, Auguſtini, Aſterii, Nyſſeni, aliorumque etiam vetuſtiſſimorum, & doctiſsimorum Patrum auctoritate firmavit. Rationem quoque Theologicam, & experientiam addidit. Quibus conſtitutis nonnulla ſibi objecit, atque inter cetera hoc Chriſti monitum: *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ideo vero ſibi objecit, quod putaretur ab aliquibus non opus eſſe petere temporalia, ſed tantum petere ſupernaturalia, quæ quidem ſi ſola poſcerentur, tum Deus reliqua adjungeret. Atque huic quidem objectioni occurrit Trombellius cauſas afferens, ob quas non ſolum ſupernaturalia, & cæleſtia, ſed terrena etiam poſcere a Sanctis, ideoque a Deo poſſumus. Hæc ſunt in ſumma, quæ Trombellius cap. XLII docet.

2 At ea ſic eludere diſſolvereque contendit Kieslingius hæc ſubjiciens: *Quæ de rebus terrenis per Sanctos nobis expoſcendis, & conferendis Vener. Abbas addit, mihi plane videntur otioſa.* „ Porro, in„ quit, non modo cæleſtia beneficia, verum etiam terreſtria, & tem„ poralia poſſe nobis impetrari a Sanctis paucis oſtendam.„ In ſubſidium vocat verba Matthæi cap. VI. 33. *Quærite primum Regnum juſtitiamque Dei, & iſta omnia vobis adden tur. Putat & hæc a Sanctis petenda eſſe & expectanda.* „ Quod ſi ſpeciatim de precibus ad Sanctos „ propter terrena acquirenda prolatis loquamur, eæ caritatem & pie„ tatem Sanctorum commendant, oſtenduntque, perſuaſos eſſe Catho„ licos, tam ardenti caritate erga nos pollere Sanctos, ut nos vel „ in minimis, terreniſque recreent, juventque. „ *Non nova, & inſolentia his verbis Vener. Abbatem proferre, nuper admodum in Epiſtola, quam Reverendus Cajetanus Cennius Divo Petro ſacram eſſe voluit, cum radio legi. Vix enim crediderim, eo impudentiæ procedere poſſe virum, acuto ingenio præditum, ut gratias ob accepta quædam beneficia Sancto Petro referat. Aſt eo delapſum video Reverend. Cennium, ut beneficium ſuum Sa-*

(a) cap. XLII. pag. 235.

Sacrum Sancto Petro Apostolorum Principi, Pontificum Romanorum primo, *ut titulus fluit, acceptum ferat, & hac fine pudore asserat*: „ Cle„ mens XII Christi Vicarius me vehementer admonuit, ut quidquid „ officii, gratique animi conlatum in me beneficium exigebat, Tibi „ Apostolorum Princeps persolverem. *Et post pauca*. Nulli hoc obse„ quium, quantum quantum sit, præterquam Tibi, Apostolorum „ Princeps, præstandum mihi erat. „ *Omnes igitur Romanæ Ecclesiæ alumni suas provincias satis opimas a divo Petro accipiunt, & quidquid beneficii ad eos promanat, non Deo, sed suo divo Petro debent. O pectora Monachorum cæca! Sancti de rebus nostris, quibus indigemus, fluxis parum sunt solliciti, quum noverint Deum esse creatorem, conservatorem, & nutritorem longe munificentissimum, quorsum Articulus primus Symboli nostri Apostolici respicit. Is solus novit, quæ nobis sunt necessaria, & proficua. Neque nos Christus ad hos Sanctos, sed ad Deum Patrem in exposcendis, quæ sunt ad victum, cultumque corporis necessaria, rebus in oratione sacra ablegavit. Sic orate, dixit*: Pater noster, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Matth. VI. 11; & com. 32. Pater vester cælestis novit, quod his rebus temporariis indigetis. *Ergo non opus est, ut per Sanctos ipsi curta nostra in animum revocetur supellex. Porro sic argumentor*: *Quodcunque quis in sua potestate non habet, alteri conferre non potest: Atqui Sancti bona & terrena, & spiritualia in sua potestate non habent; Ergo illa propria ope mortalibus conferre non possunt. At Christus solus habet rerum humanarum potestatem*. Mihi data est omnis potestas in cælo, & in terra. Matth. XXVIII. v. 18. *Omnia a Deo Patre per filium nobis sunt expectanda*. Joh. XVI. 23. *Si dixeris: Non quidem a Sanctis ipsis profluere beneficia illa, quæ exposcimus, terrena, sed Sanctos rerum percipiendarum esse mediatores, & administros; regero: Deum his intercessoribus in conferendis emolumentis non opus habere. Eleganter dixit Christus: ipse Pater dabit, quæ petieritis in meo nomine*: Joh: XVI. 23.

3 Sed tu cuncta Kieslingi permisces, & *alium*, uti dici mos est, *quæstionis statum* proponis, dum mones tradi a Trombellio: *per Sanctos exposcenda esse, & conferenda terrena beneficia*. Falsa narras, dum ais in subsidium vocari a Trombellio verba Matthæi [dicere oportebat verba Christi apud Matthæum] *Quærite primum &c*: neque enim in subsidium vocat ea Trombellius, sed sibi, uti diximus, objicit, & deinceps explicat, illustratque.

4 Ineptissima ad rem præsentem affers, dum Cennii verba affers: neque aut ea desumpsit ex Trombellio Cennius, aut ex Cennio Trombellius, adversus quem scribis. Ceterum ita Cennii verba intelligas volo, ut moneat ipse suffragatione, atque ope Principis Apostolorum id accepisse se, quod possidet: Ecclesiastici enim proventus ab eo provenire dicuntur, vel quia ii a fundatoribus ipsis S. Petro oblati sunt, devotique, vel quia a Romano Pontifice Apostoli Petri successore tribuuntur.

5 Peccat autem argumentatio illa tua : *Omnes igitur Romanæ Eccleſiæ alumni &c:* tum quia Cennius non omnium Catholicorum partes ſibi aſſumpſit, cum illa protulit : pauci enim ſunt, qui *provincias ſatis opimas a divo Petro accipiunt* (nec certe hujuſmodi provincias aut accepit, aut cupit Trombellius) : tum etiam quia crebro diximus, ea ipſa beneficia, quæ a Sanctis poſcimus, ab iis poſci non veluti auctoribus, ſed veluti impetratoribus, quibus quidem non egemus, quum ad Deum ipſum ferri poteſt oratio noſtra, rectiſſime tamen utimur veluti ſociis noſtrarum precum, quas efficaciores reddunt, dum ii quoque pro nobis Deum obſecrant. Recole quæ tradidit Trombellius capitibus 28, & 33 Diſſertationis III, ea quoque, quæ capite 24 Diſſertationis IV n. 6, & 7 docuit. Quibus quidem monitis reliqua, quæ declamas, tolluntur plane : neque vero opus eſt, ut injuriis, ac conviciis tuis aliquid reponamus : contemni enim merentur iſta, nec ea refellere conveniens eſt,

AD

Ad Exercitationes, quas adverſus IV Trombellii Diſſertationem ſcribit Kieslingius: ac primo quidem ad Exercitationem I, quam inſcribit: *de Angelo fœderis Joſua prope Jericunthem apparente.*

CAP. I.

Recenſentur ea argumenta, quibus Kieslingius adducitur, ut putet divinum Verbum ſub militis ſpecie Joſue apparuiſſe.

1 INcidiſti in mitem reprehenſorem Kieslingi, cui curæ non eſt univerſa, quæ reprehenſione digniſſima ſcribis, arguere. Sane in titulo hoc ipſo peccas, quum vis titulum Diſſertationi huic IV a Trombellio poſitum fuiſſe: *de Antiquitate cultus Sanctis adhibiti*, quandoquidem ſi præfatiunculam eidem Diſſertationi præpoſitam legiſſes, perſpicue vidiſſes, non antiquitatem tantummodo, ſed & continuationem ſibi vindicandam aſſumpſiſſe Trombellium, atque adeo pietatem etiam utilitatemque in eo cultu inhærentem (*a*), ſic ut titulus ille *de antiquitate cultus Sanctis adhibiti* reſpiciat priorem tantum hujus diſſertationis partem, a qua ſcilicet exordium ſumit, non reliquas omnes.

2 Primo diſſertationis quartæ capite Trombellius, ut oſtenderet ab Hebræis cultos fuiſſe Angelos, exemplum Joſue Angelo venerationem adhibentis adduxit. Hoc exemplum impetit cenſor noſter, non quo cultum deneget a Joſue Angelum, cujus Trombellius meminit, ſed quod nolit ſimplicem, ſeu Creatum Angelum fuiſſe illum: vult quippe fuiſſe Angelum fœderis, ſeu Chriſtum. Omnia Kieslingii argumenta ad certa quædam capita redacta diligenter afferam iis omiſſis, quæ ad rem præſentem minime pertinent, ideoque omiſſa quæſtione, quam hic inſerit cenſor noſter: num Angelus ille ſe ſe præbuerit viſendum Joſue *in caſtris*, *an extra caſtra* (*b*): omiſſis quoque iis omnibus, quæ conſuetudinem nudis pedibus in quibuſdam Sacris incedendi reſpiciunt (*c*): de qua quidem conſuetudine a quantum inſtituto noſtro ſatis eſt, egit Trombellius (*d*); iis pariter omiſſis, quæ ad Calmetum peculiariter ſpectant: hæc enim a re præſenti alieniſſima cum ſint, cogunt nos, ut ab iis ex-

(*a*) *Docebimuſque*, antiquiſſimum, *jugiter in Eccleſia retentum*, pium, *utilem denique eum eſſe. Eam præcipua capita ſuſcepta diſputationis.* Præf. pag. 240. [*b*] paragr. 2. pag. 320. [*c*] §. 6. pag. 328.
(*d*) pag. 244.

pendendis superſedeamus. Siſtimus itaque in quæſtione propoſita: *Num ſimplex Angelus is fuerit, quem veneratus eſt Joſue, an Angelus fœderis,* (uti quidem appellat Kieslingius) *ſeu Chriſtus Dominus.*

3 Ut poſtremum hoc probet, affert Kieslingius multa argumentorum capita. Horum primum deſumitur ex nomine, atque excellentia hujuſce Angeli (*a*). Si nomen attendis, *Jehovah* dicitur, ideoque Deus. Etenim de hoc ipſo Angelo deinceps dicitur [*b*]: *Et dixit Dominus Jehovah ad Joſuam. Ecce dedi in tuas manus Jerichuntem, & regem ejus, & fortes milites.* Excellentiam porro ejuſdem Angeli prodit forma, qua apparuit, & certa promiſſio capiendæ a Joſue Urbis validiſſimæ, illiusque Regis, & militum cuſtodientium: auctoritas quoque, qua eandem Urbem a Joſue capiendam promiſit: Etenim eam veluti tradidit in illius poteſtatem, quod dum egit, non veluti miniſter, ſed veluti Dominus eam tradidit. *Ecce dedi in tuas manus Jerichuntem, & regem ejus, & fortes milites.* Secundum argumentum ex eo deducitur [*c*], quod eundem ſe eſſe ſignificavit Angelus ille, qui Moyſi in rubo apparuit. Atqui Angelus, qui Moyſi in rubo apparuit, Deus erat. *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac &c.* (*d*) Ergo &c. Sed jam præſtat hoc ipſum argumentum verbis illis exponere, quibus expoſuit Euſebius [*e*]: *Factum eſt autem cum Jeſus eſſet in Hierico, ut jubatis oculis videret hominem ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium. Et accedens Jeſus dixit: Noſter es, an adverſariorum? Et reſpondit illi: Ego ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Et cecidit Jeſus pronus in terram, & dixit ei: Domine quid præcipis ſervo tuo? Et reſpondit Magiſter militiæ Domini ad Jeſum: Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt. Ubi obſervabis ex iisdem utrobique verbis, hunc minime diverſum eſſe ab illo, qui Moſi oraculo reddidit. Siquidem iisdem plane verbis de eo loquitur Sacra Scriptura. Cernens Dominus quod accederet ad videndum, vocavit eum de medio rubi dicens: Moyſes, Moyſes. Qui reſpondit: Adſum. At ille: Ne propius, inquit, hue accedas: Solve calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo ſtas, terra Sancta eſt. Et dixit illi: Ego ſum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.* Eundem quoque ſe eſſe ſignificavit, (*f*) atque eum, qui populum eduxit ex Ægypto, & ſub columnæ ignis, & nubis ſpecie per deſertum circumduxit [quid enim aliud eſt eſſe *ducem exercitus domini*, atque eduxiſſe veluti ſupremum ducem, eundem populum ex Ægypto, deduxiſſeque per deſertum?] Porro is, qui populum ex Ægypto deduxit, verus Deus erat. *Ego* [inquit Deus] [*g*] *educam exercitus meos de Ægypto.* Is quoque, qui ſub columnæ ſpecie populum per deſertum duxit, Deus erat. „ *Nam Jehovah Dominus præibat interdiu in columna nubis ad ducendum eos in via*,

(*a*) §. 4. pag. 323. (*b*) cap. 6. v. 2. (*c*) §. 7. pag. 328. & 329.
[*d*] Exo. III. 6. [*e*] lib. I. cap. 2. hiſto. Eccl. (*f*) §. 3. pag. 321.
(*g*) Exod. VII. 4.

Digitized by Google

via, & nocte in columna ignis, ut lucem præferret ipsis, quo ambulare possent die, & nocte. (a)

4 Quod si simplicem Angelum esse eum vis, qui apparuit Josue, simplex quoque Angelus dicetur ille, qui in castris Israel veluti dux interdum præibat, interdum vero subsequebatur veluti custos exercitus Domini. Is tamen procul dubio Deus erat, seu Christus ea specie apparens: quod & de eo Angelo dic, qui in vigilia matutina Ægyptiorum castra disperdidit. Erat scilicet Christus Angelus ille: Christus, inquam, a Deo promissus iis Exodi verbis (*b*): *En ego ante te mittsurus sum Angelum ad te in itinere tuendum, & in locum, quem paravi, introducendum. Eum observato, ejus vocem audito, neve illi rebellis esto: neque enim defectionem vestram feret, & nomen meum in eo est.*

5 Sed præstat hoc argumentum ipsis Kieslingii verbis referre; ne scilicet videamur illud contrahendo, vires illius imminuere. „ *Nam Jehovah* [inquit Kieslingius] [*c*] Dominus præibat interdiu in columna nubis, ad ducendum eos in via; & nocte in columna ignis, ut lucem præferret ipsis, quo ambulare possent die, & nocte. Exod. XIII. 21. „ *Non angelum creatum esse intelligendum, quot verba, toc rerum pondera exponunt. Considerandum nobis hic est primo, singulare & Divinum, Deo soli proprium nomen, quo insignitur hic exercitus Dux Jehovah, Deus præibat vers. 21. Nullibi offendes, Angelo creato hoc nomen Jehovah, esse attributum. Declaratur itaque peregregio hoc titulo, non Angelum, quendam Michaelem, aut Gabrielem, quem sibi fingunt Romanenses, hoc sustinuisse munus. Considerandum porro est jax ignea, seu columna, sub cujus præsidio interdiu, & noctu incolumes fuerunt Israelitæ. Quod mysterium de solo Christo explanandum nos edocuit divus Paulus I. Corinth. X. 1. 2. Dubium nullum est, quin maximi momenti arcana in hac figura lateant, quæ felicissime eruit, & dilucidavit Cel. Campeg. Vitringa, qui in enucleando hoc facis ignea mysterio recte monet, de tali re & Persona, hic esse cogitandum, in qua hæ proprietates secundum rei veritatem & excellentiam demonstrari possent. Rem, & Personam optime indicavit, his verbis nobis hoc exponens mysterium:* „ Quis itaque est „ τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, effulgescentia gloriæ Dei? De qua „ re, aut persona ex vero prædicari potest, quod gloria Jehovæ in „ ipsa conspiciatur; quod ipsa lux sit mundi, & Ecclesiæ; quod Ecclesiam, in mundo oberrantem, ducat, regat, muniat, atque defendat; illam protegat adversus æstum, & in æstu gravissimarum „ calamitatum, & in tenebris errorum, & cupiditatum hujus vitæ „ collustret; quod eidem Ecclesiæ ad initar columnæ erectæ viam monstret in Cælum, & in illius gratiam Cælum quasi terræ uniat; quod „ Deus per ipsam cum Ecclesia, quam in terris habet, loquatur; quod item „ per ipsam Mundum judicet; cui, inquam, hæc prædicata singula alii „ perso-

---

(*a*) Exo. XIII. 21. (*b*) XXIII. v. 20, & 21. (*c*) §. 3. pag. 322.

„ perſonæ in majori emphaſi conveniant, quam filio Dei Chriſto Jeſu „ ἀρχηγῷ, καὶ τελειωτῇ τῆς πίστεως ἡμῶν „ qui tanquam lux mundi, & „ dux atque præſidium Populi ſui electis præit, vel monſtran „ viam æternæ felicitatis. „ *Dux ille incomparabilis expreſſis verbis rurſus appellatur Jehovah. Exod. XIV.* 19. 20. „ Angelus Jeho„ væ, qui caſtris Iſraelis præibat, profectus abiit poſt eos, & colu„ mna nubis, quæ ante Iſraelitas fuerat, mutato loco, ab „ eorum tergo ſtetit. „ *Conjunge verſ.* 24. 25. „ Sed vigilia matutina, reſpexit Jehovah, e columna ignis & nubis, Ægyptiorum „ caſtra, eaque deturbavit. „ *Summam quis his verbis intulerit vim, & injuriam, ſi hæc de Angelo creato explicaverit. Nec Iſraelitæ hanc quam hoc die nacti ſunt victoriam, Angelo comiti, quem non admiſere, ſed ſoli Deo adſcripſere, quod ex cap. XV. verſ.* 1. *Exod. facile colligitur. Magnam ſententiæ noſtræ affundunt lucem verba Cap. XXIII. com.* 20. 21. *Exodi, quæ ita fluunt:* „ En ego ante te miſſurus ſum Angelum, ad te in„ itinere tuendum, & te in locum quem paravi, intromittendum. „ Eum obſervato, ejus vocem audito, neve illi rebellis eſto, neque „ enim defectionem veſtram feret, & nomen meum in eo eſt. „ *Ubi quæſo, Deus alium quam ſuum filium, qui Iſraelitas ducere debebat, promiſerat Angelum? Cuinam Angelo hanc provinciam intromittendi Iſraelitas in terram promiſſam dederat? Ubi unquam Deus de Angelo dixit: Eum obſervato, ejus vocem audito, neque rebellis illi eſto? nullibi Angelis obſequium inculcavit præſtandum. De filio vero dixit:* „ Hic eſt filius „ meus mihi cariſſimus, hunc audite. Matth. XVII. 5. Et Heb. 1. „ 6. Omnes Angeli illum adorare debent. „ *Nedum dixeris, Deum creato cuidam Angelo poteſtatem dediſſe, ut defectionem ulciſci poſſet, & talem quidem defectionem, qua non a Deo, ſed ab Angelo ſit. Neque aſſeveris, nomen Dei in Angelo eſſe, quod tantum in Jeſu filio Dei eſt. Ex his igitur prædicatis rite concludimus, Angelum, qui comitatus eſt Iſraelitas, eſſe Jeſum, qui & Joſue apparuit, & ſe principem exercitus Dei appellavit.*

6 Atque hæc quidem mirum in modum confirmantur ab Apoſtolo Paulo, qui cuncta quæ in exitu ab Ægypto, atque in ſolitudine peracta prodigia ſunt, ad Chriſtum, veluti auctorem, & Judaici populi ducem refert. *Quis igitur demum ſit* [inquit Kieslingius [a]] *ſive Deus ipſe, ſive filius Dei, qui exercitum duxit, certo ſtat fundamento, illum ipſum Joſuæ apparuiſſe. Planior autem eſt, & tutior, de Jeſu ſummo exercitus duce, explicatio, quippe cui optimus Sacræ Scripturæ interpres, & is quidem dictatorius, Spiritus Sanctus favet, qui per Apoſtolum Paulum aſſerit: Jeſum tanquam ducem, & imperatorem, Jeu ſi mavis, Dominum, populum Iſraeliticum eſſe comitatum.* Et omnes, inquit, eandem potionem ſpiritualem biberunt. Bibebant enim ex ſpirituali ſequente petra, quæ petra Chriſtus erat. 1. Cor. X. 4.

7 Ter-

[a] §. 4. pag. 225.

7 Tertium argumentum desumitur ex eo cultu, quem eidem Angelo adhibuit Josue. Sacer quippe & religiosus is cultus fuit. *Ecquis autem* [inquit Kieslingius (*a*)] *sibi persuaserit, Angelum, sive Michael, sive alius quis fuerit, talem reverentiæ cultum sibi exhibendum imperasse? Quis putaverit, Angelum, se hujus cultus, qui soli Deo reservatus est, participem fieri optasse? Et si desideraſſet hanc venerationem soli Deo relictam, non vindex gloriæ divinæ, sed latro & raptor ejusdem fuisse dicendus. Demonstret Vener. Abbas, Angelos unquam Divinum, qui Deo debetur, cultum eidem ademisse, & illud, quod Dei est, affectasse pietatis & honoris obsequium? Non bonos, sed malos eos aperte dixerit, Angelos, qui hæc talia audent. Qua in parte mihi adstipulatur Cel. Arthurus Bedfordus, qui ex signo adorationis Angelo ab Josua præstitæ satis tuto mecum colligit: Angelum, si creatus fuisset, non approbasse, sed prorsus rejeciſſe hanc cultus rationem, quam ipsi deferebat Josua. Dubium proinde est nullum, quin Jesus sæderis angelus fuerit, qui Josuæ se conspiciendum dedit.*

8 Sed & adhuc ex cultu eidem Angelo adhibito ostenditur, Deum fuisse Angelum illum, ideoque Christum sub Angeli, seu potius armati militis specie. Etenim nullum in universa Scriptura exemplum occurrit, quo constet permisisse Angelum, se ab homine adorari. [*b*] Porro hic Angelus non modo admisit, excepitque cultum, quem Josue illi detulit, verum etiam exegit, præcipiens Josue, ut calceos sibi detraheret, venerationis scilicet adversus eundem Angelum cauſa. Atque id quidem Pontificii ipsi agnoverunt, veluti Calmet hæc scriptis mandans (*c*): *Cum simplices Angeli hominibus apparuerunt, nunquam se ab illis adorari pati sunt, neque eos ante se pronos in terra prosterni. Iste vero hunc sibi honorem a Josua præstari non refugit, atque illi præterea præcepit, ut de pedibus suis calceamenta solveret coram ipso, quoniam locus, in quo illi apparuerat, sacer erat, & sanctus. Verum minimum omnibus his argumentis obstantibus communior apud interpretes opinio asserit, Angelum hunc Hebræorum Imperatori apparuisse. Angelus hic Deum referebat, nomine ipsius loquebatur, illius auctoritatem pro se ferebat; ideoque mirum nequaquam esse debet, si illi nomen Dei tribuatur, illique ita præstetur honos, qui Deo creditur præstari: Neque enim Angelus adorationis erat objectum, sed Deus: hoc etiam suppoſito, quod Josua illi latriæ cultum detulerit, quod minime certum est.*

9 Quartum argumentum præbet auctoritas. (*d*) Nimirum, eam pro qua Kieslingius pugnat, laudabiliorum Judæorum fuisse sententiam, ex eorum libris compertissimum fit. Witsius sane hunc Tanchumæ, veteris commentarii, locum ad Josuæ V. 14. allegarat. *Nec abludit* [inquit] *Catechesis veterum Hebræorum, cujus adhuc reliquiæ apud recentiores interpretes extant. Ubi sapius inculcatur, principem populi Israelitici Angelum quidem esse, sed & Angelis omnibus majorem, ipsumque adeo Deum, a Deo*

(*a*) §. VII. pag. 328. (*b*) Kieslin. §. IX. pag. 330. (*c*) Commen. ad locum hunc, pag. 22. edit. Venet. (*d*) Kiel. §. 3. pag. 323.

Deo tamen, cujus eſt Angelus, diſtinctum. Notabile eſt, quod ex Tanchuma, vetuſto commentario Hebraico, adduxit Maſius ad Joſ. V. 14. Dicebat ſic hebræus ille, Deus Moſi: Ecce ego mitto ante faciem tuam Angelum. At Moſes reſpondebat; At ego Angelum nolo, ſed te ipſum volo. Porro Joſua filius Nun, quum primum videret Angelum, adorantemque dicebat: Noſter ne es, an adverſariorum noſtrorum? Tum ad eum Angelus: Ego, inquiebat, ſum princeps exercitus Domini. Jam veni. Ac ſi diceret, Ego jam ſecundo adſum, ut Iſraelitas in poſſeſſionem ſuæ hæreditatis ducam. Veneram enim etiam, quum imperator eſſet Moſes, Magiſter tuus: Sed ille, quum me videret, nolebat me ſecum ire, ſed a ſe repulit. Hæc autem ſimul, atque audiſſet Joſua, procumbebat in faciem, adoranſque dicebat, quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum? In qua commentatione aliquid veri invenio, quod ex priſca Catecheſi eſt. Sed & aliquid quod a vero abludit. Verum eſt, eum qui apparebat Joſuæ, eundem eſſe, quem promiſerat Deus Moſi. Exod. XXIII. 20. Non eſt verum, eum quem tum promittebat Deus, a Moſe repulſum fuiſſe. Et poſt pauca. Quod & ipſe R. Menahem monuit ad Exod. XXII. v. 34. Angelus, inquit, quem hic promittit Deus, non eſt Angelus fœderis, de quo locutus eſt tempore gratiæ dicens שכינתי, *Schechina mea, gloriosa inhabitatio mea vobiſcum ibit. Nam Deus O. M. divina præſtantia ſua ab iis receſſerat, volebatque eos ducere alterius ope. Ut ut ſit, Princeps ille magnus, qui pro populo Iſraelitico ſtabat, Filius Dei eſt a Joſua agnitus, & religioſo ac Divino honore cultus. Non differunt ea Judæorum teſtimonia, quæ ex Moſe Nachmanide Gerundenſi affert laudatus Witſius, a noſtro quod excitavimus documento.*

10 Quæ quidem auctoritas ſi ad revincendos Pontificios ſatis non eſt, proferimus ſtatim Patres. Euſebium nuper attulimus. Proferamus jam Auguſtinum ſummi nominis Patrem. Nimirum Auguſtinus de hoc belli duce, quem coluit Joſue, hæc ſcriptis tradidit. *Jeſus Nave [a] ſicut liber dicit, qui ejus ſcriptus eſt nomine, cum adverſus hoſtes dimicaret, in ipſo conſtitutus procinctu, vidit virum ſtantem contra ſe, & evaginatum tenentem gladium: perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an adverſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc adveni. Cecidit autem Jeſus pronus in terram, & adoravit. Et nunc ſequere Judæ ducem tuum. Videt, interrogat, & adorat. Viſio communionem habet: videtur enim & quod agnoſcitur, & quod non agnoſcitur. Ergo viſio communionem habet, interrogatio ignorationem, adoratio fidem. Quem videt? Hominem. Quis eſt homo iſte? Ipſe eſt, cujus contra inimicas gentes pronuntiabatur, deſiderabatur, expectabatur adventus. Et homo eſt, inquit, & quis cognoſcet eum? Quis eſt Princeps exercitus Domini? Non ne ipſe eſt, qui in Evangelio interrogatus, quis eſſet, reſpondit, Principium, qui & loquor vobis. Quid turbaris Jeſu? Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus? Vides armatum, noli metuere: non*

contra

[a] Kies. ſ. VIII. pag. 329.

contra te venio? sed pro te; quia non sum missus nisi ad oves perditas Domus Israel.

11 Quintum denique argumentorum caput, quo Kieslingius innititur, est eversio eorum fundamentorum, super quibus fundatur Pontificiorum, ideoque Trombellii sententia. Ratione scilicet, & auctoritate Pontificii decertant. Rationem si spectas, ea ipsa est, quæ in Trombellii scriptis adducitur. Hunc scilicet Angelum dici *principem exercitus*. Christus porro is minime esse potest, quippe Princeps non est, seu dux exercitus, sed Dominus: quam ob rem concludunt fuisse verum Angelum: Michaelem fortasse, qui Danielis XII. 13 dicitur *Princeps exercitus Domini*: vel, si vis, Gabrielem, vel alium quempiam ex primoribus Angelis.

12 At jam diximus *ducem exercitus*, seu *populi Domini*, merito vocari Dominum Jesum: ipse quippe dixit populum Israel per desertum, deduxitque in terram Chanaan eidem populo promissam. Quæ vero dicuntur de Michaele, *principem* scilicet *exercitus Domini* esse: illa quoque quæ de reliquis primoribus Angelis provinciarum præsidibus prædicantur, a veritate cum absint, contemnenda utique sunt. *In aprico est*, (verbis Kieslingii utor [a]) *hoc figmentum de Angelis Provinciarum præsidibus post captivitatem demum Babylonicam esse receptum, quod non diffitetur R. Salomon in Talm. Hierosolymitano Cap. I. Nomina Michael, Raphael, Gabriel, Judæos a Babyloniis, & Persis didicisse certum est, ut observat Cel. Valentinus Schindlerus. Rem ita se habere, testis est Thomas Hyde, qui nobis tradit Michaelem fuisse Persis Patronum, & a Persis dictum Bershter, seu Angelum alimentorum. Dubium plane est nullum, quin Judæi hæc Angelorum nomina a Persis, & Chaldæis sint mutuati. Quum igitur hæc nomina sint recentiora, nemo nobis persuadebit, Judæos primævos credidisse, ducem populi fuisse Michaelem. Ignotum plane fuit hoc in Republica Hebræorum, nomen. Ecquis igitur ad Ecclesiæ Hebræorum senescentis, & ad Ethnicorum quisquilias inclinantis tuto provocaverit testimonium? Afferant Judæi vel unicum saltem documentum, quo adstruant, Patriarchas parilem de Michaele foviisse sententiam. Exponant Jacobum credidisse, Michaelem fuisse illum Angelum, quo cum congressus est. Demonstrent, Moysen, & proceres Israelitarum putasse Michaelem comitatum fuisse Populum Israeliticum. Tale quid si statuissent Judæi, indicasset sine dubio Paulus. Erubescant proinde hi scioli, suaque compescant labia, ne fidem suorum Patrum suis venenatis conspurcent argutiis.*

13 Quod si auctoritatem spectes, vel hæc Patrum est, & veterum Doctorum: & hi vel utrique parti favent, vel potius illi, quæ censet, increatum Angelum, seu Christum fuisse illum, qui Josue apparuit. Recole hic monita Eusebii, & Augustini, vetustorum scilicet, & valde probabilium Patrum, quorum proinde auctoritas summa cum sit, eorum Patrum auctoritati opponi poterit, qui secus sentiunt. Vel

(a) §. V. pag. 326.

recentiorum interpretum. Hi porro vel Pontificii ſunt, vel Proteſtantes. Sed Pontificios ſuſpectos utique, & ſuis partibus mirifice addictos quis in aliquo pretio habebit? Si Proteſtantes; hi quoque hac in re contemnendi ſunt, utpote errantes a veritate. Cur itaque Grotii, & Clerici interpretatio objicitur? Rejiciendus hac in re ille eſt; *nam ſatis notum* [inquit Kieslingius (*a*)] *Grotium cum claudis claudicare, & de Michaele cum pleriſque Judæis ſomniare.* Tum hæc, ad revincendum Grotium, idem Kieslingius adjungit (*b*): *Quid queſo eum juvat, Michaelem ducem Judæorum vocari Dan. XII. 1? quum cap. X. 13 claris inſinuatur verbis: hunc Michaelem eſſe tantum ducem e primariis principibus, non vero principem ſummum. Se ſummum & ſupremum eſſe exercitus ducem, ſingulari hac ratione exponit vir Joſue apparens, & dicens: Ego ſum dux exercitus Domini. Audi quæ hic invictiſſimus dux ſtatim Joſue exponit. Et dixit Dominus* [Jehovah] *ad Joſuam:* Ecce dedi in tuas manus Jerichuntem, & regem ejus, & fortes milites. Cap. *VI. 2. Qui igitur appellatur ſummus Dominus, ſeu Jehovah; qui tanta gaudet poteſtate, ut Joſue urbem Jerichuntem tradere poſſit, ille ſine dubio non eſt Angelus creatus, ſed increatus filius Dei, cui omnia tradita ſunt. Bene ſe habet Criticorum regula: Quoties Angelo Divina Majeſtas in Scriptura Sacra adſcribitur, non Angelus creatus, ſed Chriſtus, Angelus increatus intelligitur. Affectaſſet jam hanc poteſtatem, ſi hæc verba protuliſſet ex ſententia Ven. Abbatis Angelus.* Rurſus vero auctoritatem Grotii deſpicit, cum deinceps hæc ſubjicit (*c*): *Grotii, & qui cum eo fecit, Clerici hic nobis non ſufficit auctoritas: quin immo Clericus, qui hoc effatum ſubvertit, dubius, & incertus hæret, aſſerens: CETERUM MIRUM EST, ANGELUM AD JOSUA VENISSE SINE ULLIS MANDATIS, ULLISVE PROMISSIS.*

14 Grotii porro, Grotioque aſſenſum præbentium auctoritati eorum auctoritas eſt objicienda, qui ſummi nominis ipſi quoque ſunt inter Proteſtantes, & tamen longiſſime ab hac opinione abſunt. Polus vir præclariſſimus rurſus excitetur, illiusque monitis conſtet, quam diſpliceat Anglis ſcriptoribus Grotii, & Clerici explicatio. *Alii volunt* (inquit ille (*d*)) *hunc Chriſtum fuiſſe, qui recte Angelus vocatur, cum per eum Deus Pater de rebus omnibus ſemper a condito, lapſoque Adamo cum mortalibus communicaverit. Idem fere ſtatuunt primiſci Judæi. Sic R. Moſes Gerundenſis Nehmanni. Iſte Angelus, inquit, eſt Angelus redemptor, qui eſt facies Dei. Exod. XXXIII. 14. Atqui facies Dei ſignificat ipſum Deum, ut fatentur omnes interpretes. De hoc dicitur: Nomen meum in eo eſt. Hæc Gerundenſis. Nomen autem Dei eſt ipſa Dei Eſſentia: hoc enim nomine Jehovah, quod, ut peculiariter ſuum, Deus ipſi Moſi patefecit, ſignificatur. Vocatur autem Angelus, quia Mundum gubernat. Idem. Certum eſt Dei faciem præiviſſe Iſraelitis. Exod.*

(*a*) §. 4 pag. 323. [*b*] Ibidem. [*c*] §. VII. pag. 328. [*d*] apud Kiesling. §. VIII. pag. 330.

Digitized by Google

Exod. XXXIII. 14. 17. *eamque faciem fuiſſe Deum ipſum : & jure Chriſtus ſic vocatur, qui eſt imago Patris expreſſiſſima. Hebr. I.* 3. *Chriſtus autem eos comitatus eſt.* 1. *Cor. X.* 4. *Praeterea Deum, non Angelum fuiſſe habitatorem in rubo, hinc conſtat, quod hujus favorem Moſes Joſepho precatus eſt. Deuter. XXXIII.* 16. *cum tamen a Deo ſit omne donum perfectum. Jac.* 1. 17. *Idem qui Angelus vocatur, & Deus erat. Gen. XLVIII.* 15. 16.

CAP. II.

Occurrimus iis, quæ ſuperiori capite allata ſunt, atque hic quidem duo priora Objectionum capita diſſolvimus.

1 NOlim tamen putes ea, quæ tanto eruditionis apparatu Kieslingi adducis, inexodabilia eſſe. Diſſolvuntur quippe illa, & perſtat adhuc Trombellii explicatio. Quis inſiſtet in voce Jehovah, cum illa minime tribuatur Angelo illi, de quo diſſerimus? Sed ſequamur oportet Kieslingium ipſum. Primo itaque Kieslingii argumento reſpondeo, minime oſtendi eundem fuiſſe Angelum, de quo ſermo eſt numero 13, & ſequentibus Capitis V libri Joſue, atque illum, de quo ſermo eſt verſiculo ſecundo, & ſequentibus Capitis VI, quique *Dominus*, ſeu *Jehovah* dicitur. Immo viſio ſeu apparitio illa prior plane completa, & ſatis deſcripta capite quinto eſt: ſic ut Angelus ille, de quo diſſerit Trombellius, non ſe conſpicuum præbuerit, ut modum præſcriberet capiendæ Urbis Jericho, ſed ut certum faceret Joſue, qui paulo ante in terram Chanaan cum Judaico populo ingreſſus fuerat, non defutura illi cæleſtia præſidia. Quamvis itaque adhuc in dubio ſimus, num voces illæ *exercitus Domini* indicent Angelos, qui ſunt *militia*, & *exercitus Domini*; an potius exercitus populi Iſrael: illud tamen eſt certum, Angelum illum ſe conſpicuum oſtendiſſe Joſue veluti adjutorem, quique promptiſſimam afferret opem. *Et nunc venio*: venio, inquam, coadjutor tuus, & laborum tuorum fautor. Quid porro in arduo illo opere, quod ſibi fuerat demandatum, timendum erat Joſue, ſi Angelum adjutorem habebat?

2 Neque vero opis ab Angelis adhibitæ hominibus exempla deſunt in Scriptura. An non, quum pavidus Jezi clamaret ad Eliſæum (*a*): *heu heu Domine mi, quid faciemus?* hæc illi repoſuit Eliſæus? *noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis. Cumque oraſſet Eliſæus, ait: Domine aperi oculos ejus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum*

(*a*) IV. Reg. 6. 15.

Digitized by Google

in circuitu Eliſæi. In eo autem conveniunt interpretes omnes, quod Angeli ii forent in adjutorium Eliſæi a Domino miſſi.

3 Ut porro revertamur ad eum, de quo diſſerimus, Angelum, ſi Chriſtus Dominus, ſeu Jehovah fuiſſet Angelus ille, dixiſſe ne: *Ego ſum princeps exercitus Domini*, Dominum indicans veluti a ſe diverſum? an non potius dixiſſet: *Ego ſum ductor*, ſeu, ſi vis, *princeps exercitus mei*, quem tu induxiſti in terram Chanaan? Profecto Dominus, ſive ipſe in perſona, ut ita dicam, ſua, ſive per Angelum illius vices agentem loquens, non ad eum loquebatur modum, quo Angelus iſte loquebatur; ſed, *Ego* (dicebat) *ſum Dominus Deus tuus. Ego te duxi*, &c.

4 Neque vero ex eo quod deinceps mentio fit Domini monentis Joſue ſe illi dediſſe in manu Urbem Jericho, inferri merito poteſt, eundem illum eſſe Angelum, qui paulo ante *princeps exercituum Domini* dicitur. Quis porro eundem dicet Angelum eum, de quo diſputamus, atque eum, cujus mentio etiam paulo ante fuerat facta (*a*), quique hæc reposuerat Joſue: *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti a vobis?* Et tamen *paulo ante* de eo facta fuerat mentio. Porro præfixa in voce וירירו litera Vav, quam latinus interpres vertit *autem*, diverſitatem narrationum, ſeu apparitionum Joſue factarum ſatis hic indicat. Sicut ergo cum dicitur (*b*): *Cum autem eſſet Joſue in agro Urbis Jericho*, novam apparitionem facer Scriptor innuit, ita cum deinceps hæc ait (*c*): *Jericho autem erat clauſa, atque munita ..... dixitque Dominus ad Joſue: Ecce dedi in manu tua Jericho*. Et hanc quidem, ut ita appellem, diſtinctionem narrationis indicat vetuſta admodum, & jam pridem approbata diviſio capitum libri Joſue: etenim definit Caput V verbis illis: *fecitque Joſue, ut ſibi fuerat imperatum*. Caput vero VI, veluti novam narrationem proponens, hoc habet initium: *Jericho autem clauſa erat, atque munita*.

5 Atque his quidem poſitis argumentum primum plane diſſolvitur. Neque vero forma, qua Angelus ille ſe viſendum præbuit, Deum illum fuiſſe indicat: ea quippe ſpecie apparuit, ut Joſue militem eum fuiſſe crediderit. Jam vero diximus eos rectiſſime ſentire, qui affirmant non eundem fuiſſe, qui Urbis Jericho mirabilem deditionem promiſit Joſue, atque eum Angelum, qui ſpecie militis gladio evaginato ſtantis apparuit. Fac tamen fuiſſe eundem. An continuo cauſa cadimus? Minime vero. Certe enim eandem deditionem Joſue promittere Angelus poterat, non utique vi propria, atque auctoritate ſua, ſed veluti executor eorum, quæ Dominus promittere eum juſſerat. Agnovit hoc ipſum ille idem Joannes Clericus (quem tu quidem deſpicis, ſed certe magnam ſibi nominis famam extra Catholicam Eccleſiam comparavit, neque nos illi eruditionis, & ingenii laudem demimus), dum hæc ait „ *Dux exercitus*. צבא Schar, quod ubi ſermo eſt de „ copiis, *ducem* ſignificat. Angelus nempe, de quo Exod. 32, 34, & 33. 14.

(*a*) Cap. V. v. 9. (*b*) Cap. V. v. 13. (*c*) Cap. VI. v. 1, & 2.

„ 14, & qui præibat castris. *Adoravit*: non quasi Deum, sed quasi „ ab eo missum. Nam orientales *adorabant*, seu proni salutabant ho„ noratos quosque viros. Vide 1. Reg. 1. 23. Nec video, cur Ange„ lo nomine Dei venienti similis honor exhiberi non potuerit, modo „ ne *quasi Deus coleretur*. „

6 Hactenus in priore Kieslingii argumento constitimus. Alterum aggrediamur. Num Angelus ille, qui apparuit Moysi in rubo, hic quoque Josue in terram Chanaan nuper ingresso apparuerit, dubitari merito potest. Non aliud sane a Kieslingio momentum affertur, quo persuadeamur eundem esse, quam quod uterque jusserit illum, qui se alloquebatur, calceos deponere. Sed leve est hujusmodi argumentum, nec conjecturam exsuperat. Scilicet illud ipsum extrinsecum honoris argumentum defertur personis, quæ excellentia, ac præstantia valde distant. Sed hoc de argumento copiosius deinceps. Eusebio opponatur Basilius, cujus locum deinceps adducemus. An non homini semiariano, quique Christi divinitatem plurimum attenuasse fertur, præstat sanctissimus, idemque doctissimus Catholici dogmatis defensor?

7 Num etiam idem fuerit Angelus, qui Josue militis specie apparuit, atque is qui populum ex Ægypto per mare rubrum duxerat, & quadraginta annorum spatio per desertum circumire fecerat, jure ac merito pariter dubitamus. Et sane nullo valido adigimur argumento, ut unum, eundemque esse arbitremur. Valde porro diversa munera hæc sunt: Quis enim idem esse dicat, in manu forti populum de Ægypto educere, & quadraginta annorum spatio per desertum circumducere: & ducem esse exercitus Domini? Postremum hoc munus tantummodo importat præesse armis, populoque, seu plebi Judæorum Chananæorum oppida oppugnare cupientium præsidere consilio, atque ope. Prius vero illud miracula, ac prodigia inaudita edere. An præstantiam hanc, atque excellentiam sibi tribuit Angelus ille, de quo disserimus? Itaque si fatear Christum ea, qua tu vis, specie contestum populum eduxisse ex Ægypto, & primum quidem per mare rubrum, tum per deserti solitudinem diu vagantem, in terram Chanaan deinceps introduxisse, non propterea fateor, Christum armati militis specie Josue apparuisse, eumque fuisse Angelum, de quo disserimus.

8 Quamquam merito dubitamus, num Christus is fuerit, cui species illas nubis, & columnæ igneæ, & munus educendi ex Ægypto populum, eumque per mare rubrum, ac per desertum deducendi, introducendi demum in terram Chanaan tribuamus. Etenim probatissimi, vetustissimique Doctores, & Patres putant Angelorum opera ea omnia fuisse peracta. Neque ego illorum opinionem improbo, qui uni Angelo (Michaeli fortasse, aut alteri cuipiam primi ordinis inter Angelos) hæc omnia demandata ajunt. Qui quidem Angelus, quoniam Dei partes agebat, illiusque solemni legatione fungebatur, se *Deum* dicere poterat, & Dei nomine præcepta, legesque indicere, minari quoque pœnas, ac præmia polliceri, item fere ut præses populis da-

tus

tus, cum leges indicit, & pœnas minatur, aut præmia promittit, Principis nomen, ac perſonam aſſumit. Rectiſſime vero de Angelo eo, quem præſidem conſtituerat Deus, dictum eſt: *Eum obſervato, & vocem ejus audi*. An non id quoque de præſide a Principe ad regendos populos miſſo merito dicitur? quamvis ultro fatear id quoque de filio principis dicendum eſſe, ſi forte Princeps non præſidem, ſed filium ad regendos eoſdem populos mittat. Sed cur tu interea Kieſlingi non oſtendis, filium fuiſſe eum, quem ad educendos, deducendoſque Judæos Deus miſit, non Angelum creatum quempiam? conjecturæ hæ quippe tuæ, & tuorum auctoritas, & multa monita me non cogunt, ut Chriſto hæc, quæ tu vis, tribuam, non Angelo alicui ex primoribus.

9 Reliqua, quæ tuum complectitur argumentum, iis, quæ ante diximus, ſatis diluuntur. Confirmatio porro illa tua ex Apoſtolo Paulo deducta facile rejicitur, ſi adverteris pleroſque interpretes ita verba illa Pauli: *Petra autem erat Chriſtus*, accipere, ut denotent: *a Petra illa ſignificatum fuiſſe Chriſtum*. Et ſane valde probabilis interpretatio illa eſt. Neque te ab ea ſuſcipienda deterreat vox *erat* (*Petra autem erat Chriſtus*). Nonne alibi etiam verbum *eſt* ſumitur pro *denotat*, ſeu *ſignificat*: veluti in illo Exo. 12. 11: *eſt Phaſe*, ideſt *tranſitus Domini*: ideſt ſignificat Phaſe, ſeu tranſitum, Domini?

CAPUT III.

Reliquis Kieslingii argumentis occurrimus.

1 SOlutis duobus prioribus Kieslingii argumentis, reliqua diſſolvamus, oportet. Quoniam vero ſummam vim in ea honoris ſignificatione conſtituit, quam Angelo illi adhibuit Joſue: ait quippe *veram, & rigoroſe ſumptam*, adorationem eo ritu declarari (*rigoroſe* porro ſumpta adoratio Deo tantum, ideoque Chriſto deferri poteſt), hoc paulo attentius expendamus oportet.

2 Calceorum detractionem ſacris ritibus eſſe annumerandam fatebor, ſi vis, quamvis non deſint qui id negent, monentes hujuſmodi ritum in eorum numero eſſe collocandum, qui ambigui ſunt, & determinandi a meta, ad quam diriguntur, & a circumſtantiis, in quibus adhibentur: neque enim certo novimus, ſacrum aliquem ritum ſervaſſe Davidem, cum II. Reg. XV. 30. *aſcendebat clivum olivarum, ſcandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite*: immo valde probabilis eorum ſententia eſt, qui ajunt ſummæ mœſtitiæ, doloriſque argumentum tantummodo præbuiſſe, dum id agebat, quod & declaravit *omnis populus qui erat cum eo, operto capite aſcendens, & plorans*. Tibi tamen Kieslingi obſequor, & calceorum detractionem ſacris ritibus annumero. Sed non propterea inter eos recenſeo, quos

Deus

Deus ſibi ſervavit, ideoque inter argumenta divini cultus, veluti eſt ſacrificium, eratque in veteri lege thymiama. Quot communia habet Deus cum hominibus extrinſeca honoris indicia? Ne multa afferam, *incurvabant* ſe Judæi tum ante Deum, tum ante homines. Nunc etiam dum thus Deo adhibemus, Creaturis illud adhibere non veremur; nec continuo Deum hominibus æquabant Judæi, aut nos eundem Deum Creaturis æquiparamus. Tu tamen, Kieslingi mi, vis divini honoris indubitatum argumentum fuiſſe eam calceorum detractionem: atque ex eo ſtatim infers Chriſtum fuiſſe Angelum illum, qui apparuit Joſue, cum revera commodius inferamus, ideo id a Joſue poposciſſe Angelum, ut noſſet idem Joſue, quale adjutorium ſibi paraſſet Deus, quandoquidem unum ex primoribus Angelis laborum ſuorum conſortem miſerat, & adjutorem.

3 At vide quam comis ſim, Kieslingi. Admitto quod, cupis, tibique, ſi vis, aſſentior, tibi, inquam, docenti divini cultus indicium, atque adeo indubitatum argumentum fuiſſe eam calceorum detractionem. An indulgentiorem reperire poteras adverſarium? Dum tamen tibi aſſentior Kieslingi, id quod cupis, minime admitto: Chriſtum ſcilicet fuiſſe Angelum eum. Attendamus obſecro paulo diligentius eam narrationem. Ut didicit Joſue Angelum opis ſibi ferendæ cauſa a Deo miſſum eſſe eum, qui armati militis ſpecie ſibi apparuerat, ſtatim eum pronus in terram veneratus eſt, illius juſſa excepturus. *Qui reſpondit: nequaquam: ſed ſum Princeps Exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Joſue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum* [a]? Nec obſequium illud ſibi delatum Angelus recuſavit; hoc tamen addidit, jubere ſe, calceamenta ſolvi a Joſue, quod terra, in qua ſtabat, ſancta erat. *Solve* (inquit) *calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt: fecitque Joſue, ut ſibi fuerat imperatum.* Qua quidem juſſione cultum Deo delatum, ſi vis, fatebor; quo ſcilicet ſingulare illius in terram Chanaan nuper Judæis tributam jus, ac dominium iteratis promiſſionibus, & prodigiis maximis declaratum, ac manifeſto ſignificatum is agnoſceret: ſic ut *locus Sanctus* terra ea diceretur, quod eam ſibi ſacram, & veluti poſſeſſionem peculiarem ſuam ſibi ſervarat Deus. Profecto cum peculiare in Judæorum primogenitos jus, quos ſibi ſervaret, indicare voluit Deus, Sanctificatos, ſeu Sanctos appellavit. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Santifica mihi omne primogenitum.* Novimus autem peculiare hoc, quod diximus, in terram Chanaan jus, ac poſſeſſionem multis quidem argumentis declaraſſe Dominum, veluti cum vetuit Regem populo imperare, ipſe enim Rex illius eſſe volebat, cum juſſit eam dividi quidem in tribus, ſed ita ut decimæ, ac primitiæ ſibi, ſuisque miniſtris ſervarentur; cum Sabbata, & Sabbaticum annum, & Jubilæum a Judæis obſervari præcepit: certa quippe atque indu-

[a] v. 14. & 15.

ir cubitata singularis dominii sui, jurisque in terram illam sibi servati indicia sunt ista: quod dominium si a Josue agnosci voluit, ac declarari, ea, de qua agimus, calceorum detractione, nonne sapientissime id voluit? ne scilicet sibi ullum jus in eam terram tribueret Josue, cujus opera uti volebat Deus, ut Chananæos ex illa expelleret, & Judæos in eam induceret.

4 Reliqua sic expedio. Ais Angelos minime permisisse adorationem sibi deferri. Quid si negem? Sane non vetuit obsequium sibi summum a Tobia deferri Angelus Raphael: sed tantum illud ipsum obsequium Deo receptorum beneficiorum auctori laudi vertit. Consule quid nos edocear liber Tobiæ [*a*]. Neque etiam illud recusavit Angelus ille, qui Danieli Judaici populi liberationem prædixerat [*b*].

5 Sed verum sit quod tu cupis Kieslingi. Scilicet reliquos Angelos recusasse officium, obsequiumque sibi aliquando ab hominibus delatum. Quid tandem ex eo consequeris? Nihil plane. Vel scilicet obsequium sibi adhibitum recusarunt, quia præstantius erat dignitate sua, ac natura, sibique minime conveniens: cujus quidem rei causa [si Augustino, aliisque egregiis interpretibus credimus) Angelus, qui Joanni Apostolo apparuerat, obsequium sibi delatum recusavit: putavit quippe Joannes sub ea specie Christum sibi apparuisse, non Angelum: vel illud recusaverunt humanitatis cujusdam, vel affini quapiam ex causa. Atque eb harum aliquam recusatum) fuisse arbitrantur non pauci ab Angelo obsequium illud, quod sibi deferre volebat Joannes. At si alias recusarunt, non propterea ostendis illud ipsum obsequium ab iis excipi non potuisse. Hic itaque, de quo agimus, Angelus illud excepit, quod licet ab aliis aliquando recusatum, merito tamen excipere poterat.

6 Hoc porro exemplum satis erit ad id quod agimus evincendum: quot enim sunt, quæ semel litteris tradita Scriptura habet, & certa utique illa sunt? Erit itaque in horum numero illud, de quo disputamus, obsequium: præsertim quum sæpe evenerit, ut Angeli agniti non sint ab iis ipsis, quibus apparuerunt. Uxori Manue bis apparuit Angelus, Manue ipsi rursus apparuit, nec propterea per id tempus ab iis agnitus est: tum vero demum agnitus ab iis est, quum *ascendente flamma altaris in cælum Angelus pariter cum flamma ascendit*. [*c*]

7 Sed jam nos urget IV. argumentum a Kieslingio adversus nos disputatum. Mirabile est porro Kieslingi, quod tu, qui Judæorum sententiam adeo despicis, quum Angelorum invocationi, aliisque Catho-

(*a*) *Ego enim sum Raphael Angelus unus de septem, qui adstamus ante Dominum. Cumque hæc audissent, turbati sunt, & tremente cecidernnt super terram in faciem suam. Dixitque ei Angelus: Pax vobis: nolite timere: Eteenim cum essem vobiscum per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, & cantate illi.* cap. XII. v. 15. (*b*) *Cumque loqueretur mihi* (ircuit Daniel) *Injusce medi verba, dejeci vultum meum ad terram, & tacui.* cap. X. v. 15. (*c*) (*a*) Judic. 13. v. 20.

tholicis dogmatis ii favent, ut plane irrideas, & insipere eos affirmes; nunc tamen afferas, quum manifesto insipiunt, quia scilicet tibi favere aliqua ex parte arbitraris. An non manifesto insipiunt, quum fingunt Angelum, *Angelis omnibus majorem*, ipsumque adeo Deum, a Deo tamen, cujus Angelus est, distinctum? An idem *Deus* esse potest, & *distinctus a Deo*, cujus *Angelus est*? An non etiam putidissimus ille est, qui Angelum ita Josue alloquentem fingit: *Veneram enim etiam, quum imperator esset Moses magister tuus: Sed ille, quum me videret, nolebat me secum ire, sed a se repulit*. Apud quem probatum scriptorem ineptiæ hæ leguntur, atque adeo impia mendacia? An Moysem ductorem Deus esse noluit exercitus sui? An Angelum aliquando repulit? Sed hos Doctores allegat Kieslingius noster, jubetque nos eorum auctoritate commotos probatissimorum Doctorum nostrorum dicta, opinionesque contemnere.

8 At Patres (subjicit Kieslingius) habeo, quos adversus Trombellium proferam. Quos demum? Eusebium, & Augustinum. At de Eusebio quidem nolo litem inter nos esse: fateor quippe Eusebium illa ipsa tradere, quæ tu adduxisti, ideoque tuæ interpretationi favere. At memineris volo Kieslingi Eusebium a te summum in modum contemni, quum ad invocationis, & cultus Sanctis adhibiti antiquitatem asserendam a Catholicis allegatur; qui hac tamen in re a nemine ex veteribus est in judicium actus, quum tamen, quando de Verbo Divino egit, non leves pertulerit reprehensiones. An is itaque unus ex veteribus Doctoribus tibi erat proferendus Kieslingi, & reliquis interpretibus præponendus?

9 At non unus est [inquis] sed suffragatorem habet ille Augustinum. Hic te volebam Kieslingi. Nonne te pudet Kieslingi, qui censorem Catholicorum te ipse constituis, nescire multo intervallo, uti eruditione, ita etiam tempore ab Augustino distare eum, quem tu profers Scriptorem, & præclarissimo Doctori alium pene ignotum, nec magni sane illum nominis a te substitui? Talene tibi dedit exemplum Trombellius, quem tu exagitas? Immo vere accuratissimus ille est, & tam diligens, quam tu socors, & negligens. An non socordem, negligentemque te prodis, dum in margine allegans locum, ex quo testimonium illud desumpseras, *appendicem* notas, ideoque opusculum, quod quia temere Augustino adscribebatur, merito Augustino demptum est, & adscititiis annumeratum? (*a*)

10 Venio nunc ad V. argumentorum caput: Quod a ratione desumpsere Trombellius, aliique Theologi Catholici perstat adhuc: neque a te Kieslingi dissolvitur: quod facile fatebitur quisquis ad ea, quæ Trombellius docuit, ad ea quoque quæ paulo ante a me allata sunt, adverterit animum: sic ut necesse non sit ea rursus inculcare, ac recolere, quæ pridem satis expositа sunt.

11 Neque vero, ut ea demum aggrediar, quæ deinceps tradis;

(*a*) Tom. VIII. in append. *contra quinque genera hostium* pag. 5. edit. *Bene*.

Michaelis, *Raphaelis*, & *Gabrielis* nomina derivare cogimur a Perſis, aut aliis Orientalibus nationibus deorum cultui addictis. An non conſtat hebraica nomina eſſe hæc, & expreſſiſſime Michaelis vocabulo denotari *Quis ut Deus?* qua quidem voce ſignificatur minime paſſum fuiſſe Michaelem rebellium Angelorum ſuperbiam, ſed eam protinus repreſſiſſe excellentia Dei, illiuſque omnipotentia, ac ſuprema poteſtate commemorata. *Raphaelem* vero ſignificare *mediciuam Dei*. Medicinam ſcilicet tum animo, tum corpori adhibuit Angelus ille, qui Tobiæ comes, Deo decernente, addirus, corpori illius, ejuſque Patris, animoque tum uxoris, tum Patris illius medicinam egregiam applicuit. Ideo vero *Gabriel* dicitur, ſeu *vir Deus*, ſive, ſi vis, *Dei*, Angelus ille, qui Incarnationis nuncius fuit, quia *vir Deus*, per eum nunciatus eſt, Chriſtus ſcilicet, filius Dei in puriſſimo Virginis utero ſumpturus carnem. Cur ergo hæc vocabula a perſica lingua derivas, & Beshther, ſeu *Alimentorum Angelum* neſcio quem commemoras? Non hæc ſane veterum magiſtrorum noſtrorum opinio fuit, non hæc probabilium interpretum ſententia. Atque ut in Michaele conſiſtam, Patres ſane, & interpretes omnes Michaelem eſſe dixerunt Angelum Domini a Scripturis propoſitum, veluti præcipuum adverſus dæmones triumphatorem, cujus ſumma laus eſt, quod ſuperbientes dæmones humilitate ſua, & obſequio erga Deum compeſcuerit, hortatuque, & exemplo Angelos plurimos erga dæmones incitaverit, & in officio detinuerit. Vide Grego. M. homi. 34. in Evang. n. 7.

12 Angelos porro provinciarum præſides ſatis indicat Daniel, cum Perſarum, & Græcorum Angelos, & Michaelem Hebræorum præſidem, hoſque ex Angeli id ſibi revelantis ſententia commemorat [*a*]. An Chriſtum multiplicabis, ne Angelos præſides provinciarum admittas, aut non ab Angelo, ſed a Perſis edoctum Danielem dices? Patres ſane non ita deſipiunt, ſed Provinciarum præſides Angelos expreſſiſſime admittunt (*b*). Nec ita deſipiunt tui ipſi vetuſti Ma-

(*a*) *Loquere domine mi, quia confortaſti me. Et ait: Nunquid ſcis, quare venerim ad te? & nunc revertar, ut prælier adverſum principem Perſarum. Cum ego egrederer, apparuit Princeps Græcorum veniens.* Dan. X. 19. [*b*] Vide quæ tradit Petavius *de Angelis* lib. 2. cap. 8. Scilicet porro ex Patribus Baſilium, qui lib. III contra Eunomium n. 1. pag. 271. Tom. 1. edit. PP. S. Mauri hæc in rem noſtram ait. *Nimirum Angeli omnes, ut appellationem unam, ita etiam eandem omnino inter ſe naturam habent: Sed tamen ex iis alii quidem præfecti ſunt gentibus, alii vero unicuique fidelium adjuncti comites ſunt .... Quod autem rurſus ſint Angeli quidam qui gentibus integris præpoſiti ſunt, docet nos per Canticum Moſes, dum ait, [Deut. 32.8.] Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando diſperſit filios Adam, conſtituit terminos gentium juxta numerum Angelorum ſuorum. Et ſapiens Daniel in viſione Angeli audivit ipſum dicentem (Dan. 10.13.): Princeps Regni Perſarum ſtetit ex adverſo mihi. Et ecce Michael unus de principibus primis venit, mihi auxiliaturus: & ipſum reliqui illic cum Principe Rege Perſarum*

bi

Magiſtri, quos tu veteſtiſſimis ipſis Patribus præponis; ut Angelorum adverſus provincias, homineſque præſidium, ac curam prorſus excludant. Audi quid Melanchthon tuus Deum (*a*) alloquens ſcriptis tradiderit.

Impiis ardens odiis & ira,
Nam tuis caſtris draco ſemper infert
Bella, qui primus ſcelus, atque mortem
Intulit Orbi.
Hic domus, urbes, tua templa, gentes,
Et tuæ legis monumenta tota,
Et bonos mores abolere tentat
Funditus omnes.
Interim ſed nos regit Angelorum,
Quæ ducem Chriſtum ſequitur caterva,
Atque graſſantis reprimit cruenta
Arma draconis.

In commentariis porro ad Cap. X Danielis hæc ait: *Cum igitur certum ſit Deum Eccleſiæ ſuæ Angelos addidiſſe cuſtodes, pericula corporum in obeunda vocatione minus formidemus.* Rurſus in concione S. Michaelis (*b*): *Extat hic perſpicuum teſtimonium, additos eſſe cuſtodes Angelos piis. &c. Hic colligantur ſimilia teſtimonia, ut comes Eliſæi videt ſe ſtipatum eſſe magno exercitu Angelorum &c.* Alia plurima in eandem ſententiam habet *in concioncula de Angelis* (*c*), quam, ſi vis, conſule.

13 Reſtat denique Poli teſtimonium, quod expendamus oportet: Sed cur cogis, ut Polum Grotio, atque adeo Patribus, & interpretibus, quos Catholici adducunt, præferam? Polum tamen minime deſpicio, qui ceteroqui nullam nobis injicit difficultatem: Scilicet Polus tantummodo docet & voluiſſe nonnullos [*d*] Angelum, qui Joſue apparuit, fuiſſe Chriſtum: neque ab ea ſententia multum abeſſe veteres Judæos, qui Deum ipſum apparuiſſe Joſue aſſerebant: convenire quoque poſſe titulos, qui Deo, & Chriſto alibi tribuuntur, Angelo illi. At dic Kieslingi: An negamus nos prius illud ab aliquibus dici? Nemo id negat: Sed tantum dicimus id ſi fit, minus laudabiliter fieri: cujus quidem perſuaſionis noſtræ cum antea rationem attulerimus, hic eam recolere minime conveniens puto. An negamus titulos aliquos, qui Deo, & Chriſto conveniunt, poſſe Angelo, *ſed longe alio ſenſu*, convenire? An non Angelum *Sanctum* & *fortem* dicimus? Sed ad Exercitationem tuam primam hactenus.

Et paulo poſt ille ipſe ait [*ibid. v. 20.*]: *& Princeps Græcorum veniebat. Sed & copiarum Domini imperator ac dux dicitur is, qui Jeſu Nave ad Jordanem manifeſtatus eſt* [*Joſue 3. 14.*]. (*a*) In hymno quem *de Angelis* edidit: reperi vero pag. 642 libelli illius, qui continet preces Luneburgenſium uſui editas. [*b*] pag. 222. Tom. III.

[*c*] Ibidem pag. 243, & 244. (*d*) *alii volunt.*

AD EXERCITATIONEM II.

Quæ hunc titulum habet : *De cultu Angelorum Juſtino Martyri fruſtra affictо .*

CAP. I.

Afferuntur Kieslingii reprehenſiones adverſus allatam a Trombellio Juſtini interpretationem .

1 QUàm humaniter Kieslingi , quam decenter cum Trombellio agis! Attulerat ille hæc Juſtini verba ex vetuſto interprete : *ſed & illum* (Deum Patrem) *& ejus filium , qui venit , noſque docuit , & aliorum ſequentium , ſimilitumque bonorum Angelorum exercitum , & ſpiritum propheticum colimus , atque adoramus , verboque & re , ſeu veritate veneramur , idque omnibus , qui diſcere volunt , ut docti , inſtitutique ſumus , copioſe tradimus* : tum iis poſitis hæc ſubjiciebat : „ Nempe ſic colligantes , „ connectenteſque Pontificii eadem verba : *Sed & illum* [Deum Patrem] *& ejus filium , & exercitum Angelorum , & ſpiritum propheticum colimus , & adoramus* , inde conjiciunt Chriſtianos veteres „ Angelis non levem cultum detuliſſe „. Qua quidem diſputandi ratione modeſtius nihil fingi poterat , aut moderatius .

2 Quid tu vero Kieslingi? Audiat optimus Lector , ſi audire ſine nauſea poterit inverecundi hominis ſpurciſſima dicta . *Actum agit Venerabilis Abbas* , [*a*] *qui Bellarmini faces recoquit , & Juſtinum Martyrem cultus Angelorum teſtem aſſertoremque , ſine pudore , affert . Juſtini verba ita ſluunt* : „ *& profitemur quidem , nos talium , qui habentur , deorum eſſe expertes , & atheos : ſed non veriſſimi illius Dei , Patris videlicet , juſtitiæ , & caſtitatis , & virtutum aliarum , & ab omni vitioſitatis mixtione , & labe alieni , expertes . Verum hunc ipſum & qui ab eo venit , atque iſta nos , & aliorum obſequentium , exequatorumque* (*b*) (*ad voluntatem ejus*) *bonorum Angelorum exercitum docuit , Filium , & Spiritum Propheticum colimus , & adoramus : cum ratione , & veritate venerantes , atque unicuique diſcere , atque noſſe volenti , pro eo , atque edocti ſumus , candide hæc tradentes* . Verba Juſtini „ adamuſſim eſſe reddita , quis dubitat? Illotis hæc Juſtini verba Bel„ larminus jam jam tractavit manibus , impudenter argumentum , pro „ cultu Sanctorum inde petens . „

3 Sic

(*a*) pag. 332. (*b*) *executorum* , ut puto : neque enim Angeli Deo æquantur .

3 Sic ſtat promiſſis Kieslingius ille, qui Marpergeri ſui regulas ſibi ſervandas propoſuerat (*a*): *ut adverſarium non deſpiciat, ſed etiam, atque etiam aſpiciat.... Ut gradus admonitionis obſervet.* Sed hæc ille viderit: nolumus porro nos cum homine intemperanti, quique gloriolam neſcio quam in diſteriis poſuit, atque in conviciis, multum loqui, & ſtatim rem ipſam aggrediamur.

4 Non egebat profecto Trombellius te monitore, Kieslingi mi, ut ſciret poſſe ſic verti Juſtini verba, uti vertit Dallæus (*b*)? ſcilicet, *qui* (filius) *hæc & nos, & Angelorum exercitum docuit.* Nonne idem Trombellius hæc ſibi objicit: (*c*) „ *Secus accipi poſſunt illa, „ aliterque explicari, atque explicare Pontificii conſueverint. Sane is, qui „ ſe Styanum Thirlbium appellavit, ediditque Londini, uti diximus, „ Juſtini opera, ſic vertit.* Hunc ipſum, (*Patrem*) & qui ab eo venit, atque hæc nos, & aliorum ſequentium, & aſſimilatorum bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium, & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus, cum ratione, & veritate venerantes, atque unicuique diſcere volenti, ut edocti ſumus, candide tradentes. „ *Huic vero interpretationi non modo favet junctura ipſa, & continuatio ſermonis, verum etiam clariſſimorum interpretum auctoritas, atque exemplum: Crabii ſcilicet, & Langii, quos citat Thirlbius, eorumque omnium, qui ſe Proteſtantes appellant. At non ii ſoli ſunt. Petavius, magnus ille Petavius, cui pares pauciſſimi Pontificii habent, ſuperiorem fortaſſe neminem, hoc de teſtimonio loquens hæc ipſiſſima effatur* Sc. adeo ut tu *actum agas* Kieslingi, dum deinceps Petavium allegas quaſi Trombellio adverſantem. Hæc omnia noverat ille, deque his Lectorem monuerat, (*d*) ideoque te etiam, de cujus mirabili adverſus Petavium judicio ſilere quis poſſit? Dum Petavius tuæ explicationi aliqua ex parte favet, *Magnus is eſt Romanæ Eccleſiæ promachus.* [*e*] At quum vulgatam expoſitionem admittit, eamque auctoritate ſua, & conjectura confirmat, *nihil agit, & figmenta proponit.* (*f*)

5 Sed hæc omittamus, Kieslingi mi, & in eo tantum modo inſiſtamus, quoniam Juſtini verba utramque explicationem excipere commode poſſunt, utra præſtet: an ea ſcilicet quæ ita vertit, ut cultos etiam a Chriſtianis Angelos moneat, an potius altera quæ tantummodo a Divino verbo edoctos tradit. Ac tu quidem poſteriori explicationi apertiſſime faves; contra ego, præeunte Trombellio, plurimiſque Catholicis, pro ſuperiori ſto.

6 Sed

(*a*) præfa. §. XX. pag. 36.
(*b*) Kiesling. §. 1. Dallæus de Religio. cult. obiect. lib. I. cap. VIII. pag. 38.
(*c*) n. 2. pag. 248.
(*d*) n. 2. pag. 248.
(*e*) pag. 334.
(*f*) *Retractare videtur Celeb. Dionys. Petavius ſententiam, ſed nihil agit. Ne tamen hæc figmenta præteream, accurate ejus verba apponam.* Kieslin. pag. 334.

6 Sed antequam argumenta, quorum magnam partem Trombellius adduxit, aut certe indicavit, inſtaurem, monitum Lectorem volo, litem in eo non inſtitui, num ita verti debeant Juſtini verba, ut vertere Catholici fere conſueverunt, ſed num verti commode ad eum modum poſſint, quo latinitati tradita citata ſunt a Trombellio. *Fateor equidem* (inquit Trombellius (*a*), moderatus ſane, & cautus ſcriptor) *poſſe aliter verti ea Juſtini verba, quæ adduximus, ſed verti etiam commode poſſunt, uti Pontificii, & vetuſtæ editiones proponunt.* Id ſcilicet contendit Trombellius, tu vero negas. Sed cur tandem negas? Quia ſcilicet, ſi te audimus, convenientior Juſtino eſt Dallæi, aliorumque Dallæum ſequentium interpretatio, ea quam Catholici ſane non pauci proponunt, ſequiturque Trombellius. Nimirum paucis interpoſitis profeſſionem fidei ſuæ rurſus exponens, eoſque recenſens, quos Chriſtiani colerent, Angelos prorſus præterit, & ſolius Trinitatis, Divinarumque Perſonarum mentionem facit. (*b*) *Nos* [inquiens] *hujus Mundi conditorem colimus, minime illum ſanguine, & libationibus, & incenſis, quemadmodum eruditi ſumus, indigere aſſeverantes, & precationis, gratiarumque actionis ratione in oblationibus, quas offerimus, omnibus, quantum facultatis noſtræ eſt, laudamus: ſolumque hunc honorem illo dignum eſſe, perſuaſum habemus, & Jeſum Chriſtum, eundemque, quem ipſius veri & ſingularis Dei filium eſſe edocti ſimus, ſecundo loco, ac Spiritum propheticum tertio ordine, nos cum ratione venerari, & colere demonſtrabimus.*

7 Secundo ea interpretatio admittitur non modo a Proteſtantibus omnibus, verum etiam a præſtantiſſimis Doctoribus Pontificiis. Petavius in horum numero collocari merito poteſt, quod fateri non renuit Trombellius, qui ejuſdem Petavii auctoritatem, & verba ſibi objicit diſſolvenda. Nicolaus quoque Nourry apertiſſime illi favet, quatenus dubia Petavii, quibus ſcilicet ducebatur vir ille ingenioſiſſimus, ne Proteſtantium interpretationi plane adhæreret, prorſus tollit hæc elocutus (*c*): *Ad id vero quod opponit Petavius, non potuiſſe a Gentilibus intelligi, quomodo Verbum caro factum Angelos docuerit, facile reſpondeas. Juſtinum iiſdem Gentilibus ſæpius ejuſdem Verbi prædicaſſe divinitatem, & eum cum Paulo credidiſſe, omnes ſcientiæ, ac Sapientiæ Dei abſconditos in illo theſauros. Atqui nihil Paganis captu erat facilius, quam Angelos ex divino eodem Verbo, atque inexhauſtis ſcientiæ ejus theſauris plurium, quæ ignorabant, hauſiſſe cognitionem. Denique communis eſt Patrum opinio, Angelos non pauca didiciſſe a Chriſto: quod quidem Juſtinus in Gentilium animos inſinuandum eſſe forſitan arbitrabatur.*

8 Ar-

(*a*) cap. IV. n. 4. pag. 250. (*b*) Kieslin. §. VI. pag. 337. In editione Iangi pag. 60. (*c*) Citat Kieslin. pag. 335 ex appara. ad Bibliot. Scrip. & Patr. Maxi. Tom. I. Diſſ. II. de Juſt. mar. Op. §. XVI. pag. 415.

8 Atque hæc quidem Nourry verba probationem alteram ſtatuunt, eam ſcilicet, quæ a ſolutione objectionum, ſeu argumentorum, quibus Pontificii fidunt, deſumitur. Scilicet potiſſima eorundem Pontificiorum probatio hac ratione diſſolvitur.

9 Reliqua porro eorumdem Pontificiorum argumenta etiam facile diſſolvuntur, atque illud in primis quod ex eo deſumitur, quod in eo ipſo, de quo agimus, Juſtini loco habetur: nimirum Atheos non eſſe Chriſtianos (quod illis Gentiles objecerant), quod eoſdem colerent quos colebant Gentiles: nimirum Deum, & Angelos. Prævenit nempe hanc *Petavii ratiunculam* (a) Dallæus, quatenus obſervat *exquiſitiſſimi judicii Theologus, talem Paganorum in Chriſtianos objectionem non legi; ſed extaret, ſi Chriſtiani Angelos, aut imagines Sanctorum, & hominum, & Angelorum coluiſſent. Obſervat* (Dallæus), *Paganos hoc argumento uſos fuiſſe* (b), *ſi eos hujus cultus reos vidiſſent.* Neque vero paucis hoc argumentum exhibet Kieslingius, ſed cumulatiſſime, tantam vim in eo ad eludendam Catholicorum argumentationem ineſſe putat. Placet porro ejuſdem Kieslingii verba ipſa apponere, ne videamur id evitare quod firmiſſimum ipſe arbitratur. Ad hunc ſcilicet modum ad Trombellium ſermonem convertit. *Non pœnitebit virum Venerabilem verba excellentiſſimi Dallæi legiſſe, & ex iiſdem ſuum Petavium jam refutatum vidiſſe. Extat in actis Concilii ſeptimi Johannis Theſſalonicenſis Epiſcopi inſignis in eam rem locus, quo Paganus cum homine Chriſtiano de hoc religionis capite diſputat, qui in hæc verba erumpit.* „ Vos ergo in Ec„ cleſiis imagines non pingitis Sanctis veſtris, & adoratis illas? & „ non ſolum Sanctis, ſed & ipſi Deo veſtro? Sic ergo æſtima, & nos „ ſimulcra circumſoventes, non ea adorare, ſed incorporales virtutes, „ quæ per illa placantur, ſive potius coluntur [*Ἢ ἀυτῶν θεραπευόμενα*] „ Mox vero cum Chriſtianus colloquutor quædam eſſet interfa„ tus ad diluendam hanc exceptionem; De Angelis vero (inquit) „ quid dicitis? Et ipſos namque depingitis, ut homines, & adoratis, „ quamquam homines non ſint, ſed & intelligibiles, & incorporales, „ & dicti, & exiſtentes. Sic reputa & eos, qui apud nos honoran„ tur, Deos per ſtatuas placari (coli *θεραπεύεσθαι*) nihil inconveniens „ nobis agentibus, quemadmodum nec vobis ſuper depictis Angelis. „ Et hactenus quidem Paganus ille diſputator. Quid? quod ne ipſos „ quidem ex India barbaros fugit hæc diſputandi cum Chriſtianis ho„ minibus ratio? Narrat enim Petrus Martyr Mediolanenſis, in iis „ quos Italice ſcripſit rerum Indicarum Commentariis, tractus Mexi„ cani in nova Hiſpania barbaros, cum eorum Idola repente ſublata „ atque everſa fuiſſent, quatuor viros ex primoribus ad Alfonſum Zu„ aſium Licentiatum, cujus juſſu, atque auctoritate id factum erat, miſiſ„ ſe,

(a) Kieslin. pag. 336.
(b) *uſuros fuiſſe* (ut arbitror).

„ se; qui de injuria conquerentes, hoc ejus consilium sibi præter opi-
„ nionem eo magis accidisse docuerunt, quod viderent Christianos
„ quoque Idola, & imagines in usu & pretio habere, adorare, &
„ colere. Tum simul intento digito monstrantes Sebastiani imaginem,
„ quæ forte ad parietem prope Alfonsi lectum affixa pendebat, sub-
„ jiciebant, quo ille hanc Sebastiani imaginem honore, & cultu vene-
„ rabatur, eum se pariter Idolis suis exhibere. Alfonsum perculit in-
„ expectatum Barbarorum acumen, qui, ut se recollegit, respondit,
„ Christianos signa hæc, non qua sunt Imagines, sed quatenus viros
„ beatos ac in Cælis degentes repræsentant, venerari. *Et post pauca:*
„ Si ergo quæ Johannis Thessalonicensis, quæque Alfonsi Zuasii tem-
„ poribus de Imaginibus, earumque cultu Christianorum fuit senten-
„ tia, eadem quoque superioribus seculis a Christo nato proximis fu-
„ isset, non est dubitandum, quin ipsis veteres Pagani Idolorum a-
„ dorationem exprobrantibus eadem, quæ isti recentiores fuerint re-
„ sponsuri.

CAPUT II.

Kieslingii objectionibus satis fit.

AT sine Kieslingi, nos monita hæc tua paulisper expendere: Hic quoque, quod pro more facis, duo præteris gravissima rationum momenta, quibus adductus est Trombellius, ut vulgatam interpretationem tuæ præferret, quæque, uti idem Trombellius candide fassus est, Justini verbis adhiberi etiam potest. Primum est, Petavio judice, Græcæ locutioni magis congruere vulgatam, & a Catholicis fere propositam explicationem, quam tuam. An non intelligis, ea Petavii a Trombellio adducta verba? [a] *Denique, si quis nonnullum Helleniſmi guſtum habet, is omnino fatebitur, priorem quam expreſſimus, ſententiam magis ſtructuræ verborum, proprietatique convenire, quam poſteriore a me loco poſitam.* Quod si intelligis, cur ea dissimulas Kieslingi mi? An hæc dissimulare candidus censor poterat? Alterum quod dissimulatum a te dixi, illudque gravissimum est, ab Eusebii, qui a Justini temporibus non multum remotus est, auctoritate petitur. An non legisti Trombellium hæc tradentem? (b) *Nonne id apertiſſime edocuit Euſebius Cæſarienſis Chriſtianorum rituum peritiſſimus, dum cap. 3. libri 3. Demonſtrationis Evangelicæ hæc ait?* „ *Porro autem ex illius Decretis ac-*
„ *cepimus, eſſe quoſdam poſt ſupremum Deum, poteſtates natura incorpore-*
„ *as, intelligentes, rationales, omnique virtute præditas, quæ circa Re-*
„ *gem Univerſi choros exerceant: quarum plures etiam uſque ad homines, ip-*
„ *ſius Patris nutu quadam ſalutari diſpoſitione mittantur, quaſque & co-*

gnos-

[a] cap. IV. n. 4. pag. 250. (b) Cap. III. n. 3. pag. 246.

„ *gnoſcere, & venerari pro ratione, graduque dignitatis edocti ſumus, ut* „ *ſoli Deo, qui Rex eſt Univerſi, adorationis honorem tribuamus. Ab eo-* „ *dem præterea didicimus, hoſtiles quaſdam, inimicaſque humani generis* „ *per hunc, qui circum terram verſatur, aerem, volare poteſtates Demo-* „ *num ſpiritumque malorum, eorumque, qui in illis principatum tenent,* „ *quæ cum malis hominibus verſentur, quas ut omni conatu fugiamus, in* „ *præceptis habemus .... Sane huiuſcemodi ſunt, quæ in præceptis, atque* „ *inſtitutis Salvatoris noſtri feruntur, vere priſcorum Hebræorum, qui* „ *Deo grati fuere, tum virorum, tum Prophetarum pia ſanctaque docu-* „ *menta.„His adjunge, ſi vis, ea, quæ idem Euſebius de Martyribus ab Eccleſia cultis alibi refert, approbatque. Conſentaneum enim videtur, ut qui Martyres colit, Angelos etiam veneratione dignetur.*

2 Cur ergo hæc præteris Kieslingi, & quaſi leviſſima eſſent, ne illorum quidem meminiſti? Hæ ne candidi, hæne ſinceri ſcriptoris, qualem te fingis, partes ſunt? Tamen ut manifeſto videas temere a te explicationem noſtram deſpici, quod Angelorum cultum ſtatuat, ſcito hunc ipſum, quem tu odiſti, Angelorum cultum palam tradia Scriptore, qui Juſtini æqualis fuiſſe videtur; vixiſſe ſcilicet creditur Imperatoris Marci Aurelii, & Commodi temporibus, ſuamque Apologiam utrique obtuliſſe [*a*]. Athenagoras is eſt, qui [*b*] criminationem atheiſmi chriſtianis objectam repellens, fatetur primo ſe agnoſcere Deum unum incomprehenſibilem, tum Filium, tertio Spiritum Sanctum, Angelos denique. En Athenagoræ verba: *Satis igitur demonſtratum a me eſt atheos nos non eſſe, qui unum ingenitum, & æternum tenemus Deum, inviſibilem, & impaſſibilem, qui nec capi, aut comprehendi poteſt, qui ſola mente & ratione cognoſcitur, ac luce, & pulcritudine, & ſpiritu, ac potentia non enarrabili circumdatus eſt, a quo denique omnia per ipſius Verbum & creata, & ornata ſunt, & conſervantur. Agnoſcimus enim & Dei Filium. Nec quiſquam ridiculum exiſtimet, ſuum Deo eſſe Filium. Neque enim ut Poetæ fabulantur, qui nihilo meliores hominibus inducunt Deos, ita de Deo & Patre, aut de Filio ſentimus. Sed eſt Filius Dei Verbum Patris in idea & operatione: ab eo enim, & per eum facta omnia, cum Pater, & Filius unum ſint. Cum autem Pater ſit in Filio, & Filius in Patre, unitate & virtute Spiritus, mens & Verbum Patris eſt Filius Dei. Quod ſi vobis pro ſumma veſtra intelligentia inquirere ſubeat, quid ſibi velit Filius; dicam breviter primam eſſe Patris progeniem, non quod factus ſit [ab æterno enim Deus habebat in ſe ipſo Verbum, utpote ab æterno rationalis] ſed quod prodierit, ut omnium materialium rerum, quæ inſtar informis naturæ & inertis terræ, partibus craſſioribus commixtis cum levioribus, jacebant, idea, & actus foret. Hæc Sanctus ipſe Spiritus confirmat.* Dominus *enim*, *inquit*, condidit me initium viarum ejus ad opera ejus. (*c*) *Atque ipſum illum Spiritum Sanctum, qui in Pro-*

(*a*) Vide pag. 277 editionis anni 1742, Hagæ Comitum adornatæ, in qua quidem pagina exhibetur *analyſis* Apologiæ Athenagoræ (*b*) n. 10. pag. 286 allegatæ editionis. [*c*] Proverb. viii. 2.

phetis operatur, effluentiam Dei esse dicimus emanantem, & redeuntem veluti radium solis. Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, & Filium Deum, & Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum & in unione potentiam, & in ordine distinctionem demonstrant? Neque his tamen Theologiæ nostræ ratio continetur: sed & multitudinem Angelorum, & ministrorum agnoscimus, quos creator, & opifex mundi. Deus distribuit, & ordinavit, ut circa elementa, cælos, mundum, & quæ in eo sunt, eorumque temperationem versarentur.

3 Quamvis vero is S. Mauri doctissimus Monachus, cui novissimam S. Justini, Athenagoræ, Tatiani, & Theophili editionem debemus, vocem φαμὲν vertat *agnoscimus*, manifestum est tamen *agnitionem* hanc non esse simplicem *agnitionem*, sed esse agnitionem *protestativam* cultus, & obsequii. Scilicet eodem vocabulo antea utitur, cum de Spiritu Sancto loquitur [*a*]; & tamen fatentur omnes non modo agnitum fuisse ab Athenagora Patrem, Divinum Verbum, & Spiritum Sanctum, verum etiam cultum, adoratumque. Quid? quod si legis [quod plerique codices habent]: Καὶ οὐκ ἐπὶ πάντας τὸ θεολογικὸν ἡμῶν ἵσταται μέρος ἀλλὰ καὶ πλῆθος ἀγγέλων καὶ λειτουργῶν φαμέν, οὓς ὁ ποιητὴς &c. jam vides eximium cultum, illumque sacrum concedi etiam Angelis. Quod si loco vocis θεολογικὸν legas [prout in duobus codicibus Anglicanis habetur, & teste postremo editore (*b*) Operum Athenagoræ legit Suffridus] legas, inquam, λογικὸν, non propterea Athenagoræ demo eam, quam dixi, sententiam. Nimirum voce illa λογικὸν naturam eximiæ rationis compotem indicat: qualem profecto Angelicam etiam facit. Ceterum, uti dixi, cum ut Atheismi suspicionem depellat, & tres Sanctissimæ Trinitatis Personas, & Angelos a se, ideoque a Christianis omnibus, quos a Gentilium actusationibus vindicabat, *agnosci* fateatur, sacrumque cultum ea agnitione, quum de divinis Personis agit, innuat, an negabis Sacrum quoque cultum hac postrema agnitione indicari, non parilem illum quidem [quod Athenagoræ objicit Barbeyracus [*c*], qui Platonismi, & Polytheismi Athenagoram accusat], sed sacrum tantummodo, illumque multo divino inferiorem, ideoque eum, quem Angelis Catholici deferunt. Et profecto (aliquid enim dicendum est etiam, ut Athenagoram ab accusatione Barbeyraci vindicemus) profecto, inquam, quod ante nos notavit novissimus editor operum Athenagoræ, etiam si retineas vocem θεολογικὸν, non propterea fateri cogeris, *naturam divinam rigoroſe*, & *proprie sumptam* tribuendam esse Angelis, ideoque eum ipsum, qui tribuitur Sanctissimæ Trinitatis Personis, cultum, insdem Angelis esse tribuendum. Nimirum vox hæc θεολογικὸν non raro multo latius accipitur, & omnem doctrinam divinitus revelatam significat. Hinc, ut eodem exemplo utar, quo idem Clarissimus Athenagoræ editor ulus est, Moyses

[*a*] καὶ τοι καὶ αὐτὸ ... ἅγιον πνεῦμα ... φαμέν. (*b*) pag. 287, adno. 1.
(*c*) in tractatu *de Doctrina Mora. Patr.*

ſes (*a*) dicitur legibus, quas Judæis præſcripſit, præmiſiſſe *theologiam antiquitus a majoribus ad eum tranſmiſſam* τὴν ἄνωθεν ἐκ πρεπατόρων εἰς αὐτὸν ἥκουσαν θεολογίαν. Eo autem *Theologiæ* nomine non ea tantum ſignificat Euſebius, quæ ad divinam naturam, verum etiam ea quæ ad hominis creationem ſpectant. Hinc capite ſubſequenti, ideſt 15, ait: μετὰ δὲ τὸν πρώτην Θεολογίαν μίτιωσα ἐπὶ τὸ δεύτερον δόγμα φυσικὸν ἅμα καὶ φιλόσοφον. μετὰ γοῦν τὸν περὶ θεοῦ γνῶσιν, τήν τε περὶ ὅλων διακόσμησιν, πάσῃ πρόνοιαν ἐπὶ τὸ καὶ τῇ φύσει δεύτερον. τοῦτο δὲ ἦν τὸ περὶ φύσεως ἀνθρώπου. Tanto vero pluris illud Athenagoræ teſtimonium æſtimandum eſt, quanto certius novimus & in eodem Gentilium argumento repellendo tam Juſtinum, quam Athenagoram inhæſiſſe, & Juſtinum propoſitum fuiſſe Athenagoræ ad imitandum.

4 His præpoſitis, venio ad tua argumenta Kieslingi. Prior illa probatio tua, quæ ſcilicet deſumitur ex eo, quod repetens Juſtinus fidei ſuæ profeſſionem, divinarum quidem Perſonarum meminerit, ſed Angelos reticeat (*b*); cum negativo tantummodo argumento innitatur [cujus, ut quilibet novit, non admodum multæ ſunt vires] infirma eſt: quod tu ipſe fatearis oportet; quippe vides omitti hic a Juſtino illud ipſum, quod antea de Angelis a Chriſto edoctis (ſi tibi credimus) tradiderat: Angelos quippe hic prorſus præterit. Aut ergo ea omiſſio caſu evenit [exſcriptorum ſcilicet indiligentia, aut temporum injuria a qua quidem ex cauſa nonnulla Juſtini Opera aut deperdita, aut certe imminuta ſunt, & quibuſdam partibus reſecta corrupta (*c*)]: aut, ſi vis, propterea Angelos hic præteriit, quia ſatis de iis antea mentionem fecerat. Neque vero neceſſe erat, ut rurſus eadem inculcaret, quoniam ea in re Chriſtianos inter, & Gentiles nulla erat lis: ſi enim Gentiles Angelos *bonorum Geniorum* vocabulo obtectos colebant, Chriſtiani quoque illis cultum deferebant, tametſi etiam multum divino inferiorem: plurimum autem Chriſtiani a Gentilibus diſſidebant in cultu adhibito Divino Patri, Verbo, & Spiritui Sancto: etenim Gentiles neque horum naturam, proprietateſque, neque unam in tribus Perſonis eſſentiam noverant, neque ulla eaſdem divinas Perſonas veneratione dignabantur. Sed cur hic omittimus, quod jam animadverti, cum Juſtinum in exhibenda Chriſtianorum fide imitatur Athenagoras, Angelos recenſere?

5 Fateor porro (neque id diſſimulavit Trombellius [*d*]) Crabium, & Langium pro alia interpretatione, & aliqua ex parte Petavium ſtetiſſe. Sed ſi interpretum numerum, & præſtentiam tantummodo attendimus, nil perficimus; etenim veteribus aliis ſane non improbandis, qui

(*a*) Apud Euſebium, *præparat. Euangelic.* lib. 7. cap. 14. (*b*) In editione Monachorum S. Mauri verba a Kieslingio objecta habentur pag. 50, & 51. [*c*] *magna librarii vulnera fecere, ſive nonnullis emittendis, ſive immutandis, ſive etiam, id quod in toto capite Apologiæ 2. S. Juſtini obſervavi, in locum non ſuum tranſferendis.* Capite 4 partis 1 præfationis editionis Patrum S. Mauri. [*d*] Cap. 4. pag. 248.

pro Trombellii interpretatione ſtant, adjungere merito poſſumus præſtantiſſimum illum Ordinis S. Benedicti Monachum, cui poſtremam Operum Juſtini, Tatiani, Athenagoræ, & Theophili Antiocheni, Hermiæ quoque editionem debemus: quippe Juſtini verba ad hunc modum interpretatur [a]: *Inde ortum, ut Athei appellaremur. Atque Atheos quidem nos eſſe confitemur, ſi de opinatis ejuſmodi Diis agatur; ſecus vero, ſi de veriſſimo illo, & juſtitiæ, ac temperantiæ, ac ceterarum virtutum Patre, nulla admixto vitioſitate Deo. Sed eum, & Filium, qui ab eo venit, ac nos iſta docuit, & ceterorum qui illum affectantur, eique aſſimilati ſunt, bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum propheticum colimus, & adoramus, ratione, & veritate venerantes, & ut quiſque diſcere voluerit, citra invidiam, ut edocti ſumus, impertientes.* Quin etiam eam interpretationem vindicat capite IV partis II præfationis in editionem a ſe adornatam. Aliunde ergo, quam ex numero interpretum, ad aſſerendam, rejiciendamve eam, de qua agimus, interpretationem deſumenda probatio eſt. Atqui ea, quæ jam Trombellius adduxit, & modo nos attulimus ad eam aſſerendam, quam plerique Catholicorum ſuſtinent, cordatis viris id perſuadere ſane poterunt, quod lectori ſuo perſuaſum tantummodo Trombellius voluit: *probabilem* ſcilicet eſſe, quam ipſe ex laudabili interprete propoſuit explicationem. Reliqua iam proſequor.

6 *Ratiunculam* porro appella, ut libet, eam, qua innixus Petavius priorem illam, quam nos ſequimur, poſteriori quam tu ſequeris, interpretationi prætulit: ea ſane, uti apud laudatos viros, ita apud me vim non modicam habet. Eam ſcilicet urget idem Petavius magni ingenii, atque exquiſiti judicii interpres, & Theologus ſummi nominis. Illam pariter urget is, quem ſæpe laudavi, Congregationis S. Mauri Monachus, qui omnium noviſſimus S. Juſtini libros edidit, atque adnotationibus illuſtravit. Atqui tu, Kieslingi mi, quam præſtans ea ſit, quam tu *ratiunculam* appellas, manifeſtis declaras, dum, ut eam eludas, ad Dallæum confugis, quaſi impos per te diſſolvere: ea tamen affers, quæ minime ipſam diſſolvant. Recolamus, obſecro, quæ tu dixiſti (*b*): *Arridet hanc Petavii ratiunculam verbis Cel. Dallæi ſatis acutis, & limatis retundere. Ille ipſe exquiſitiſſimi judicii Theologus obſervat, talem Paganorum in Chriſtianos objectionem non legi; ſed extaret, ſi Chriſtiani Angelos, aut imagines Sanctorum, & hominum, & Angelorum colu[erunt]. Obſervat, Paganos hoc argumento ſine dubio, ut Indiæ quondam incolas, uſos* [c] *fuiſſe, ſi eos hujus cultus reos vidiſſent.* Allegas autem librum Dallæi de imaginibus cap. 3. pag. 37, 38, & 40.

7 Sed dic mihi, Kieslingi, qua de re agimus nunc? Quærimus, ſi probe meminiſti, num allegata Juſtini verba ad eum verti modum debeant, quo vetuſtiores, & plerique Catholicorum vertunt, ita ſcilicet, ut dixiſſe velimus Juſtinum: *Filium Dei, & exercitum Angelorum etiam colimus*; an potius, ut Langius, Dallæus, aliique etiam, præſertim e Proteſtantibus, quos tu ſequeris: *colimus Filium Dei, qui exercitum Angelorum docuit.*

---

[a] n. 6. [b] ſ. V. pag. 336. (c) ideſt [quod jam dixi] *uſuros.*

Digitized by Google

cuit. Ac priorem illam quidem interpretationem Petavius ſeligit, ab eo præſertim permotus, quod ea ratione Paganorum Atheiſmum Chriſtianis imputantium objectio plenius diſſolvitur. Hæc eſt, ut tu quidem audaciter appellas, Petavii ratiuncula. Tu porro ais, *talem paganorum in chriſtianos objectionem non legi*: Sed dic, amabo, quid ſignificant illa Juſtini verba, quæ tu ipſe §. 1 hujuſce ipſius exercitationis ſecundæ pag. 332 allegas: *Et profitemur quidem, nos talium, qui habentur, deorum eſſe expertes, & Atheos, ſed non veriſſimi illius Dei, Patris videlicet, juſtitiæ, & caſtitatis, & virtutum aliarum*, &c. Si latina intelligis verba, Kieslingi, ea palam ſignificant accuſatos fuiſſe Atheiſmi Chriſtianos, idque agnoviſſe te ipſum, dum ea Juſtini verba allegas. Tu tamen id negas. Nec tantum id negas, ſed etiam ais, id negari a Dallæo. Scilicet Dallæo mendacium imputas. Atque id probe aſſequetur, quisquis Dallæum ipſum legerit. In eo, quem allegas, loco, quem ego diligenter conſului, ne attingit quidem Dallæus cultum delatum Angelis, ſed tantum agit de cultu delato ſtatuis, & imaginibus Sanctorum, atque has quidem minime cultas fuiſſe, atque adeo ne coli quidem potuiſſe primis illis Eccleſiæ temporibus, affirmat: quod ſane ſi concederem, adhuc Angelorum ipſorum cultus apud fideles in uſu eſſe potuit. Scilicet Angelos ipſos materiæ prorſus expertes ſine ulla imagine colere commode poſſum. Nonne Euſebius, qui apertiſſime docet, Angelos a Chriſtianis coli, accuſatus eſt quaſi imaginis Chriſti reprehenſor, & hoſtis [*a*]? Trombellius ipſe, adverſus quem te ſcribere jactitas, Trombellius, inquam, ipſe [*b*] eorum ſententiam excipit, qui affirmant, vigente Idololatria *fuiſſe interdictum, ne Chriſtus, aut ulla hiſtoria Sacra in Eccleſiarum parietibus depingeretur, ne ludibrio eſſent Ethnicis, qui ſi aliqua in hiſtoriis noſtris forte inveniſſent eorum fabulis non diſſimilia, religionem noſtram facile irriſiſſent.* Idem quoque Trombellius eos laudat Theologos, qui cenſent, *Iliberitanos Patres in id maxime intentos, ut non ſolum quæ mala per ſe eſſent, tollerent, ſed omne etiam periculum, quoad fieri poſſet, amoverent, & propterea noluiſſe imaginem ullam in Eccleſiis eſſe, ne aut Gentiles ſcandalum inde caperent, aut Chriſtiani ipſi, qui modo ex Idololatria emerſerant, a l eandem iterum per depictas imagines invitari, atque allici viderentur. Certe Patres illos circumſpectos admodum, & ad omne periculum intentiſſimos fuiſſe, vel ex eo conſtat, quod vigilias, quæ a feminis in cœmeteriis celebrabantur, ſuſtulere . . . ſic imaginum Sanctarum cultum non reprobantes, idololatriæ periculum reprobarunt. Quo in periculo ſi nunc etiam verſaremur, jatius eſſet imagines omnino tollere.* Et tamen pro Angelorum cultu vehementer decertat, & hunc tribus ipſis prioribus Eccleſiæ ſeculis invaluiſſe affirmat. Sejuncta nimirum [quod jam dixi] ſunt hæc maxi-

[*a*] Euſebii Epiſtola (quod docuit etiam Trombellius Diſſ. IX. cap. 43. n. 6. pag. 194) actione ſexta Concilii Nicæni II integra fere affertur, & refutatur. Vide colum. 1143. & ſubſeq. tom. VIII editionis Ven. [*b*] Diſſer. IX. cap. LXX. n. 2, & 3.

maxime, & illi ipſi, qui Angelos colit, diſplicere aliquando poterit cultus Sanctorum imaginibus & ſtatuis delatus, ſi forte ſcilicet periculoſus is ſit, & Eccleſiæ incommodus. Imprudenter itaque, quod ſæpe facis, ſejunctiſſima miſces, & ad redarguendam eam interpretationem, quam Petavio anteceſſore excepit Trombellius, eam tribuis Dallæo argumentationem, quam ne ſomniavit quidem. Et de celeberrimo Juſtini loco hactenus: recue vero diutius in eo teſtimonio immorari opus eſt, quo innititur quidem Trombellius, ſed profecto non ita inhæret, ut vires ſummas ineſſe putet. [*a*]

CAP. III.

Theodoreti locus a ſolutionibus illi a Kieslingio adhibitis vindicatur.

ARtem inveniſti *Kieslingi*, quam pauci aſſequuntur, ut ſcilicet unius paginæ ſpatio & Pontificiorum victor tuis appareas, & Pontificiis ipſis ineptiſſimus, & malitioſus: falſa non modo narres, ſed & doctoribus tuis imputes: probationes vero & paradoxas, & lepidiſſimas proponas, quas qui expendet, irſtituto tuo adverſantes inveniet, & perridiculas. Videor mirabilia narrare; ſed vera narro, veraque a me narrari fatebitur quisquis te diſputantem audierit. Afferamus, obſecro, tua ipſa *Kieslingi* verba. In hanc thraſonicam plane rationem inſtitutam de Juſtino quæſtionem concluſeras [*b*]: *Verba plane diſſerta nobis propoſuit Ven. Abbas, & Juſtino, qui cum ratione & veritate Deum colendum eſſe fuſius exponit, violentas ſuas injecit manus. Spe igitur, qua in Juſtino Martyre lactatur, ſua prorſus excidit, & cum aura ludit.* Tum de Theodoreto, quem allegarat Trombellius, ſermonem inſtituis ad hunc modum differens. *Quod ad Theodoreti locum attinet, illum fuſius B. noſter Chemnitius confutatum dedit. Verba ita ſe habent:* „ *Has autem poteſtates, Angelos & Archangelos, Principatus præterea, Poteſtates, Dominationes, ac Thronos vocatis, aliaſque inſuper hebraicis nominibus Cherubim ac Seraphim appellare didiciſtis. Cur itaque adverſum nos tantopere indignamini, ſi poſt Deum illum, qui ſemper eſt, quique eodem modo ſemper ſe habet, ſecundarios quoſdam Deos, ſed tamen eo multo inferiores & opinamur eſſe, & veneratione proſequimur.* „ *Obſervat Chemnitius, hunc librum octavum, ſcatere Philoſophorum, in primis Platonicorum principiis. Inde in octavo libro de Martyrum honoribus diſputaturus, quod tanquam Urbium cuſtodes & locorum Præſides, quorum precibus, & interventu apud Deum utentes homi-*

[*a*] Dubitanter ſcilicet loquitur §. 1 capitis III, & §. III. cap. IV. pag. 249. *Indubitata res eſſet, ſi indubitatum foret in illa Juſtini Apologia, &c. . . . Haud immerito furtaſſe innitimur.* (*b*) pag. 338.

homines, per eos demum divina munera consequantur, honorandi sint; multas ex Philosophis, & Poetis, ex Hesiodo præcipue, & ex Platone sententias transcribit, quod gentes suos Heroas ac Dæmones eodem etiam modo coluerint. Nihil demitur veritati Christianæ, si vel maxime Theodoretus Sanctos Angelos colendos & adorandos statuerit; non tamen illa, ut idem observat B. Chemnitius, universalis fuit, in omnibus Ecclesiis, observatio, sicut ex Cyrillo, qui iisdem temporibus vixit, manifestum est. Excusationem forte Theodoreto non denegaveris, si accurate consideraveris, hunc Ecclesiæ Patrem eo scripsisse tempore, quo Julianus infelicissimi nominis Imperator Gentilium quisquilias, camarinasque movit, quod optime annotavit Cl. Oudinus. Quo igitur Græcos ad saniora revocaret principia, & cultum Angelorum Dæmonumque supprimeret, ipsorum quandoque indulsit genio, & nomina, Throni, Potestates, & Dominationes Judæis, & Paganis satis nota adhibuit. Præambulonem habet div. Paulum, qui iisdem usus est nominibus Coloss. I. 16. Ephes I. 21. 22. Sed non alio fine, atque omine, ut observat Cl. Beausobrius, quam ut præstantiam Christi pra Angelis adversus Simonianos, aut Cerinthianos vindicaret. Feliciter hoc præstitit Apostolus, demonstravitque, Thronos per Christum esse creatos; Christum esse Caput totius Corporis; Christo subjectos esse omnes hos Thronos; proinde illum omnibus Angelis, quo demum veniant nomine, esse præstantiorem, excellentioremque.

2 Quam præclarus es disputator Kieslingi. Sed dic age, cur Eusebium præteris, cujus verba nec obscura sane, nec pauca numero III, ideoque poit Justinum, & ante Theodoretum allegarat Trombellius, qui rursus eiusdem Eusebii auctoritatem inculcat numero III, & VIII capitis IV? Nec immerito sane. sunt enim expressissima Eusebii verba, & communem Christianorum persuasionem exhibent. Tu tamen Kieslingi mi, tu, inquam, qui diligentiam, ac candorem tuum tam sæpe, tam magniloque jactitas, illum adeo omittis, ut ne illius meminerim quidem. Cur porro? Scilicet ut Trombellii victor appareas tuis, qui Trombellii scripta minime legerunt. Sed dum id ab incautis obtines Kieslingi mi, a Catholicis irrideris, tuamque illi debilitatem tibi exprobrant, & vafritiem. Præteris enim Eusebium, quod nihil habeas, quod ad illum reponas. En qualem refers de Trombello victoriam.

3 An non etiam falsa, natras & scriptoribus tuis imputas, cum hæc scribis? *Excusationem forte Theodoreto non denegaveris, si accurate consideraveris, hunc Ecclesiæ Patrem eo scripsisse tempore, quo Julianus infelicissimi nominis Imperator, Gentilium quisquilias, camarinasque movit, quod optime annotavit Clar. Oudinus* (vide ejus comment de Scriptor. Ecclesiastic. Tom. I. pag. mihi IV. & seqq.) Neque scilicet eo quo tu dicis tempore (Juliano videlicet imperante) vixit Theodoretus; neque id asserunt Oudinus, qui probe noscens, Theodosii II tempore floruisse Theodoretum, hoc tantum inquirit, cur, quove anno orationes, quæ fere inscribuntur *de curandis Græcorum affectionibus*, Theodoretus edi-

ediderit. Tu vero indiligenter, ut ſoles ceteros, ita etiam Oudini libros legens, videnſque in eo mentionem Iuliani fieri, aſſerere audes affirmaſſe Oudinum Theodoreetum *eo ſcripſiſſe tempore, quo Julianus infeliciſſimi nominis Imperator Gentilium quisquilias cæremoniaſque movit quod optime annotavit Clariſſimus Oudinus*, quaſi Oudinus tui ſimilis eſſet, oſcitans & id neſciens, quod cuncti ſciunt. Sed quoniam cogis, præſtat ipſa, licet multa, Oudini verba hic deſcribere [a]: „Quo igitur definite tempore ſcripſit Theodoretus? Audivi qui conjiceret hoc „ opus elucubratum eſſe circiter annum 433, aut 434. Quaſi tunc „ Theodoretus, poſtquam elaboratos a Cyrillo adverſus Julianum libros legiſſet, voluerit & ipſe ſpecimen dare doctrinæ, in refellendis Grecorum, ideſt Gentilium, qui Juliano imperante reſumperant animum, adverſus fidem Chriſtianam calumniis. Hanc conjecturam juvabat extremis ſermonis duodecimi verbis: = Oratos autem „ velim, quicumque in aliorum elucubrationes inciderint, ut, ſi quidem bene habent omnia, quæ ſcripta ſunt, Deum laudent, qui benè ſcribendi facultatem dedit, ipſiſque adeo ſcriptoribus bene precentur: ſin vero aliqua deſiderari videantur, ne paucorum cauſa cuncta „ condemnent, ſed ex iis potius, quæ recte ſcripta viderint, emolumentum ſibi comparent = . Præit vero Card. Baronius, cum Theodoretum ſcripſiſſe ait, occaſione legis a Theodoſio adverſus paganos „ latæ. Nam quum intelligi nequeat lex illa, quæ ad annum 439 referatur, prior aliqua inquirenda eſt, cum qua dicta Theodoreti conveniant, & qua Imperator pœnam capitis ſacrificantibus paganis ſtatuat. Sunt autem ejuſmodi duæ, quas ſuis Annalibus Baronius inſeruit: altera anno 423 ad Aſclepiodorum Prætorii Præfectum, altera anno 426 ad Iſidorum Prætorii itidem Præfectum. Poſterioris, qua non tantum ſacrificia prohibentur, ſed fana etiam, templa, & „ delubra dirui jubentur, meminit Theodoretus lib. V Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 36 his verbis: = Ipſa idolorum delubra, quæ reſtabant, funditus dirui juſſit, ut nec quod poſteritati priſtini erroris veſtigium exſtaret: hanc enim ſententiam legi hac de re ſcriptæ „ indidit = . Gothofredus in notis ad l. 22. *de Paganis*, verba Theodoreti de priori lege interpretatur. Sed vel hoc uno refellitur, quod „ lex vigeſima ſecunda, *de templorum everſione* ne verbum quidem continet, de qua lex poſterior tota ferme eſt. His ergo inducor ad opinandum, Theodoretum anno 427 ſcripſiſſe *de curandis græcorum affectionibus*: ut quos ſuis legibus terruerat Imperator, eos ratione „ ad Chriſtianam fidem ſuperſtitionis Gentilis victricem adduceret. „ Quod ſi hæc opinio vera ſit, conſequens eſt, ut Opus, de quo agitur, inter ea cenſeatur, quæ Theodoretus Sancto Leoni anno 449 „ ſcribit ſe ante annos viginti compoſuiſſe: quo tempore ſeculari„ bus adhuc literis plenus, in eo verſari argumento voluit, in quo

&

(a) Tom. 1. pag. IIII.

„ & ſuam gentibus eruditionem oſtentare poſſet, & cum eruditis „ aliis ſuæ ætatis de laude contendere, eandem materiam tractare „ amantibus.

4 Sed tempus jam eſt, ut id denique oſtendamus, quod tertio loco me oſtenſurum promiſi: probationes nimirum & paradoxas, & lepidiſſimas a te proponi, quas qui expendet, inſtituto tuo adverſantes inveniet, & perridiculas. Nimirum hujuſmodi eſſe ajo ſubſequentem a te propoſitam: *Quo igitur Græcos ad ſaniora revocaret principia, & cultum Angelorum, dæmonumque ſupprimeret, ipſorum quandoque indulſit genio, & nomina THRONI, POTESTATES, ET DOMINATIONES, Judæis, & paganis ſatis nota adhibuit. Præambulonem habet D. Paulum &c.* Dic mihi, Kieslingi: nonne tibi propoſitum eſt Theodoreti auctoritatem expreſſiſſimam Angelorum cultum indubitato aſſerentem enervare? An expreſſiſſimam denegabis? Quid his verbis jam a Trombellio (*a*) allatis, & quæ recolere hic libet, ad id, quod agimus, apertius declarandum, quid his, inquam, verbis manifeſtius? *Has autem (Poteſtates), Angelos, & Archangelos, Principatus præterea, Poteſtates, Dominationes, ac Thronos vocatis, aliaſque inſuper hebraicis nominibus Cherubim, ac Seraphim appellare didiciſtis. Cur itaque adverſum nos tantopere indignamini, ſi poſt Deum illum, qui ſemper eſt, quique eodem modo ſemper ſe habet, ſecundarios quoſdam Deos, ſed eo tamen multo inferiores & opinamur eſſe, & veneratione proſequimur?*

5 Id ergo quod ais, palam falſum eſt, & paradoxum, atque adeo perridiculum. Vult revera Theodoretus Græcis veteribus ſuperſtitionibus addictis oſtendere, immerito ab iis improbari Angelorum nomina ab Hebræis excepta, cultumque iis a Chriſtianis adhibitum: & tu ais *Theodoretum, ut Græcos ad ſaniora revocaret principia, & cultum Angelorum, Dæmonumque ſupprimeret, ipſorum indulſiſſe genio &c.* Immo vero nihil eorum, quæ tu dicis, verum eſt. De cultu a Gentilibus malis Angelis ſeu Dæmonibus adhibito hic non agit Theodoretus: nec reprobare vult cultum bonis Angelis a Chriſtianis adhibitum, ſed vindicare. Quod ſi reprobare voluiſſet, ineptiſſima ea fuiſſet agendi ratio, quam ab eo ſervatam tu dicis, quando narras, Theodoretum, *ut Græcos ad ſaniora revocaret principia, & cultum Angelorum ſupprimeret, ipſorum quandoque indulſiſſe genio, & nomina, throni, poteſtates, & dominationes, Judæis, & paganis ſatis nota adhibuiſſe.* Dic mihi Kieslingi: an veteres Doctores noſtri, ut Gentiles a ſuperſtitione removerent, *ipſorum quandoque indulſere genio, & nomina Jovis, Minervæ, Neptuni, Veneris, & aliorum id genus falſorum numinum adhibuerunt?* [cum laude ſcilicet, & proteſtatione cultus, nam procul dubio, quod jam oſtendimus, Theodoretus Angelorum cum laude meminit, cultumque divino quidem inferiorem, ſed tamen non modicum a Chriſtianis illis tributum vindicat]. Nihil minus: immo Paulus deorum numina, *ſi-*

[*a*] pag. 247.

mulacra muta [*a*], & *nihil* (*b*) appellat; & tantum abeſt, ut eorum indulgeat genio, ut potius illorum genium averſetur.

6 Meminere porro Jovis, Minervæ, Veneris, aliorumque numinum ſubſequentes Doctores noſtri; ſed quum meminere, redarguunt, eorumque condemnant cultum, monentes vel dæmones eſſe illos, vel homines, plerumque ſceleſtos, quos ſacris honoribus proſequi omnino non liceret.

7 Sed quo abis Kieslingi, dum mones, nomina, *throni*, *poteſtates*, & *dominationes* non modo *Judæis*, ſed et *paganis ſatis nota* Theodoretum adhibuiſſe? Indica, obſecro, loca auctorum, ex quibus didiceris, ſatis notos fuiſſe Gentilibus *thronos*, *dominationes*, & *poteſtates*. Nullum profecto afferes. Immo vero Theodoretus expreſſiſſime multo ſecus ſe rem habere docet, quandoquidem docet hæc Angelorum munia, aliquorum quoque ipſa nomina hebraica Gentiles noviſſime didiciſſe; a Chriſtianis ſcilicet. *Has autem* [Poteſtates], *Angelos*, & *Archangelos*, *Principatus præterea*, *Dominationes*, *ac Thronos vocatis*, *aliaſque inſuper hebraicis nominibus Cherubim*, *ac Seraphim appellare didiciſtis*.

8 Ridiculum illud quoque eſt, quod ais, hiſce nominibus, *Throni*, *Poteſtates*, & *Dominationes*, uſum fuiſſe Theodoretum, ut *Græcorum*, ſeu Gentilium *genio indulgeret*. Eadem enim nomina tum apud Paulum, tum apud alios Theodoreto etiam antiquiores invenimus, quos, ut Gentilium genio indulgerent, ea adhibuiſſe, quis ſanæ mentis affirmabit? Hilarius ſane Pictavienſis, ut alios præteream, in epiſtola, quæ nondum quidem edita eſt ſed, modo a Trombellio luculentis adnotationibus illuſtrata editur (*c*) una cum aliis pluribus veterum Patrum, & Eccleſiaſticorum Scriptorum opuſculis, quæque jam ſub prælo eſt: *Eſſe igitur*, inquit [*d*], *plurima*, *quæ per Filium fecerit* (Pater), *quorum aut ſola nobis nota ſunt nomina*, *aut nec ipſa ſunt cognita*. *Quanti enim ſunt throni? quanta poteſtates? quanta dominationes? quanti principatus? quanti Spiritus? quanti Angeli?*

9 Sed quoniam ad Kemnitium tuum provocas, (famæ vero tuæ conſuluiſſes, ſi ad eum tantummodo nos provocaſſes, nec alia de tua penu adjunxiſſes, quæ quam pretiola ſint, & laudabilia, ſatis vidimus) Quoniam, inquam, ad Kemnitium provocas, Kemnitii reſponſiones minime diſſimulo. Kemnitius itaque in eo, quem allegas, loco tres adhibet ſibi objecto Theodoreti teſtimonio reſponſiones. Harum prima eſt: non eſſe certum, eas, de quibus agimus, Orationes a Theodoreto fuiſſe conſcriptas; neque enim illarum meminit Nicephorus, cum librorum Theodoreti indicem texit. Altera: ſibimet obſtitere Theodoretum; etenim in commentariis in Epiſtolas Pauli (quos quidem commentarios certo novimus a Theodoreto fuiſſe elucubratos) An-

(*a*) 1. Corin. 12. 2. [*b*] I. Cor. 8. 4. (*c*) in Tomo ſecundo *Anecdotorum a Canonicis Regularibus S. Salvatoris evulgatorum*, pag. 38. [*d*] num. V. pag. 40 ejuſdem tomi.

Angelorum cultum reprobat; hic vero illi aliqua ex parte favet. Sed quis non videat (inquit Kemnitius) in hac repugnantia præferendos esse eos libros, quos certo novimus ab aliquo doctore compositos, iis, de quorum authenticitate merito dubitamus? Tertia: sibi proposuisse in iis orationibus Theodoretum ostendere, vetustis Gentilium traditionibus, quas præsertim Poetæ induxerant, Christianorum opiniones convenire. Accommodat se itaque Gentilium traditionibus tum Theodoretus, qui propterea Angelorum cultui, Sanctorum suffragationi, præsidioque hic favet, has ipsas traditiones satis alibi refellens. Quod si non refelliſſet ipse; id minime adhuc curandum erat; refelluntur enim a Laodicena Synodo, a Cyrillo Juliani Apostatæ objectiones dissolvente, & a reliquis eorum temporum Patribus, & Doctoribus. Hæc est in summa Kemnitii evasio, cui alteram addere libet ab Oudino indicatam; scripsisse scilicet hæc Theodoretum eo *tempore, quo seculariibus adhuc litteris plenus, in eo versari voluit argumento, in quo & suam gentibus eruditionem ostentare posset, & cum eruditis aliis suæ ætatis de laude contendere eandem materiam tractare amantibus.*

10 Atque his quidem sic occurrimus. Indubitatum est, eas Orationes, de quibus agimus, a Theodoreto fuisse elucubratas; etenim præter quam quod stylí, locutionisque affinitas, atque adeo convenientia id declarant, id ipsum discimus ex iis, quæ, ut ceteros prætermittam, edocet Tillemontius (*a*).

11 Quis sit sensus verborum Theodoreti in commentariis in Epistolam ad Thessalonicenses, declaravit Trombellius (*b*), ad quem Lectorem allego. Ego quoque Trombellii dicta ab objectionibus Kieslingii vindicans Theodoreti locum retractabo, ostendamque, Angelorum cultum minime ab eo improbari.

12 In orationibus, quas *de curandis Græcorum affectionibus* Theodoretus inscripsit, sibi quidem aliquando ostendendum proposuit: Christiana dogmata a veteribus etiam Gentilibus fuisse indicata, ut ea ratione objectionem a novitate Christianæ religionis deductam evitaret. Qua in re antecessores in primis Justinum habet, & Athenagoram, tum alios multos e nostris, qui Platonicorum præsertim, aliorumque etiam Philosophorum opinionibus consona nostra dogmata esse affirmarunt. Dum tamen id Theodoretus, aliique Veteres præstant, cavent in primis, ne nostra dogmata illorum pravis opinionibus consona fateantur: quis enim Deorum stupris, aliisque criminibus affinia a nobis tradi conniveat? Immo vero id pernegant. Pernegant quoque deorum multitudinem, & progeniem; & cultum improbant iis adhibitum: neque ea in re tantisper indulgent voluntati Gentilium. Itaque hoc sibi proposuerunt, hocque servant Doctores illi, ut falsa Gentilium dogmata rejiciant, refutentque, neque ulla ex parte iis conniveant: nostra vero

(*a*) Tom. XV. Theodoret. art. 48. pag. 322. (*b*) Differ. IV. cap. IX. n. 2, & 4. pag. 269, & 270.

Digitized by Google

dogmata Magiſtrorum, quos habent, auctoritate comprobent, confirmentque. Itaque ſi ad Angelorum cultum, & affinia dogmata ſtabilienda, veterum poetarum, & philoſophorum teſtimonia congerunt, propterea id faciunt, ut novitatem arceant ab iis dogmatis: oſtendunt quippe jam dudum ea admiſſa fuiſſe a ſapientioribus Gentilibus. Quod ſi improba ea agnoviſſent, repuliſſent ſtatim, nec Veterum teſtimonia ad ea ſtabilienda congeſſiſſent. An Veterum teſtimonia congerunt, ut Jovis adulteria, aut Mercurii furta approbent, Chriſtianorumque ritibus annumerent?

13 Oudini monita facile excipiam, & Orationes, de quibus agimus, Theodoretum compoſuiſſe fatebor, ſi vis, dum adhuc *ſecularibus litteris plenus* erat. An continuo orationes eæ *contemnendæ?* Minime vero. Immo auſim dicere, in ſummo honore habendas eſſe, quoniam aperte ſignificant, quibus in rebus cum veteribus Gentilibus conveniamus; in quibus vero ab iis diſſentiamus. Sane Oudinus ipſe, qui a Kiſslingio allegatur, non adeo deſipit, ut orationes has levi in pretio habendas pronunciet, aut earum auctorem Theodoretum contemnat, pronunciet que veterum ſuperſtitioni annuentem, ut Gentiles ad fidem noſtram alliceret: immo habet in pretio, quod facile is fatebitur, qui Oudinum ipſum conſuluerit.

AD

AD EXERCITATIONEM III.

Qua, ut Kieslingii fert titulus,

Nonnulla Scripturæ Sacræ dicta a Gryphis ſolvuntur.

CAP. I.

1 OBjecerat ſibi Capite V Trombellius [id enim candidi diſputatoris eſt munus] objecerat (inquam) ſibi Trombellius quædam *Scripturarum*, & *Patrum loca*, *quibus Deo tantum cultum*, *obſequium*, *honoremque deferre jubemur*: atque in primis illud celebratiſſimum Deuteronomii, & Matthæi teſtimonium: *Dominum Deum tuum adorabis*, *& illi ſoli ſervies*: Deinceps vero verba illa Pauli in prima ad Timoth. *Soli deo honor*, *& gloria*, aliaque his affinia tum Scripturæ, tum Patrum monita: quæ quidem capite ſubſequenti, ideſt VI, explicat, illuſtratque, oſtendens ſcilicet, quænam ſignificatio his verbis inſit. Fremit ad hæc Kieslingius, & ad hunc modum Trombellii ſolutiones rejicit. *Non illuſtrat* [inquit ille] (a) *& explicat* [*uti Ven. Abbas in fronte Capitis ſexti promittit*], *ſed iterum obſcurat*, *& globulis involvit quædam Sacri codicis oracula. Primum deſumptum eſt ex Deut. X. 20. ſeu potius Matth. IV. com. 10.* Adorabis Deum Dominum Tuum, & ei ſoli ſervies. *Quod dictum ſupra jam eſt a falſo interpretationis ſenſu liberatum. Occurrunt alia dicta nunc vindicanda. Cereis quaſi formis ſua figmenta imprimit Ven. Abbas, qui Di Pauli verba deteſtabilem in modum diſtorquet, & ad ſuam rem trahit. Dicit Apoſtoli verba ita leguntur*: Regi autem ſeculorum immortali, inaſpectabili, ſoli ſapienti Deo, honos & gloria in perpetua ſecula. Amen. 1. Timoth. 1. 17. *Duabus hujus dicti ſenſum lædit interpretationibus, e Chriſtiana Civitate prorſus eliminandis.* „ *Ad duo*, *inquit*, *præcipua capita* „ *revoco reſponſiones. Quidam monent particulam*, Soli, *non eſſe referendam ad honorem & gloriam dandam*, *adeo ut ſignificet*, *Deo ſoli eſſe tribuendum honorem & gloriam*; *ſed eſſe referendam ad Deum*, *qui ſolus ſit. Et poſt pauca.* „ *Monent alii*, *inquit*, *vocem* Soli *intelligendam eſſe de ſublimi illo honore*, *& gloria*, *quæ Deo tantum tribuenda eſt.*

2 Sed quænam affers tam ſævæ accuſationis argumenta, Kieslingi mi? Affirmas quidem locum illum Deuter. X. 20. & Matthæi 4. 10 (quem quidem locum neſcio qua de cauſa velis potius deſumptum eſſe ex Matth. IV. 10, quam ex Deuter. X (b), cum illius origo

(a) pag. 339. (b) *Primum deſumptum eſt ex Deutero. X. 20, ſeu potius Matth. IV. com. 10.* Kiesl. ibidem.

origo a Deuteronomio proveniat, & in allegato Matthæi loco recitetur tantummodo, ut desumptum ex sacris codicibus [*a*], non proferatur veluti primo traditum] affirmas, inquam, locum illum Deuteronomii, & Matthæi *supra jam a falso interpretationis sensu fuisse liberatum*. Sed locum non indicas, quo id egeris. Novi equidem te aliquando locum illum Catholicis objeciſſe [quod tui ſimiles ſæpe faciunt]: Sed minime novi, ubinam offenderis Trombellii, adeoque Auguſtini interpretationem *falſam* eſſe. Kieslingi mi ſomnias, dum hæc narras. Tua porro auſloritas tanta non eſt, ut Auguſtini interpretationem falſam eſſe dicamus, ſi quando tu falſam ais: nec *globulis involvit* (liceat enim, ut tibi ita inſerviam, elegantiſſimis tuis phraſibus uti) *Trombellius Sacri codicis oracula*, quod perperam tu affirmas. Conſiſtunt itaque Trombellii monita, quæ n. 2 capitis VI [*b*] ille propoſuit; ratumque eſt atque exploratiſſimum quod ille tradidit verbis his: *Primum deſumptum ex Deut. 10. v. 20. ſeu petius ex Matth. 4. 10 diſſolvit Auguſtinus quæſtion. 61 in Geneſim; explicans quippe verba illa: Exſurgens autem Abraham adoravit populum terræ: ſic loquitur:* „ *Quæritur, quomodo ſcriptum* „ *ſit*: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, *cum Abra-* „ *ham ſic honoraverit populum quemdam gentium, ut etiam adoraret. Sed* „ *animadvertendum eſt, in eodem præcepto non dictum: Dominum Deum* „ *ſolum adorabis, ſicut dictum eſt*, & illi ſoli ſervies, *quod eſt Græce* „ *λατρεύσεις. Talis enim ſervitus non niſi Deo debetur: Unde dam-* „ *nantur Idololatræ, ideſt, eam ſervitutem exhibentes Idolis, quæ debetur* „ *Deo*. „

3 Nec felicius refutas interpretationem, quam dat Trombellius verbis illis Apoſtoli: Pauli *Soli Deo honor, & gloria*. Scilicet dum ita eam refers quaſi a Trombellio propoſitam: „ Ad duo præcipua capita „ revoco reſponſiones. Quidam monent particulam *ſoli* non eſſe refe- „ rendam ad honorem, & gloriam dandam, adeo ut ſignificet Deo „ ſolummodo eſſe tribuendum honorem, & gloriam, ſed eſſe refe- „ rendam ad Deum, qui *ſolus* ſit. Et poſt pauca. Monent alii, in- „ quit, vocem *ſoli* intelligendam eſſe de ſublimi illo honore, ac „ gloria, quæ Deo tantum tribuenda eſt „. Dum eam, inquam, interpretationem ita refers, recuſat Trombellius eam interpretationem veluti ſuam agnoſcere: neque enim ita refers, ut ea omnino exprimas, quæ docet ille.

4 Docet itaque Trombellius, duo eſſe reſponſionum, ſeu ſolutionem capita [*c*]. Vult prima ita eſſe conſtruenda ea verba: *Deo, qui ſolus eſt, honor & gloria tribuatur*: minime hic declarans, quodnam genus gloriæ, & honoris illi ſit tribuendum, ſed alium in locum id reſervans, in quo aptius mentem ſuam aperiat, declaretque genus, & qua-

(*a*) *Tunc dicit ei Jeſus: Vade Satana; ſcriptum eſt enim*: Dominum deum tuum adorabis &c. (*b*) pag. 256. [*c*] Vide n. 3. cap. VI. pag. 256, & 257.

Digitized by Google

qualitatem honoris hujus, & gloriæ. Vult altera intelligenda esse ea verba de eo genere honoris, ac gloriæ, quod supremum dominium denotat, ideoque Deo soli tribui potest. Comprobat autem ea, quæ tradit, Trombellius & Bernardi, & Petri Cluniacensis, qui *Venerabilis* est appellatus, auctoritate, ac verbis, quibus quidem apertissime constet, quam rectæ ac probabiles eæ sint explicationes, quas ipse proposuit.

5 Quem ergo foris Kieslingi mi, dum hæc effundis? [a] *Prima interpretatio admodum est coacta, quæ ordini verborum apertissime repugnat. Si vocula*, Soli, *ad bonorem & gloriam respiceret, illa & genere, & casu voci*, gloria, *respondere debebat. Sic autem sunt in textibus verba:* Τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. *com.* 17. *Nullius fere momenti sunt, quas variantes lectiones circa hoc dictum observant, rationes. Tradunt in Codice Alexandrino, nec non in Chrysostomo, Theodoreto, & Oecumenio offendi mutationem verborum* ἀφθάρτῳ, & ἀοράτῳ, *& omissionem vocis* σοφῷ, *ut videre est apud Cel. Jo. Millium, & Daniel Whitbium. Nostra meditatio potissimum circa voculam* Soli μόνῳ *versatur. Vel is, qui prima linguæ Græcæ fundamenta degustavit, hanc particulam* Soli *non ad gloriam referet, sed ad Deum, qui est gloriæ rejicienda objectum. Firmum est quod Apostolus in hac voce ponit cultus divini argumentum. Deus, inquit, est Rex seculorum immortalis, est invisibilis, & solus Sapiens, proinde ipsi soli debetur gloria, seu cultus religiosus. Singulares ob has summi Numinis affectiones, quas nullus fictitius Gentilium Deaster, neque ullus Orbis imperator habet, illi soli debetur gloriæ & adorationis cultus. Exclusivam habet hæc vocula*, Soli, *vim, virtutemque, quam tamen negare videtur auctor.* „ *Porro ex eo, inquit,* „ *quod Deo, qui solus est verus Deus, honor & gloria detur, non proni-* „ *bemur, ne aliis, si forte ea mereantur, conveniens honor adhibeatur* „ *& gloria.* „

6 An Trombellium feris, qui apertissime ad Deum retulerat particulam *Soli*? An fingo quæ trado? An non potius hæc legimus in Trombellio? (b) *Quidam monent, particulam* Soli *non esse referendam ad honorem & gloriam tandem, adeo ut significet Deo soli esse tribuendum honorem, & gloriam; sed esse referendam ad Deum, qui solus sit. Sic ergo construunt: Regi seculorum, qui immortalis, invisibilis, & solus Deus est, honor & gloria in secula seculorum tribuatur. Porro ex eo, quod Deo, qui solus est verus Deus, honor & gloria detur, non prohibemur, ne aliis, si forte ea mereantur, conveniens honor adhibeatur & gloria; item fere, ut ex eo quod Deo, qui solus est verus Deus, jubeamur gratiarum actiones referre, & laudes tribuere, non prohibemur ne aliis, si forte eas mereantur, gratiarum actiones referamus. Monent alii, vocem SOLI intelligendam esse de sublimi illo honore & gloria, quæ Deo tantum tribuenda est, aut, si vis, de gloria, quam aut falsis Diis tantum tribuebant, aut sibi arro-*

(a) pag. 340. (b) pag. 256.

arrogabant homines, aut certe cum Deo partiebantur, nec uni, nec totam dabant. Neutram autem explicationem rejicit Trombellius.

7 Sed quo aberras Kieslingi, dum hæc ais (a)? *Si excludendi rationem neget Ven. Trombellius, absurdissima quævis mihi inde elicere licebit. Sic statuo, & ex ejus sententia ita argumentor: Deus est Rex seculorum, sed non solus, quia in seculis vivunt multi terrarum Reges. Deus est immortalis, sed non solus, quia homines & Angeli sunt immortales, licet non per naturam, sed per Dei gratiam & voluntatem. Deus non solus est Sapiens, sed & multi extiterunt, & adhuc existunt sapientes, diffusa rerum notitia instructi. Quibus hæc differant parasangis, vel rudior intelliget. Suffragatur meæ sententiæ Cel. Jo. Cocceius asserens:* Soli Deo, qui solus novit, quid deceat facere, solus sine socio consilium iniit. *Eadem est ad alterum argumentum responsio: Id contendere Apostolum, ne aliis Gentilium Diis, sed Soli Deo tribuatur gloria. Si vero denegavit Gentilium Diis cultum sua jam ætate, & Sanctorum infirmavit venerationem Apostolus: quia & his per voculam exclusivam, Soli, gloriæ Divinæ communionem ademit. Deus neque dulia, neque hyperdulia cultus, qui imaginarius est, Mariam & Sanctos participes fecit; neque citra jactaram suæ essentiæ facere potuit. Soli Deo in essentia Triuni, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, exclusis aliis, quo demum nomine veniant, Deastris, & Sanctis hoc pietatis officium debetur. Theodoretus Cyrensis Episcopus hæc Pauli verba exponens, amplissime sensum reddidit.* „ Quoniam ostendit, *inquit*, „ Christum Dominum illa bona suppeditare, volens ostendere, quod „ Deo & Patre id comprobante, & Spiritu Sancto adjuvante & simul „ operante, ea facta sint, ab una persona ad id, quod est commune „ naturæ, transiit: & hymnum Trinitati obtulit: & silentio præte„ ritis personis divinam naturam laudavit. Quod enim non solum Deo, „ & Patri, sed etiam Filio, & Spiritui Sancto, quæ dicta sunt con„ veniunt, facile sciri potest. Rex enim seculorum non est solus Pa„ ter, sed etiam Unigenitus Filius, est enim effector seculorum. Æter„ nus quoque est & ipse, & Sanctissimus Spiritus, etenim ipsum quo„ que æternum appellavit divinus Apostolus. „ *Secundum jure a Theodoreto meretur locum B. noster Fridericus Balduinus Wittembergensis (ne forte offendatur Vir Venerabilis hujus Urbis appellatione) Theologus exquisitissimus, qui particulam exclusivam constanter urget.* „ Verum, *inquit*, „ exclusiva illa non opponitur personis in eadem essentia Divina, „ sed Diis Gentilium, & creaturis omnibus, quæ sunt extra essentiam „ Divinam: nemini enim debetur gloria & honor, præter solum „ eum, qui vere est in essentia sua, Deus. Non ergo hinc excludi „ possunt Filius, & Spiritus Sanctus, quia hi sunt intra illam divini„ tatis essentiam. „ *Quod vero valet de Diis Paganorum: illud valet quoque de Romanensium Sanctis. Hæc, non e contemtu Sanctorum, sed ex rei veritate scribo. Probandum enim est Romanensibus, Sanctos esse intra Di-*

(a) §. 3. pag. 340.

Divinitatis essentiam? Hoc si evicerint, libere illis nostra offeremus studia? Sunt ne illi intra hanc divinitatis essentiam? An forte illos Deus & essentiæ, & cultus compotes reddidit? Minime. Quantum igitur honoris Sanctis attribuitur, tantum Deo demitur. Hæc ratio firmior est omnibus jejunis Bernardi, & Petri Cluniacensis, quos duumviros allegat, testimoniis. Eadem facilitate dicta ad Roman. XVI. 27. Apoc. VII. 12 diluuntur. Probandum enim est, quod hæc dicta, quæ exclusivam habent virtutem, quicquam de licito Sanctorum statuant cultu. Res, quod reliquum est, quantum ego video, huc redit: Magnam esse statuit Gentilium Deos inter, & Romanensium Sanctos, discriminis rationem: His cultus, divinæ, quæ Deo debetur, venerationi inferior præstari potest, illis autem Paganorum Diis omnino nullus. Hoc subterfugio Arnobii locum de Deorum superstitione, & quotquot obvia sunt, Patrum testimonia a Sanctorum removet cultu. Sed quam satis evicerim cultum Sanctorum e Gentilium sordibus esse consarcinatum; quam valde demonstraverim, & hoc superstitioni esse affine, si ea, quæ soli Deo sunt propria, creaturis attribuuntur, non video quid virum venerabilem hi verborum, & interpretationum recessus, & latebræ juvare possint.

8 Hæc ita refellimus Kieslingi. Trombellius duas explicationes, uti diximus, adducit, quarum prima vocem *Soli* restringit ad Deum, qui solus est: Non ergo negat particulam *Soli* habere vim excludendi, sed affirmans vim excludendi vult exclusionem seu negationem hic haberi plurium *Deorum*. Altera, uti dixi, vocem *Soli* ita accipit, ut Deo tantum sit tribuenda ea gloria, quam Deus sibi reservavit, eaque gloria est, qua Dei suprema auctoritas, isque origo bonorum omnium declaratur, quomodocunque declaretur. Quam quidem responsionem, uti pariter dixi, auctoritate Bernardi, & Petri Venerabilis confirmavit. Hac vero posita, nulla est objectio illa tua Kieslingi tam longo orationis circuitu inculcata. Diis gentium quemlibet honorem demo, non eum tantummodo qui *Deo soli* tribui potest. Sanctis porro eum honorem tribuo, qui convenire illis potest, ideoque longe a divino remotum tribuo.

9 Tu vero ais quidem duliæ, & hyperduliæ *cultum* imaginarium esse: [a] ais quoque, Deum participes non feciſſe Sanctos duliæ, & hyperduliæ, *immo nec participes eos facere potuisse citra jacturam essentiæ suæ*. Sed quanam ratione id probas? nulla plane, nisi vis probationem non levem inesse in tua affirmatione. *Deastros* quis Sanctos dicet, nisi Kieslingius is sit? Homines facimus a Deo infinite distantes; pietate tamen eminentissimos: cujus rei causa convenientes honores ii promeriti sunt, nosque illis tribuimus.

10 Quid vero ad ea dicemus, quæ deinceps doces? *Quod vero valet de diis paganorum, illud valet de Romanensium Sanctis. Hæc non e contemptu Sanctorum, sed ex rei veritate scribo. Probandum enim est Ro-*

(a) pag. 257.

manentibus ; Sanctos esse intra divinitatis essentiam &c. Quantum erras Kieslingi. Immo vero tibi probandum est, eos honores, quos deferimus Sanctis, Divinos esse: hoc negamus, pernegamusque: nec tu sane probas quod ais.

11 Num *jejuna sint* (tibi enim obsequendum est, tuisque utendum vocibus, dum tua referimus) Bernardi, & Petri Cluniacensis *testimonia*, lector dispiciat. Utinam, Kieslingi mi, ea adduxisses. Tum vero facile dijudicassemus, quanti illa sint pretii.

12 Lepida vero sunt quæ subinde his verbis tradis: *Eadem facilitate reliqua dicta ad Roma. XVI. 27. & Apoca. VII. 12 diluuntur.* Sed non hæc Scripturarum loca attulerat Trombellius veluti probationes sententiæ, sed veluti objectiones, quas sibi dissolvendas proponeret. Tu vero, quæ tua est peritia, de iis ita disseris, perinde quasi eas veluti probationes Trombellius attulisset. Ceterum *facilitatem* collaudo tuam, dum ea, quæ non placent, despicis, nec multum curas ut ea dissolvas. Hoc *facilitatis* genere quis se ab objectionibus promptissime non expediat?

13 Quod attinet ad Arnobium, & reliquos vetustos Patres, te quidem judice, Sanctorum cultui adversantes, eorum testimonia nec dissimulavit, nec sine probabili explicatione esse voluit Trombellius. Vide quæ num. tertio, & quarto Capitis quinti tradita ab eo sunt; ea quoque, quæ n. XII capitis XII copiose disputat. Cur tu ea Kieslingi retices, tibique, ac tuis satisfecisse te censes, si *subterfugium* Trombellii explicationes appelles?

14 *Egregiam vero laudem, & spolia ampla tulisti* Kieslingi, dum hæc enarras: *Sed quum satis evicerim, cultum Sanctorum e gentilium sordibus esse conjarcinatum; quum valide demonstraverim, & hoc superstitioni esse affine, si ea quæ soli Deo sunt propria, creaturis attribuuntur, non video, quid virum Venerabilem bi verborum, & interpretationum recessus, & latebræ juvare possint.* Ubinam evicisti, adhibitum Sanctis cultum eo quem Catholica Ecclesia commendat, ritu, *e gentilium sordibus* esse *conjarcinatum*? Multa quidem sæpe hoc de argumento dixisti: at nihil ea habent, quo persuadeamur, *te id evicisse*, quod te evicisse affirmas.

15 Novi pariter, te sæpe appellasse affinem superstitioni cultum Sanctis delatum: sed hic quoque nihil eorum, quæ dixisti, laudabili probatione firmasti. Novi porro Trombellium per plura capita Dissertationis IV; expressissime vero capitibus decimo nono, vicesimo, & sequentibus ostendisse a superstitione alienissimum esse hujusmodi cultum. Peculiariter vero capite XXIII expendisse ea omnia, quæ Protestantes desumunt *ex communibus Deo, & Sanctis delati cultus argumentis, amovisseque, si qui ea in re extarent scrupuli.* Et tu hæc nosti, & adhuc Trombellium accusas quasi *verborum, & interpretationum recessus, & latebras* perquirentem?

AD

AD EXERCITATIONEM IV.

Qua [opinione Kieslingii] *duo potiſſimum Sacri codicis dicta diluuntur.*

CAP. I.

Agitur de primo Scripturæ loco, quem ſibi objecit, & deinceps explicavit Trombellius; ideſt de verbis illis Deuteron. 17. *v.* 2, *&* 3, *quibus vetantur Hebræi* ne adorent militiam cæli.

QUam malus enarrator es Kieslingi! Capiti VII hunc titulum præponit Trombellius. *Recenſemus ea Scripturarum, & Patrum loca, in quibus adverſariorum quidem ſententia expreſſe Angelis cultus demitur.* Tum vero & illud ipſum Deuteronomii, quod tu affers, & alia etiam Scripturarum teſtimonia ſibi objicit, tum ad Patres deſcendit, & Theodoretum; Origenemque pariter ſibi objicit: Subſequenti vero, ideſt octavo capite ea loca explicat, illuſtratque, atque in Catholicorum ſenſum deducit. *Non* ergo, ut tu ais [*a*], *Veteris effatum fœderis* Proteſtantibus [*nobis*] *opponit, & oſtendit eos præter ſuccum & nervum hujus dicti argumentum aliquod contra Romanenſes ex eo elicere.* Minime ſcilicet effatum illud adverſus Proteſtantes urget Trombellius, ſed primum, uti dixi, ſibi objicit, tum vero illud explicat. Quod dum facit, nihil *de ſucco*, nihil *de nervo* hujus dicti commemorat. Hos ſcilicet lepores tuos, atque amœnitates Trombellius refugit, & ita diſputat, uti Theologum diſputare conveniens eſt. Ceterum falſa narras, quum affirmas, Trombellium ita explicare præceptum Hebræis impoſitum, ne adorent *militiam cæli*, ut illud *aperte de gentilium idololatria agat, & Angelorum cultum minime tangat* [*b*]. Kieslingi mi, Trombellium utique non legiſti, dum adverſus eum ſcribis. Duas explicationes Trombellius affert [*c*]: harum prima vult *militia cælorum* nomine ſtellas indicari, quibus cultum deferre prohiberentur Hebræi. Connivet altera iis, qui Angelos cæleſtis militiæ vocibus ſignificatos ajunt. Tum hæc adduntur: *tum facile dicam, probibitos fuiſſe Judæos, ne divinum cultum Angelis deferrent: Sed nos quoque divinum Angelis cultum adhibere prohibemur.* At non continuo prohibemur, *ne convenienti honore, cultuque Angelos proſequamur.* An qui hæc eloquitur, ait, locum hunc *aperte de Gentilium idololatria agere, & Angelorum bonorum cultum minime tangere?*

(*a*) pag. 342. (*b*) Kieslin. pag. 142. [*c*] cap. VIII. n. I. pag. 264

2 At ad alia deſcendamus. Kieslingius (*a*) *non tanto opere hoc urget effatum, quum non deſint evidentiora. Saltem* [inquit] *non primas inter noſtras, quas Romanenſibus opponimus, rationes, tenet partes.* Tum hæc ſubjicit. [*b*] *Optime novimus, hic per exercitum ſeu militiam Cœli, non tam Angelos, qui hoc eximio quoque gaudent nomine, quam planetas & ſidera eſſe intelligenda. Revocat hoc ipſo mandato Deus Iſraelitas a ſuperſtitione, ne forte triplici modo in idololatriam devient. Quo vero eo planior fiat noſtra in hoc dictum commentatio, in ſubſidium omnino ſunt vocanda, quæ ex eo ſtatim tempore, quo Iſraelitæ Ægyptiorum fines reliquerant, Deus ipſis diligentius inculcaverat.* „ Non facies „ tibi imagines eorum, quæ ſupra in Cœlis ſunt, neque quæ infra „ in terris, neque in aquis, quæ terræ ſubjectę ſunt. Exod. XX. 4. „ *His enim tribus a vero Dei cultu aberrarunt modis Ægyptii, ad idololatriam, ad inſaniam uſque, proclives. Quæ ſupra terram in Cœlis ſunt poſita, fuerunt Iſis, Oſiris, & Orus, qui tres Ægyptiorum Dii cœleſtes plerumque ſociati in figuris exhibentur, ita tamen, ut Orus, tanquam n. Iſidis filius, in medio vel gremio poſitus proponatur. Solem autem his nominibus coluiſſe Ægyptios, immortalis Monteſalco, quo in rebus antiquis vix acutiorem & excellentiorem noſtra ætas tulit, fuſius exponit, edocetque, eoſdem fuiſſe Deos, licet diverſis appellentur apud Ægyptios nominibus.*

3 Deinceps vero alia plurima in hanc rem adducit Kieslingius, quæ, ſi vis, erudita ſunt, ſed vel ad controverſiam, de qua agimus, minime pertinent: vel ſi pertinent, ad confirmandam eam explicationem pertinent, quam primo loco Trombellius poſuit: Scilicet vocibus his, *militia cœli*, Stellas, ſolem, & planetas ſignificari. Quod dum peragit Kieslingius, vel reluctans mirum in modum nobis favet: oſtendit nimirum adeo probabilia proponi a Trombellio, ut adverſarii ipſi non renuant illius explicationes amplecti, & monumentis aliunde perquiſitis illuſtrare.

CAPUT. II.

De loco altero, quem ſibi pariter objecit, & deinceps diſſolvit Trombellius: hic vero exagitat Kieslingius. Examini ſubjicitur locus Pauli ad Coloſſ. II. v. 18. Nemo vos ſeducat in Religione Angelorum. *Et præſertim recenſentur quæ de eo Kieslingius monet.*

1 POſtquam multa, uti diximus, de priore illo Deuteronomii loco proloquutus eſt Kieslingius, venit denique (*c*) ad locum illum Coloſſ. 2. 18. *Nemo vos ſeducat in religione Angelorum*: quem quidem locum ſibi objecit cap. VII numero ipſo primo Trombellius, expli-

[*a*] pag. 343. [*b*] Idem. (*c*) §. 7. pag. 349.

explicat vero, atque illuſtrat capite ſubſequenti, numero ſecundo, & ſequentibus. Atque hunc locum ſic exhibet Kieslingius. *Nemo vobis palmam intervertat per humilitatem, & cultum Angelorum in iis, quæ non vidit, faſtuoſus incedens, fruſtra inflatus a mente carnis ſuæ.* Quam interpretationem vindicat deinceps [a], tametſi nulla de ea a nobis inſitiatur hic controverſia, cum vis ſive objectionis, ſive ſolutionis, explicationiſque non in explicatione totius ſententiæ conſiſtat, ſed tantum in voce θρησκία, quam Vulgatus interpres reddit *religione*, Kieſlingius autem explicat per *cultum*.

2 Paucis recolam, quæ Trombellius hac ſuper re docuit [b]. Tres refert celebriores ſententias: harum prima vult loqui Paulum Apoſtolum de Judaica Religione, quæ propterea *religio Angelorum* dicitur, quod Angelorum opera indicta eſt. Robur huic explicationi adjungitur ex eo quod de Judaicis ritibus proxime ante locutus fuerat idem Apoſtolus. *Nemo vos judicet in cibo, & in potu, aut in parte diei feſtæ, aut neomeniæ, aut Sabbatorum &c.* deinceps vero rurſus de iis loquitur. *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis?*

3 Vult altera cultum Angelis adhibitum hic denotari, at non quibuſcunque, ſed malis. Vult tertia cultum Angelis etiam bonis adhibitum denotari hic poſſe, at non qualemcunque, ſed eum qui male adhibebatur, veluti eum qui iiſdem Angelis adhibebatur a Platonicis, qui Angelos, veluti deos, licet minores, ſacrificiis colebant. Hæc fuſius non explico, quoniam id copioſe executus eſt Trombellius, ad quem Lectorem amando; quod eo libentius facio, quod Kieslingius Trombellii ſenſa perſpicue non explicuit, ſed tantum quædam hinc, quædam illinc excerpſit, ex quibus quid revera Trombellius tradiderit, minime aſſequimur.

4 Porro explicationes has omnes Kieslingius rejicit. Adverſus primam hæc urget. [c] *Prima ſententia, quæ Paulum hæc de Judæis, in primis autem de Eſſenorum ſecta, tradere aſſerit, omnium fere infirmiſſima videtur, quam accuratiori ſubjecit judicio Celeb. Leonhardus Tvvellus, demonſtravitque, non tantum hujus ſectæ fuiſſe auctoritatem, ut Paulus contra eandem calamos ſtrinxerit. Non tamen omnem huic ſententiæ demo fidem, ut poſtea demonſtrabo.*

5 Tum hæc adjicit, quibus quam explicationem feriat, nondum comprehendere potui: videtur enim eam improbare, quæ primum allata eſt, at revera eam non improbat, ſed tantum adverſus eos eloquitur, qui putant Angelis cultum aliquem fuiſſe ab hebræis adhibitum. Sed ipſa Kieslingii verba deſcribamus. [d] *Diſpiciendum nunc eſt, quid veri habeat illorum opinio, qua per cultum Angelorum Judaica religio, nempe lex, per tropum aliquem intelligitur, quam legem urgebant ii, qui e Ju-*

(a) pag. 556. [b] cap. VIII. pag. 264. [c] §. IX. pag. 351.
(d) §. X. pag. 351.

e Judæis ad Chriſtianorum acceſſerant partes. Quod argumentum, ut ſupra excitavi, Vener. Abbas prolixius tractavit. Inſolens & nimis coacta hæc eſſet ratio, ſi verba θρησκεία τῶν ἀγγέλων de religione Judaica interpreteris, licet non negaverim, divo. Apoſtolum his argumentis eos, qui inter Judæos degebant, & hæc erroris ſemina ſpargebant, petere Hæreticos. Magna quidem hac divi Pauli ætate Angelorum apud Judæos fuit opinio, ſed nullus extitit in Eccleſia Judæorum antiqua Angelorum cultus, quod horum ſeculorum documenta confirmant.

6 Tum vero vehementer exagitat Voiſinium virum Clariſſimum, & in Hebraicorum voluminum lectione detritum, illiuſque *argumenta nullius eſſe pretii ait, & Thomæ Aquinatis niti ſcopis* (*a*). Bartoluccium quoque acerrime diſtringit, eoſque, quibus fidit ille, Judæos Doctores, e quibus Salomonem magni nominis Rabbinum *claudicaſſe* dicit, & *ad genium Romanenſium ſcripſiſſe* [*b*]. Cur vero adverſus hos ſeverus Kieſlingius eſt? quia cultum Angelorum ab Hebræis approbatum fuiſſe tradit Voiſinius; Sanctos vero fuiſſe a veteribus hebræis invocatos Doctores Judæi affirmant, quorum dicta Bartoluccius allegat, & approbat. At quo ſpectant iſta? An hæc priores duas a Trombellio propoſitas loci illius Apoſtoli Pauli explicationes improbant? Immo ab eo argumento abſunt maxime, ſic ut neſcias, cujus rei cauſa hæc Kieslingius proponat.

7 At tu Kieslingi, quaſi Trombellii explicationes refutaturus, explicationibus ab eo propoſitis aliam ſubſtituis, quam iiſdem verbis Lectori ſubjicio, quibus tu eam expoſuiſti. En ergo illam. (*c*) *Satis expedita & facilis illorum eſt hujus dicti interpretatio, quæ ſe præ aliis ſua perſpicuitate commendat, qua hæc religio Angelorum, non de cultu Angelorum apud Hebræos conſueto, ſed de iis ſumitur Sanctulis, qui Angelorum ſanctimoniam & modeſtiam affectant, imo commercium cum Angelis jactitant, & magnam pietatis ſpeciem præ ſe ferunt. In moribus hoc fuiſſe poſitum falſis Apoſtolis, dubio caret omni. Perplacet B. noſtri Balduini ſententia*: Rectius, *inquit*, intelligunt alii hypocriſin Angelicam Pſeudo. Apoſtolorum, quaſi cum Angelis converſati, eorumque viſione alloquioque uſi fuerint, & ab iis doctrinam ſuam hauſerint. Ab ejuſmodi hypocritis cavere ſibi jubet Coloſſenſes Apoſtolus, ne palmam ſalutis ipſis intervertant. *Non omni hoc Balduini judicium, & quotquot ejus veſtigia premunt auctores, deſtitui fundamento facile apparet. Nam id quod excellens dicitur, cum Angelorum ſanctitate ſæpe confertur, uti de Stephano dicitur, quod ejus facies viſa ſit veluti facies Angeli. Actor.* VI. 15. *Favet hæc explicatio ordini, & nexui verborum naturali, quum humilitas, & ſanctitas Angelorum conjungatur. Id ipſum indigitare videtur Apoſtolus verbo θέλων, quod non otiose reddi poteſt per eum hominem, qui ſibi ſoli ſapere videtur, qui propria & vana ductus libidine, judicandi poteſtatem ſibi vindicat, & electitium, affectatumque aliquem cultum introduce-*

(*a*) pag. 352. (*b*) §. XI. pag. 353. [*c*] pag. 354.

ducere annititur. Quod affectatum, & vanum de se ipso altius sentiendi aut se efferendi studium nobis hoc verbo ὑψοῦν Marco X. 43. & 44. & 1. Timoth. I. 7. ὑψοῦντες ἑαυτοὺς διδασκάλους notatur. Nec dissident antecedentia, quæ de cibo, potu, diebus festis, Neomeniis, & Sabbathis agunt. Hæc enim instituta non solum Judæi, sed & aliæ gentes aliqua ex parte observarunt; & Heretici nonnulli, e quibus Eustathium, seu Eutactum, ex Epiphanio appellasse sat est, eandem sanctitatem sub hoc pietatis cucullo venditarunt. Quid si falsos Doctores suos apud Colossenses errores undique disseminantes, fucata prorsus pietate, & humilitate, pelle quasi ovina ornatos castigarit Apostolus? Quid si Divus Paulus hos putatitiæ pietatis præcones, & Apostolos cavendos esse demandarit, si vel maxime Angelorum modestiam, & humilitatem protenderent? Otia sunt inter nos, si hæc admittatur dicti explanatio. Lis omnis, si hæc arrideat sententia, est composita.

8 Deinde vero hæc subjicit. [a] *At vide, Venerabili Abbati non sufficere hanc, quam tradidi enodationem. Sententia de cultu pravis Angelis a nonnullis adhibito, hac expositione ipsi videtur potior. Dictu est perdifficile, quinam illi fuerint, hunc errorem foventes. Num a Simone Mago illi fuerint seducti, sive alii hæretici, Platonicorum persuasionem in Asia longe lateque dispergentes. Fateor neque hic virorum satis celebrium consentire placitum. Vix divinari potest, quojnam his verbis petierit divus Apostolus hæreticos? Variis obnoxia est illorum sententia griphis, qui de Simone Mago hæc intelligunt verba, cui persuasioni calculum adjicere videtur Venerabilis Abbas. Fluctuant sane interpretes, nec satis inter ipsos constat, quos hæreticos hoc effato divus Paulus prostraverit.* Tum itaque plurima de Simone Mago, deque Gnosticis tradit, de Essenis, de Platonicis, de Talmudistis quoque, de Cabbalistis, Arabibus, Turcis, deque eorum legislatore Mahumeto, quorum de Angelis, eorumque procreatione, ac muneribus, & adversus Angelos veneratione opiniones recenset. Cur vero? nisi ut suam eruditionem ostentet, & hæc denique concludat. (b) *Probat porro B. Siricius Simonem πολυθεΐσταν statuisse. Quot enim Creatores, tot Deos credidit. Inde enata est Angelorum veneratio, quibus tanquam Diis preces, & sacrificia essent adhibenda. Inquirit deinceps Cl. auctor in hanc Simonianam hæresim, & ad oculum demonstrat, eam in Pontificiorum cœtu esse redivivam. Nec ipsi desunt argumenta, quum apotheosis Mariæ, & aliorum Sanctorum, ingens Sanctorum intermuntiorum numerus, cultus Angelorum, & defunctorum ipsius mentem penitus confirment.* Quasi vero apta essent ad id, quod agimus, ea dissidia, quæ de Simone Mago inter eruditos instituuntur, hæc subjicit. *Latem, quæ de Simonis, statua, & volatu inter eruditos aliitur, & quam composuit Clarissimus Fogginius, non urgeo, id saltem moneo & olim extitisse, & his seculis Simonis Magi statuas Romæ existere non paucos. Quod ad primum attinet seculum, sibi contrariatur Cl. Fogginius, dum negat, Romanos Simoniana doctrinæ adhæsisse, probari posse auctore, at paucis interpositis concedit, labuisse* monem

a) §. XIII. pag. 355. [b] pag. 359.

monem Magum Romæ asserlas. Nec mirum videri debet, Magum præstigiis suis eam sibi famam conciliasse, ut statua donaretur a Romanis, qui id honoris tribuere dedignati non sunt ludiis, Histrionibus, Aurigatoribus, vel inquam meretricibus, ipsis etiam in templis. *Donat proinde mihi, quod dixi, Romam olim hoc Simonis veneno fuisse infectam. Romanensem autem Ecclesiam Simoniane hæresi adhuc esse deditam, nullo eget testimonio*. Addit adhuc Kieslingius, fortasse hic non designari Simonem Magum, sed Cerinthum, hancque fuisse ait Baronii sententiam, atque hujus quidem præclarissimi viri verba describit, tum alios adjungit ejusdem opinionis patronos.

9 Numero vero quartodecimo regreditur ad Platonicos, multaque de Cerinthianis, de Simonianis, deque Gnosticis docet: quæ si vellem singula enumerare, infinitus propemodum essem. Omittenda tamen ea non sunt, quæ sub initium pag. 364 his verbis tradit. *Sed dabo hoc claris Theologis, & Venerabili Abbati intelligendos esse hic falsos Ecclesiæ Doctores Platonicorum erroribus innutritos, quum nihil facilius sit hac sententia, qua asseritur, Platonicorum opiniones ad Judæos, & deinceps ab his Judæorum Doctoribus, quibuscum erat Apostolis decertandum, ad alias dimanasse gentes, Ecclesiasque. Cultum certe Angelorum, seu potius Dæmonum observarunt Platonici; cum enim certissime crederent dæmones mira, sed non satis perspecta vi & virtute nostras pulsare vires, ut laudatus Marsilius Ficinus observat, id sedulo curandum esse existimabant, ut bos genios dulci quodam lenocinio pellicerent, & eos ad commercium invitarent. Nullum medium ipsis videbatur aptius & commodius hoc, qua superstitiosum aliquem Dæmonibus cultum præstare, & eos, ut observat Apulejus de Deo Socratis, religione, seu potius superstitione venerari solebant. Nostra propterea non periclitatur demonstratio, qua firmiter statuimus, hoc Pauli effato bonorum Angelorum destrui cultum. Nullus plane resident scrupulus, quin de vano, & superstitioso Angelorum cultu, & imaginaria eorum intercessione pro mortalibus egerit, & falsos Apostolos, qui e Judæis ortum duxerant, div. Paulus debellaverit*. Tum eum ipsum Theodoreti locum inculcat, quem sibi objecit Trombellius, & nos iterum, ut conveniens ordo servetur, subsequenti capite expendemus. Deinceps vero, ideſt pagina 367, respexisse vult Paulum ad eos, qui Platonem secuti Angelos veluti intermedios Deum inter, & homines esse aiebant: eorundem vero Angelorum munera ita describebant, [a] *ut Deus cum homine non versetur, sed quidquid est commercii, & colloquii Deos inter, & homines, id omne a Dæmonibus peragatur. Sed nec hæc* [inquit Henricus Morus a Kieslingio allegatus] *solius Platonis opinio est, sed plerumque Philosophorum antiquorum, qui quicquam auss sint de rebus religionis*. His statutis jam denique ad argumentum reversus explicationem aggreditur verborum illorum, de quibus disputamus: aitque hanc esse: ut vetet Paulus Apostolus non pravos tantum, sed & bonos Angelos co-

li,

[a] pag. 367.

lì, nec tantum vetet ad eum modum eos coli, quo a Platonicis colebantur, ſed quomodocumque; adeo ut nec ad eum modum coli eos ſinat, quo a Catholicis coluntur. Cur vero? quia cultus ille non eſt in Scripturis præceptus: tum quia muneri mediatoris, quod ſolus Chriſtus Dominus gerit, officit, nam ideo colimus Angelos, quia eos *mediatores* agnoſcimus, & profitemur: tum etiam quia officit dignitati, atque excellentiæ Chriſti Domini, quem ſolum Dominum noſci opus eſt, & multo Angelis ſuperiorem. Id autem fateri recuſant, qui Angelos colunt, nam æqualem excellentiam in Chriſto, atque in Angelis ineſſe ii volunt, & veluti Chriſtum dividunt, dum propriam illius excellentiam eum inter, & Angelos partiuntur. Hæc, ſi ad rem præſentem inopportuna, & declamationes demas, eſt ſumma eorum, quæ totis §. XVI, & XVII copioſiſſime oſtendit Kieslingius, quorum vim ut Lector ipſe aſſequatur, eidem Lectori candide, ac diligenter ea exhibeo.

„ His igitur, quæ monenda, & aſſerenda erant, poſitis, ad hoc „ potiſſimum momentum ſe nunc noſtra devolvit diſceptatio: num „ Paulus tantum de malis, ut ſentit Ven. Abbas, hæc ſcripſerit, An„ gelis, quo tamen ipſo Angelorum cultus, & mediatio non infir„ mentur? Nullam addit probationem, niſi hanc, quod Platonicorum „ ſyrma deſtruxerit Apoſtolus. Dabo igitur hoc Ven. Abbati, ut a„ mice cum ipſo agam, dabo, inquam, hoc, quod poſtulat; ſed ex„ inde non ſequitur, Angelorum cultum eſſe licitum, aut aliquem „ ab ipſorum mediatione fructum nobis ſperandum. Platonici non „ malos, ſed bonos genios ſunt venerati, & Judæorum Doctores hac „ perſuaſione laborantes, quoque bonos, quorum opera lex data erat, „ Angelos cuſtodes eſſe demandarunt. Pone Platonicos, ſuos Genios „ ſacrificiis expiaſſe, & his ipſis ſtudiis Diabolo litaſſe, quod expreſ„ ſis dicit Paulus verbis: Imo quæ ſacrificant Pagani, ea Dæmoniis „ ſacrificare dico, non Deo. Dæmonum autem participes eſſe vos „ nolo. 2. Cor. x. 20. inde tamen non ſequitur, div. Apoſtolum alia „ cultus officia Angelis bonis delata approbaſſe. Si igitur hoc præcla„ ro effato deſtruxit Dæmonum cultum, bonorum Angelorum cultui „ minime indulſit. Quod argumentum egregie urget Cel. Joannes Dal„ læus, qui evidenter deducit, eandem perſuaſionem de cultu Ange„ lorum adhuc eſſe in Romana Eccleſia, quæ Angelis tanquam me„ diatoribus & interceſſoribus, in fraudem officii Jeſu mediatorii uti„ tur. Deus, Gentilium Idola e populi Iſraelitici Civitate extirpan„ da, & expellenda demandavit, eas autem, quibus ipſe colebatur, „ imagines reticendas, & adorandas nuſpiam præcepit. Pauli ratio„ ne cultum Angelorum & bonorum, & malorum, hoc ipſo dicto ad „ Coloſſenſes prorſus improbavit Apoſtolus. Rationes, quibus div. „ Paullus hunc Angelorum ſubvertit cultum, tam planæ & ſo„ lidæ ſunt, ut dixeris, Apoſtolum eas non Platonicis, ſed Roma„ neſibus objeciſſe. Perſcrutemur paulo accuratius Apoſtoli mentem. „ Repellit Angelorum cultum, quia eſt electitius, & propria perſua-

„ sione susceptus, *quod verbum ὕλην*, ut supra dixi, edocet. Deus, qui „ *ἐθελοθρησκίαν*, seu cultum electitium summo prosequitur odio, & hanc „ Angelorum Venerationem, qua vel ut Mundi conditores, vel saltem „ ut intercessores, & internuncii apud Deum a Romanensibus colun„ tur, maxima excipit indignatione: quum neutrum illis conveniat; „ Nam Deus solus hunc condidit Orbem: & Christus solus, exclusis „ omnibus Angelis, est mediator. O si afferrent Romanenses præceptum „ aliquod de Angelorum cultu Divinum, tunc demum nos, qui hunc „ electitium exterminamus cultum, darent in pudorem! Nisi hoc fe„ cerint, Divi Pauli sententiam tuebimur, & ne latum quidem un„ guem recedemus. Constanter asserimus, hanc Angelos colendi ratio„ nem meris inniti somniis & persuasionibus; quod & Divus Apo„ stolus confirmat: jactitat ea, quæ non vidit, *ἃ μὴ ἑωρακεν ἐμβατεύων*. „ Concedere debent Romanenses. nullum hujus cultus adesse manda„ tum. Unde igitur hæc Angelorum veneratio enata est? Unde? A „ Platonicorum somniis, & figmentis. Quæ persuasio in dies magis, „ magisque succrevit, quum Romanensium Sanctuli adhuc vivi varia „ cum Angelis commercia, colloquia, somnia, & revelationes jacti„ tarent, quod in aprico est. Multos enim Angelos S. Theclæ, & „ aliis Sanctulis apparuisse, & iis arcana de rebus instituendis Divi„ nis revelasse fingunt Romanenses. Inanem propterea hunc Angelo„ rum cultum jure optimo dici, facile probamus, si verbum *ὕλην* „ frustraneum esse consideraverimus. Illud enim omnino inane est „ & vanum, quod Deus nobis non demandavit. Inde Servator de iis „ colendi rationibus, quas homines sibimetipsis effingunt, dicit: „ *Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt præcepta hominum.* „ Marc. VII. 7. Destitutum autem esse hunc Angelorum cultum Di„ vino præcepto, supra edocuimus. Vanum proinde, & fruitraneum „ illum esse appellandum, ex eo profluit; quia citra mandatum Deus „ colitur, & quidem frustra colitur. Sic facile excusanda foret Gen„ tilium colendi Deum ratio; sed quia illa caruit mandato Divino, „ & revelatione de modo colendi Deum, inanes fuerunt ipsorum „ cognitiones, inanisque fuit illorum cultus. Quod argumentum ple„ nius exhausit B. Joannes Gerbardus. Id enim, nisi me omnia fal„ lunt, egisse arbitror Apostolum, ut hunc errorem de Angelorum „ cultu, quo demum ex fonte ortum, tanquam saluti Christianorum „ maxime exitialem funditus eradicaret. Illud in mediatorium Chri„ sti officium esse maxime injurium, vers. 19 exponit: „ eos, qui „ huic persuasioni sunt dediti, non tenere Caput, Christum videlicet, „ ex quo totum corpus per commissuras, & compages suppeditatum, „ & compactum, crescit Dei augmento. Eandem superstitionis no„ tam Div. Petrus e Christianorum sacris expellere elaborat, hunc „ unicum mediatorem, & salutis vindicem nobis ob oculos ponens: „ Non est, *inquit*, in alio salus. Neque enim est nomen aliud sub cælo, „ quod datum inter homines, in quo oporteat nos salvari Act. IV. 12.

„ Pari

„ Pari ſtudio inculcat hanc de unico mediatore doctrinam Div. Paulus: „
„ Etiam ſi ſunt, *inquit*, qui dicantur Dii, tum in cœlo, tum in terra
„ [ut ſunt multi, & qui *Dii*, & qui Domini dicuntur] At nobis qui-
„ dem unus eſt Deus, Pater ille a quo omnia, & in quem nos: item
„ unus eſt Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & per quem nos.
„ 1. Corinth. VIII. 5. 6. Cur quæſo tanto niſu doctrinam de unico me-
„ diatore Apoſtoli tradunt? Cur neque Angelorum, neque Mariæ,
„ neque alius cujuſdam Sancti iniiciunt mentionem? ſine dubio idolo-
„ latriæ obicem ponere, & gentiles falſis primitiis infectos, Judæoſ-
„ que in eandem ſuperſtitionis voraginem prolapſos, retrahere, & ad
„ Jeſum unicum mediatorem deducere voluerunt. Præſagiebat Divo
„ Paulo animus, turbas, quas excitaturi erant in Eccleſia Scioli illi,
„ qui Platoniſmum in Civitatem Chriſtianam poſtea inferre fatege-
„ runt. Hinc de futuro Eccleſiæ ſtatu ſcribit: Spiritus diſerte di-
„ cit fore, ut in ultimis temporibus deficiant quidam a fide, ſpiritibus
„ addicti fallacibus, Dæmoniorumque doctrinis. 1. Timot. IV. 1. Freti
„ itaque Fideles ſolius Jeſu merito, & interceſſione facile hos Dæmo-
„ nes, & mediatores inferiores reiicere, & ad Chriſtum omnis ſa-
„ lutis fontem redire poterant. Quæro nunc ex Vener. Abbate; num
„ ſalva hac de unico mediatore doctrina, quæ eſt apex Chriſtianæ
„ Religionis, Div. Apoſtolus de Angelis bonis cogitarit, & eorum
„ interceſſionem approbarit? Certe Scriptura S. hunc Angelorum cul-
„ tum ignorat, nec ullibi illum tradit. Impingit ille aperte in cul-
„ tum divinum, cujus objectum nulla creatura, ſed Deus eſt. Qui
„ igitur cultum Angelorum ſectantur, a vero deviant tramite, & Pla-
„ toniſmum, novo quodam indutum colore, e cinere revocant. Ad-
„ do, Angelos horum expertes eſſe attributorum, quibus nos in-
„ precibus noſtris fundendis inniti oportet. Chriſtus præſtantior
„ factus eſt omnibus Angelis, & excellentius nomen præ illis hæredita-
„ vit. Hebr. I. 4. Hæc verba ſunt magni acuminis. Quæ igitur eſt
„ illa Chriſti præ Angelis præſtantia? Et quodnam excellentius præ
„ iis hæreditate accepit nomen? Dubium non eſt, quin Jeſus præ An-
„ gelis ſit factus excellentior. Præſtantior eſt nomine, & re ipſa. No-
„ men habet, & omen. Humana, quam aſsumſit natura, pereximiis or-
„ nata eſt donis, & per unionis vinculum, omnium particeps eſt facta
„ virtutum & attributorum, quæ ut Deus ab æterno poſſedit. Nullus,
„ quantus quantus ſit, Angelus his gaudet viribus, & donis prorſus Di-
„ vinis. Excellentior Angelis dicitur Chriſtus, ob ſingulare quod ac-
„ cepit nomen. Quale eſt illud? Eſt nomen Filii Dei, nomen Mediato-
„ ris. Quod nomen plane eſt excellens; & quod nullus Angelus ſuum
„ facere poteſt. Non inconcinne, meo judicio, hanc præ Angelis præ-
„ ſtantiam explicavit Cel. Jo. Braunius. Per iſtud nomen, *inquit*,
„ quod Chriſtus hæreditavit, commode poteſt intelligi gloria & ſumma
„ poteſtas, quam habuit ab æterno, & quam hodie poſt καθαρισμον pera-
„ ctum exercet in omnes creaturas, præſertim in Eccleſiam. *Et paulo*

„ *poſt*. Hoc loco nomen etiam ſignificare Chriſti imperium, & ſummam „ dignitatem, quam ſibi tanquam mediator, & hominum redemptor per „ peccatorum καθαρισμον acquiſivit, & jure hæreditario ex contractu & te„ ſtamento æterno conſecutus eſt, manifeſto patet ex Epiſtola ad Philip. „ cap. II. 6. 12. Poſtquam enim Paulus dixiſſet: Chriſtum ſe exinani„ viſſe, & obedientem fuiſſe uſque ad mortem Crucis [qua ſcilicet „ καθαρισμον purificationem fecit] ſtatim addit (fere iiſdem verbis, qui„ bus utitur hoc capite, ut ad comma 3 audivimus.) Quapropter etiam „ Deus ipſum in ſummam extulit ſolemnitatem, & donavit ipſi nomen, „ quod eſt ſupra omne nomen, ut ad nomen ejus omne genu ſe flectat, „ & quæ ſequuntur. Vide com. 9. 10. 11. Eadem docet idem Apoſto„ los ad Epheſ. I. 20. 21. 22. Poſtquam dixiſſet: Chriſtum eſſe ſuſcita„ tum ex mortuis, nempe peracta purgatione pro peccatis, addit, Pa„ trem collocaſſe eum ad dexteram ſuam in Cœlis longe ſupra omne im„ perium & poteſtatem, & potentiam, & dominationem, & omne no„ men quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, verum etiam in futu„ ro. Et omnia ſubjecit ejus pedibus. Quæ quum ita ſint, cogitet „ Vir Venerabilis hunc Angelorum cultum Chriſti, qui ut iis præſtan„ tior factus eſt, excellentiam graviter lædere. Si non ſuperiores, ta„ men parum inferiores Chriſto in Romana Eccleſia æſtimantur An„ geli, quippe quos iiſdem fere donis, quibus Chriſtus inſtructus eſt, hac „ ratione adornatos eſſe dixeris. Imperium Chriſtum cum Angelis „ quaſi diviſum habere, profitearis neceſſe eſt. Sic Angeli rerum no„ ſtrarum ſunt conſcii, & in intimos animi receſſus, quos ſolus om„ niſcius Chriſtus, qui omnia novit. Joan. XXI. 17. perſcrutatur, pror„ ſus penetrant. Nec nomen hoc Mediatoris præclarum Jeſu ſoli com„ petit, ſed & Angelis, qui ſi id conceſſeris, mediatores & intercef„ ſores ſunt dicendi. Cultus, qui Jeſu ob hanc nominis & dignitatis „ præſtantiam eſt præſtandus, iterum dividitur, & ejus pars Angelis „ attribuitur. Dixit enim Apoſtolus: Omne genu in cœlis & terra ſe „ in Chriſti nomen flectere debet. Philip. II. 10. Qui vero Angelos „ colit & adorat, hac genuflexione & officii nota Jeſum ſua privat lau„ de, & honoris cultu. Frivolum eſſet, ſi mihi obiiceret Vener. Ab„ bas; Chriſtum Angelis præſtantiorem factum eſſe, hoc diſcrimine, „ quod ipſe cultu latriæ, Angeli vero Duliæ ratione colantur. Sed hanc „ diſtinctionem tamdiu rejicio & explodo, donec mihi ſolide demonſtra„ verit, ex hoc ad Coloſſenſes, vel alio Sacri Codicis dicto, Angelos „ cultu Duliæ tanquam Mediatores, & deſideriorum noſtrorum inter„ pretes eſſe colendos invocandoſque. Probet, Paulum hoc loco cul„ tum bonorum Angelorum præcepiſſe, aut laudaſſe, quum malorum „ geniorum Venerationem & interceſſionem, ſive ex Platonicorum, „ ſive Cerinthianorum, ſive Gnoſticorum denique principio ortam, „ fortiter ſubverteret.

CAP.

CAPUT III.

Expenduntur ea quæ ſuperiori capite Kieslingius tradidit.

1 QUid vero nos ad hæc tanto verborum apparatu propoſita? Id ipſum fere, quod Juliano repoſuit Auguſtinus. (*a*) *Deſine multum dicere, & parum ſapere. Nunquam efficies, quanto libet loquacitatis tuæ flumine, quo in profunda raptaris*, ut in explicationibus ſuis erraſſe Trombellium evincas. Scilicet viginti, & amplius paginis, quas in expendendo, urgendoque hoc Pauli loco inſumis, non aliud aſſequeris, niſi ut apertiſſime oſtendas, non pauca manifeſto falſa a te fuiſſe propoſita, pleraque inordinata, ac permixta: cuncta aut inopportuna, aut quæ facillime diſſolvantur. An non vera narro? Dic mihi Kieslingi. Nonne hæc Trombellius ſcripſerat? [*b*] *Vult prima* (interpretatio) *Religionem Angelorum Judaicam eſſe religionem, quæ propterea religio Angelorum dicitur, quod Angelorum opera in Monte Sinai indicta eſt. Quidam ex Judæis ſive humilitatem affectantes, ſive legem novam humili, vilique loco habentes, ſive imperite & ſtulte veterem legem Chriſtianæ religioni præferebant, tum ob alios titulos, tum etiam quia ab Angelis promulgata vetuſta lex fuerat: contra illa lex quæ a Paulo nunciabatur, nuper, eorum quidem judicio, inventa erat ab homine (qualem eſſe dicebant Chriſtum). Porro verba illa proxime ſequentia*: quæ non vidit ambulans, *ſic explicant interpretes iſti: Deſpiciens ea quæ non vidit, ſeu, ut verterunt alii* in iis quæ non vidit, fatuoſus incedens, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ: *quippe ſuperbia tumens deſpicit Chriſtum, illiuſque miracula, & reliqua argumenta haud obſcura divinitatis*, quia ipſe non vidit. *Potuit autem Judaica lex a Paulo appellari religio* θρησκία *per tropum aliquem: quippe ſæpe tropis utitur Paulus.*

2 Tu tamen hæc ita refers, ut voluerit Paulus hæc præſertim de *Eſſenorum ſecta* [*c*], qui tuo quidem judicio cum Platonicis in eo dogmate quod Angelos reſpicit, conveniebant (*d*), eſſe intelligenda: quod a Trombellii mente alieniſſimum eſt: ſejungit enim explicationes has, & tertio loco eam collocat, quam Platonici tuebantur. Sed & falſum id eſt, quod ſtatim ſubjicis ſententiam hanc omnium fere *eſſe infirmiſſimam*. Si infirmiſſima ea eſt, cur infirmiſſimam eam non evin-

---

[*a*] Oper. imperfe. contra Julian. n. 22. (*b*) cap. VIII. n. 2. pag. 264.
(*c*) IX. *Prima ſententia, qua Paulum hac de Judæis, inprimis autem de Eſſenorum ſecta, tradere aſſerit, omnium fere infirmiſſima videtur, quam accuratiori ſubjecit judicio Celeb. Leonhardus Twellus, demonſtravitque non tantam hujus Sectæ fuiſſe auctoritatem, ut Paulus contra eandem calamos ſtrinxerit. Non tamen omnem huic ſententiæ demo fidem, ut poſtea demonſtrabo.* Kiesling. Exerc. IV. §. IX. pag. 351
[*d*] Vide XIII Kiesling. §. pag. 335. & ſubſeq.

evincis? Sed ad Leonardum Tvvellum Lectorem amandas, quasi posset acutus solersque disputator satis revincere adversarium, si ad alium Scriptorem, quem fortasse omnino habere non poterit, alleget. Quid? an non tu ipse minime *infirmissimam* esse ostendis, quando quidem hæc subdis? *Non tamen omnem huic sententiæ demo fidem, ut postea demonstrabo?* Num tu fidem præstabis sententiæ, quæ omnium *fere infirmissima* est?

3 Sed & falsa narras, dum hæc ais: (*a*) *At video Ven. Abbati non sufficere hanc quam tradidi, enodationem. Sententia de cultu pravis Angelis a nonnullis adhibito hac expositione ipsi videtur potior* = Hæc quoque [*b*] *Ad hoc potissimum momentum se nunc nostra devolvit disceptatio: num Paulus tantum de malis, ut sentit Venerabilis Abbas, hæc scripserit Angelis.* An legisti Trombellium Kieslingi clarissime? Utique, dices, quoniam impugno. Si ita est, indica obsecro locum, in quo restringat opinionem, sententiamque suam Trombellius ad secundam explicationem, eam nempe, quæ de malis Angelis locutum fuisse Paulum asseverat. Refert scilicet tantummodo tres eas *interpretationes, quæ ceteris celebratiores esse putantur.* [*c*] Nullam porro harum aut rejicit, aut aliis duabus præfert, sed in Lectoris potestate relinquit, ut quam velit, seligat. Falso ergo narras, omnino velle Trombellium Apostolum Paulum loqui de cultu pravis Angelis adhibito, idque adeo ut alias duas a se recensitas explicationes rejiciat. Nec eo re vera quæstio respicit, quo respicere Kieslingius ait: Num scilicet *Paulus tantum de malis Angelis hæc scripserit.* Sed re vera eo respicit, ut djiudicetur, num quando Paulus hæc ait: *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum*, refellat eum cultum, quem Angelis bonis Catholica defert Ecclesia: an non. Negavit porro id Trombellius, adhibuitque iis Pauli verbis tres explicationes, quarum quælibet satis est, ut a difficultate verbis iis inhærente expediamur. Satis quippe est, si probabilis expositio verbis iis adhibeatur, quæ cum ea non conveniat, quam Protestantes proferunt; id est cum ea quæ tradit eum ipsum cultum, quem Catholici Angelis bonis deferunt, ab Apostolo Paulo refutari.

4 Quod si vis adjici quartam [si tamen a prima Trombellii revera ea differt] eam scilicet, quam tu §. XII. describis, Balduinum pro ea allegans, minime vetat Trombellius ne ea adjiciatur, sicque ex constituta a te pactione *lis omnis composita est*. (*d*)

5 Quis

[*a*] §. XIII. p. 355. (*b*) §. XVI. p. 368. (*c*) cap. VIII. §. 2. p. 264.
(*d*) En totam explicationem a Kieslingio §. XII. propositam pag. 354. „ Satis expedita, & facilis illorum est hujus dicti interpretatio, quæ „ se præ aliis sua perspicuitate commendat, qua hæc religio Angelo„ rum, non de cultu Angelorum apud Hebræos consueto, sed de „ iis sumitur Sanctulis, qui Angelorum sanctimoniam & modestiam „ affectant, imo commercium cum Angelis jactitant, & magnam pietatis

5 Quis porro vera putet, quæ his verbis tradis? [a] *Videntur Orientalium populorum Chaldæorum, Zabiorum, & Coreshitarum, apud Arabes ad Judæos demanasse de Angelis opiniones. Monstrosam certe de Angelorum procreatione, conditione, & officio opinionem jam ante Simonis Magi ætatem foverunt Talmudistæ & Cabbalistæ: ex qua persuasione ad ultimas terras rejicienda, sine dubio illud de Dæmonum cultu profluxit monstrum, quod ex antiquissimis Judæorum scriptis tradunt & Cl. Antonius van Dale, & Cla. Baelius.* Dic mihi Kieslingi. An verisimile est Judæos populorum omnium antiquissimos hausisse rectas de bonis Angelis opiniones a Chaldæis, Zabiis, & reliquis quos tu enumeras, quando ad eosdem Judæos omnium primos Angelorum notitia Deo ipso revelante pervenit? An Cherubinos a Zabiis Adamus & Ezechiel didicerunt? An Angelos Agar, & Abraham, & Jacob? An Seraphim Isaias? quod & de reliquis Judæorum Patribus, aut progenie dic, quibus sæpissime Angeli apparuerunt. Opiniones porro pravas si quas de

„ tatis speciem præ se ferunt. In moribus hoc fuisse positum falsis „ Apostolis dubio caret omni. Perplacet B. nostri Balduini sententia: „ *Recius*, inquit, *intelligunt alii hypocrisin Angelicam Pseudo-Apostolorum, quasi cum Angelis conversati, eorumque visione alloquioque „ usi fuerint, & ab iis doctrinam suam hausserint. Ab ejusmodi hypocri„ tis cavere sibi jubet Colossenses Apostolus, ne palmam salutis ipsis in„ vertant.* Non omni hoc Balduini judicium, & quotquot ejus vestigia premunt auctores, destituti fundamento facile apparet. Nam „ id, quod excellens dicitur, cum Angelorum sanctitate sæpe con„ fertur, uti de Stephano dicitur, quod ejus facies visa sit veluti „ facies Angeli. Actor. VI. 15. Favet hæc explicatio ordini & ne„ xui verborum naturali, quum humilitas & sanctitas Angelorum „ conjungantur. Id ipsum indigitare videtur Apostolus verbo θέλων, „ quod non otiose reddi potest per eum hominem, qui sibi soli sapere „ videtur, qui propria & vana ductus libidine judicandi potestatem „ sibi vindicat, & electitium affectatumque aliquem cultum introdu„ cere annititur. Quod affectatum, & vanum de se ipso altius sen„ tiendi, aut se efferendi studium nobis hoc verbo θέλειν Marc. X. 43. „ 44. & 1. Timoth. I. 7. θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι notatur. Nec „ diffident antecedentia, quæ de cibo, potu, diebus festis, neome„ niis, & Sabbatis agunt. Hæc enim instituta non solum Judæi, sed „ & aliæ gentes, aliqua ex parte observarunt, & Hæretici nonnulli, „ e quibus Eustathium, seu Eustactum, ex Epiphanio appellasse sat est, „ eandem sanctitatem sub hoc pietatis cucullo venditarunt. Quid si „ falsos Doctores suos apud Colossenses errores undique disseminan„ tes, fucata prorsus pietate, & humilitate, pelle quasi ovina orna„ tos castigarit Apostolus? Quid si Divus Paulus hos putatitiæ pie„ tatis præcones, & Apostolos cavendos esse demandarit, si vel ma„ xime Angelorum modestiam, & humilitatem protenderent? Otia „ sunt inter nos, si hæc admittatur dicti explanatio. Lis omnis, si „ hæc arrideat sententia, est composita. „ (a) pag. 356.

de Angelis habuerunt, eas potius ab Ægyptiis, Chananæis, &, si vis, a Persis hausisse multo verisimilius est, quam eas hausisse a Zabiis, & Cosheritis, quorum cum Judæis non admodum frequens familiaritas erat.

6 Amœnissima porro ea sunt, quæ de Talmudistis, & Cabbalistis Simonis Magi ætate prioribus, & Dæmonum cultui addictis narras. (*a*) A quonam didicisti Kieslingi tantam Talmudistarum & Cabbalistarum vetustatem? Sed fac eos vetustissimos esse. Quis te docuit ante Simonis Magi tempora Talmudistas, & Cabbalistas Dæmonum cultui fuisse addictos? Nihil sane habent Talmud, & Cabala, quo Dæmonum cultus approbetur: Josephus vero, aliique eorum temporum Scriptores sceleratissimis quidem & perditissimis moribus fuisse Judæos per eam ætatem asseverant, in unius tamen Dei cultu, & observatione constantes.

7 Sed quis ea ferat, quæ de Essenis narras: malorum scilicet Angelorum fuisse cultores, sic ut ab iis haurire potuerit Simon quem detulit pravis Angelis cultum? (*b*) Essenos tam perditos fuisse quis putet, quando quidem inter eximios Dei veneratores & Philo, & Hieronymus, aliique doctissimi viri recensent: adeo ut non defuerint, qui Christianis probatissimis eos annumerarint? An quia *Angelorum* nomina *reverenter servabant*, Dæmonum cultui addictos putas? An vera fatebimur ea, quæ num. 14 impudentissime tradis? (*c*) *Totus enim ferme terrarum orbis hac Platonicorum opinione, seculis primis est infectus adeo quidem, ut si apud Dionysium Areopagitam res staret, Divus Paulus ipse, qui Angelos, Dominationes, principatus, & thronos appellavit, ab hac macula non esset liberandus, ut Cele. Beausobrius observat.* Dic mihi Kieslingi, an Christiana Dogmata, an vero Platonica docet in suis Epistolis Paulus, ut eum non a Christo, sed a Platone didicisse velis, quæ nobis de Angelis tradit? At cur non affers locum, quo hæc a Platone, non ex Hebræorum traditione, aut potius ex expressissima Christi revelatione hausisse Paulum Dionysius doceat? quem mirum est hic te facere *Areopagitam*, quando quidem alibi vehementer Trombellium reprehendis, quod dubitare visus sit, num Areopagita fuerit scriptor hic, monuerisque viros doctos jam in eo consensisse, ut putent illaudabilem hunc esse Scriptorem. Sed quis tibi credet Kieslingi, dum hæc enarras: (*d*) *Evictum præterea est, Platonicos eadem vitæ instituta, circa festa, jejunia, & abstinentiam a rebus quibusdam observasse, & cum Judæorum sectis fecisse.* An Sabbata, & Neomenias Platonici celebrarunt, an Templi dedicationem, an Pascha, & alias Judæorum solemnitates? Jejunia indica, in quibus agendis cum Judæis convenerint, ostende etiam, quædam ani-

---

[*a*] pag. 356, & 358. (*b*) *Sed redeo ad argumentum, quod pertractandum est, probaturus hanc Arabum & Coresbitarum persuasionem sine dubio ad Judæos, in primis autem ad Essenos promanasse.* Kiesling. pag. 357. (*c*) pag. 362. [*d*] pag. 363.

Digitized by Google

animalia fuisse a Platonicis comesta, non item alia; quod a Judæis legis instituto maxime observatum est. Ostende pariter, si qua comederunt, sanguine expresso comedisse, quod Judæis severissime indictum fuit.

8 An etiam verum id esse fatebimur, quod his verbis ais? (*a*) *Satis quoque, mi judice, Veter. Abbas Moschoimius evicit hæc placita Platonicorum a Christianis seculo tertio esse recepta & approbata, ne Philosophis vitæ sanctimonia cederent. Prohibuerat enim Pythagoras suos sectatores a carnium usu; quem secutus est Porphyrius. Putarunt enim hi Philosophi, si carnium usu, & conjugio abstinerent, se tanto facilius Dæmones, rebus venereis admodum deditos, abigere posse.* An Platonicorum, & Pythagoræ placita observarunt Christiani, quibus carnes comedere licebat, si *Sanctissimi jejunii* dies excipias, qui nimium ipsum in jejunando rigorem in Montanistis reprehendebant, adeo ut propterea *Psychici* ab errante Tertulliano Catholici sint appellati? An conjugio abstinuerunt Christiani veteres, ut Dæmones abigerent?

9 An sacrificia Geniis obtulerunt? quibus sane [etiamsi alia adessent] a Platonicis distarent maxime Christiani? An etiam verum id est, quod tu verissimum, & veluti a Catholicis concessum assumis: *Mediatores a nobis perinde admitti Angelos, atque admittitur Christus?* quasi non explicasset Trombellius, quanam significatione *mediatoris* munus tribui tantum Christo possit, quanam etiam tribui Sanctis. [*b*]

10 An denique verum, atque ab omnibus Catholicis concessum id est, quod ex omnium Catholicorum sententia pronuncias (*c*): *Sic Angeli rerum nostrarum sunt conscii, & intimos animi recessus, quos solus omniscius Christus, qui omnia novit (d), perscrutatur, prorsus penetrant.* Quot porro e Catholicis palam, & constantissime negant, intima cordis nostri conspici ab Angelis? Num autem vera ea sint, quæ adversus nos §. XVI, & XVII urges [*e*], deinceps videbimus.

11 Veniamus itaque ad alterum caput, ostendamusque, inordinata, ac permixta ea esse, quæ dicis. An vero negari id poterit, quando quidem pro more huc, illucque transilis, & postquam de Simone Mago nonnulla dixisti, transis ad Essenos, & Chaldæos, ad Zabios, Coreshitas, ac Turcas, multaque enarras ex Alcorano desumpta, tum reverteris ad Essenos, ex quibus transilis ad Canonem XXXV Concilii Laodiceni, tum ad Essenos te restituis: Nec Judæos præteris, qui Cabalæ studuerunt; quos vis *pessime de Angelorum officiis, eorumque cultu sensisse.* Sed præter hæc de Platonicis rursus disserit censor noster, deque Simone Mago, ejusque hæresi, quem quidem *in Pontificiorum cœtu*

(*a*) Pag. 363.
[*b*] Diss. III. 26. 3. pag. 169.
(*c*) Pag. 372.
[*d*] Joan. 31. 17.
(*e*) Pag. 372.

Digitized by Google

redivivum affirmat. Ad hæc Simoni erectam ſtatuam adjicit: Simonianæ hæreſi adhuc eſſe deditam Romam. De Cerinthi quoque erroribus plura differit. Nec omittit Carpocratem, *& ceteros horum auctores*. Cerinthi autem, atque adeo Simonis aſſeclas, immo Gnoſticos omnes Simonis opinionibus adhæſiſſe ait. Neque a Platonicorum opinionibus alienos fuiſſe Cerinthianos, Simonianos, & Gnoſticos. Affirmat quoque, *infauſtum* [*a*] *hujuſce ſuperſtitionis* (cultum delatum Angelis denotat) *ſine dubio vel Simoni Mago, vel Cerintho, & iis, qui horum receperunt oracula, adſcribendum eſſe* = (*totus enim ferme terrarum orbis ſeculis primis eſt infectus*). Adjicit vero deinceps, *Platonicos eadem fere inſtituta circa feſta, jejunia, & abſtinentiam a rebus quibuſdam obſervaſſe*, & cum Judæorum ſectis feciſſe. Docet mox, Abbatem Moshemium allegans, hæc Platonicorum inſtituta tertio ſeculo *a Chriſtianis fuiſſe recepta, & approbata* [*b*], ne Philoſophis vitæ ſanctimonia cederent. Multa poſtea de Pythagoræ, & Platonicorum myſteriis, & inſtitutis tradit: *Sed mirari ſubit* [inquit ille] *cur D. Paulus has Platonicorum latebras non denudarit*, quaſi Philoſophos de penitioribus rebus inſtruere debuiſſet Apoſtolus, non Chriſtianam plebem de Chriſti myſteriis: aut vixiſſet ille Porphyrii, & Plotini temporibus, quibus Platonicorum Myſteria potiſſimum viguerunt. Rurſus inculcat, Platonicorum opiniones ad Judæos, deinde ad gentes alias dimanaſſe, Eccleſiaſque. De geniis, ac Dæmonibus a Platonicis cultis deinceps eloquitur. Mox ſtatuit omnino loqui Apoſtolum de ſuperſtitioſe adhibito Angelis cultu. Theodoreti teſtimonium ad id evincendum adducit, & illius verbe vindicare ſtudet a Catholicorum explicationibus. Poſt hæc ita concludit (*c*): *Mitto Celeb. Danielem Witbium Anglicanum Doctorem, qui rem iiſdem fere verbis & argumentis diſcutit, aſſeritque, hanc Platonicorum ſententiam ad Coloſſenſes dimanaſſe, & eos fuiſſe a falſis Apoſtolis deceptos*: „ Angelos & inferiores Spiritus ſeu genios, tanquam mediatores eſſe colendos. „ *Quæ fuerit Gentilium de his Dæmonibus perſuaſio, juſtus enucleavit Clar. Antonius Van-Dale, qui eorum originem, quam crediderunt gentiles, & commercium cum hominibus prolixe ſatis tradit. Cui Cel. Belius, qui hanc de Dæmonibus perſuaſionem conciune denudavit, ſuffragatur*. Fingi ne vero poteſt his, quæ diligenter, & vere expoſui, aliquid involutius, aut implicatius? Num §. XV, & XVII clarius expoſita ſint, quæ in iis traduntur, cum eos paragraphos jam deſcripſerim, ex iis dijudicet per ſe Lector.

12 His conſtitutis poſtremum aggredimur, ideſt, cuncta, quæ tu viginti, & amplius paginis dicis, aut inopportuna eſſe, aut quæ facillime diſſolvantur. Primum porro ſatis liquet ex iis, quæ hactenus diximus. Quæſtionis ſumma hæc eſt. *Num Paulus Apoſtolus in objecto Epiſtola*

[*a*] Pag. 361.
[*b*] Pag. 363.
(*c*) §. XV. pag. 368.

Digitized by Google

ſola ad Coloſſenſes loco quemlibet adhibitum Angelis cultum condemnet, ideoque condemnet eum, quem Sanctis Angelis Eccleſia Catholica adhibet. Tu Kieslingi cum reliquis Proteſtantibus id affirmas. Cum Catholicis Trombellius negat. Ne vero id temere negare videatur, tres valde probabiles explicationes Apoſtoli verbis adhibet. Tuæ porro ſunt partes Kieslingi, oſtendere nullam harum probabilem eſſe, ſed eo reſpicere Apoſtolum, quo reſpicere Proteſtantes ajunt, ut ſcilicet (quod jam dixi) condemnet quemlibet delatum Angelis tam etſi probis cultum: aut ſaltem, ut illum condemnet, quem bonis Angelis Catholici deferunt.

13 An porro id oſtendis, dum in ea evagaris, excurriſque, quæ dixi? Num quæſtionem hanc diſſolvis, dum tot de Hebræis recentioribus tradis? An huc ſpectant, quæ de Caleb Patriarcharum ſepulcra venerante ex vetuſtiore Rabbino profers? An Trombellii explicationes eludis, dum de Simone Mago, de Talmudiſtis, de Cabbaliſtis, de Turcis quoque, ac Mahumete tot eloqueris? Quid cum argumento, quod pertractamus, ea, quæ de carnis eſu, ac conjugio a Platonicis ſibi dempto doces? An ſaltem id quod intendis, evincunt declamationes illæ, quibus numeros XVI, & XVII infercis?

14 Sed jam denique poſtremum oſtendamus oportet: facillime ſcilicet ea diſſolvi, quæ objicis. Quantum ex tuis probationibus, & dictis aſſequor, propterea Angelorum cultum condemnas, quod Deus illum minime præcepit [a]. Donec vero illum præcepiſſe non ſcis, illum reprobas, veluti temere inductum [b]. II. Quod ille idem cultus ſit, quem in Simone, & Simonis aſſeclis condemnavit Eccleſia. Ut id vero evincas, provocas ad Siricium tuum, de quo hæc pronuncias: [c] *Inquirit Claris. auctor in hanc Simonianam hæreſim, & ad oculum demonſtrat, eam in Pontificiorum cœtu eſſe redivivam. Nec ipſi defuerunt argumenta, quam apotheoſis Mariæ, & aliorum Sanctorum, ingens Sanctorum internunciorum numerus, cultus Angelorum, & defunctorum ipſius mentem penitus confirment.* Idem quoque falſum dogma eſſe ais quod in Platone, & Platonicis tota reprehendit antiquitas; ſiquidem ſi ii venerabantur Angelos, venerantur quoque Pontificii; ſi ii mediatores apud Deum eſſe ajebant, Pontificii pariter mediatores apud Deum dicunt [d]. III. Quod ſuperſtitioſus apertiſſime eſt cultus ille, non modo ſi originem ſpectas: provenit enim a Platone, Simone Mago, aliiſque aut Gentilibus, aut hæreticis; verum etiam ſi ſpectas modum, quo ille ſe ſe propagavit; fictis ſcilicet Angelorum apparitionibus factis Theclæ, & aliorum *Sanctulorum* viſionibus (e), aut certe falſa per-

(a) Pag. 370. & pag. 372.
(b) Pag 370.
[c] Pag. 359.
[d] Pag. 370, & 371.
[e] pag. 370.

Digitized by Google

ſuaſione innixus, qua detinentur Pontificii, dum ab iis deſcribuntur Angeli [*a*] *rerum noſtrarum conſcii, & qui in intimos animi receſſus, quos ſolus omniſcius Chriſtus, qui omnia novit* [Joan. XXI. 17] *perſcrutatur, prorſus penetrant*. Officis etiam interceſſioni Chriſti, & muneri mediatoris, quod ille gerit: faciunt enim Pontificii mediatores, & interceſſores alios, Angelos [*b*] nempe quos colunt. Porro ſumma fit dignitati, atque excellentiæ Chriſti [*c*] injuria, dum hoc modo eum inter, & Angelos, illius partimur munera, atque adeo & cultum ipſum: eadem enim obſequii argumenta præſtamus Angelis, quæ Chriſto præſtamus.

15 At ad hæc ſane, ad quæ procul dubio aut pertinent, aut certe revocari facile poterunt reliqua omnia, quæ quarta hac tua Exercitatione urges, haud difficilis eſt reſponſio. Porro in ſolutionibus illum ipſum ordinem ſervo, quo propoſitæ ſunt objectiones. Ut itaque a prima exordiar, falleris Kieslingi, ſi ad aſtruendam conſuetudinem quamlibet in Eccleſia, divinum præceptum expoſcis. Profecto jejuni Euchariſtiam ſumimus omnes. Quodnam vero hujuſce conſuetudinis præceptum divinum allegas? Infantibus rationis uſu adhuc carentibus baptiſmum conferimus omnes. Indica, obſecro, Kieslingi mi, divinum mandatum, quo id facere jubeamur. Vides itaque, neceſſarium non eſſe divinum præceptum, ut aliquid in Eccleſia ſtatuatur, ſatiſque eſſe aut probabile ex Scripturis deſumptum exemplum, aut Veterum conſtantia monita id approbantia, aut Eccleſiæ conſenſionem. Atque hæc quidem omnia in eo, de quo diſſerimus, argumento haberi, ſatis evicit Trombellius, ad quem Lectorem allego.

16 Eundem porro eſſe cultum, quem Angelis adhibemus, atque illum, quem Simon, & Simonis aſſeclæ Angelis detulerunt, quis credat, quandoquidem noverunt omnes, malos Angelos fuiſſe ab eo cultos, & in ea ipſa, quam iis adhibuit, veneratione fuiſſe ſuperſtitioſiſſimum? Videat, obſecro, Lector, quæ de Simonis Magi, illiuſque diſcipulorum erroribus docet Eruditiſſimus Tillemont [*d*], & apertiſſime aſſequetur, tantum a Simoniano Angelorum cultu diſtare cultum illum, quem nos iiſdem Angelis adhibemus, quantum ab improba perſuaſione, & ſuperſtitioſiſſima idololatria diſtat pia Catholicorum opinio, & laudabilis ritus. An Mariam Sanctiſſimam cum impudentiſſima Simonis Helena comparas? An eandem Mariam Sanctiſſimam *Deam* facimus, divinisque honoribus proſequimur? An nos dum cum Hilario, vetuſtiſque Doctoribus Angelos noſtrarum precum adjutores facimus, ad eum modum facimus mediatores, quo Chriſtum facimus? An a Chriſto humanum genus vere redemptum negamus, ideoque eidem Chriſto

(*a*) Pag. 372.
(*b*) Pag. 370.
(*c*) Pag. 372.
[*d*] Tom. II. hiſto. Eccleſ. pag. 35., & ſequen. edit. Ven.

Digitized by Google

ſto mediatoris munus, & nomen adimimus? An Angelorum munia ita explicamus, uti explicabat Simon, ideſt multo etiam Platonicis deterius, & remotius a veritate? Si ea legiſſes Kieslingi mi, quæ de ſceleſtiſſimo illo impoſtore veteres tradiderunt, collegitque, præ ceteris Tillemont, Catholicorum opiniones, ac ritus cum opinionibus, ritibuſque Simonis Magi minime comparaſſes.

17 Habe porro paucis diſcrimen interpoſitum noſtram inter, & Platonicorum opinionem. Hi Angelos *Deorum* nomine honeſtare non verebantur, eos *minores Deos*, &, ſi loqui ita volumus, *Deaſtros* appellantes, quibus propterea ſacrificia adhibebant. Deum porro ſupremum ita deſcribere videntur, ut ipſe quidem otioſus non ſit, nec circa res noſtras deſes, & negligens; providentiam quippe Dei circa mundanas res fatebatur Plato cum ſuis. At ita ejuſdem providentiæ adminiſtrationem regimenque deſcribebant, ut viderentur ſupremo Deo actionem quamlibet immediatam circa res noſtras demere. Quid? quod viſi ſunt ſcientiam ipſam immediatam Deo ſupremo demere, quatenus volebant cuncta illum noſſe per Angelos nuncios, per quos etiam Mundum regere, ac moderari dicebant. Quidquid vero fides noſtra de Chriſto Redemptore, deprecatoreque, atque advocato apud Patrem tradit, aut prorſus ignorabant, aut certe fateri renuebant, cuncta, uti dixi, ad Angelos referentes, quos *mediatores* Deum inter, & nos eſſe ajebant. An hæc Catholici docent? an non potius cuncta a Deo per ſe ſciri ajunt? Quod ſi Angelorum opera utitur, non eo utitur quo Angelorum opera egeat, nec poſſit ipſe per ſe ea facere, quæ per Angelos facit: ſed quod Angelorum, quos *adminiſtratorios ſpiritus eſſe voluit, miſſos propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, opera uti voluit, ea uſus auctoritate, & in creaturas dominio, quod ipſe in eas habet. Omitto quæ de *Apotheoſi Mariæ*, & *aliorum Sanctorum* ais. Etenim, quod alibi dixi, mera calumnia hæc eſt. Sanctos, non Deos facimus, ſed Dei amicos agnoſcimus. Ingens porro Sanctorum numerus tibi immerito diſplicet. An Sanctitatem adhuc in Eccleſia permanentem minime fers, viſque Spiritui Sancto compedes injicere, *ne, ubi vult, ſpiret*?

18 Superſtitioſum appellas cultum, quem Angelis Catholici deferunt. Cur porro? quia a Gentilibus, & Hæreticis (te quidem judice) profluxit. Quia etiam pravis artibus propagatus eſt. Sed utrumque Kieslingi mi a vero maxime aberrat. Profluxit ſcilicet ab iis Sanctiſſimis Viris, quorum exempla, & monita recenſet Trombellius (*a*). Nullis vero pravis artibus propagatus is eſt. Cur fictas eſſe vis eas apparitiones, quas veteres Sacræ Hiſtoriæ, veluti Acta SS. Triphonis, & Reſpicii [*b*], Bonifacii (*c*), & Vincentii (*d*) deſcribunt? An minus probabiles cenſes Angelorum apparitiones, ſi earum tam crebro men-

(*a*) Differt. IV. cap. 1. & ſeq. (*b*) n. V. pag. 239. editi. Vero. Ruinar. [*c*] n. XI. pag. 253. (*d*) n. VIII. pag. 327.

mentionem faciunt Sacræ Scripturæ ? An non ſimillimum veri eſt, Deum velle Angelorum uti opera, multaque nos eorum miniſterio docere, ſi eos, quod jam dixi, eſſe voluit *adminiſtratorios ſpiritus, miſſos propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis ?* Sed cur tu Kieslingi mi [qui ad ea, quæ Catholici obſervant, divinum præceptum expoſcis; quod ſi abſit, repudias quæcunque agunt,] cur tu, inquam, tam irreverenter de Thecla, & reliquis Sanctis loqueris, eos per contemptum *Sanctulos* appellans ? Præceptum indica, quod id te facere jubeat. Donec id præſtes, probis omnibus diſplicebis, & merito accuſaberis veluti contumelioſus adverſus Chriſti amicos, & laudatiſſimos Chriſtianæ Religionis defenſores, aſſertoreſque quoſque ſummis laudibus extollunt ii ipſi trium priorum ſæculorum Patres, quibus te obſequi profiteris.

19 De diſtinctione Latriam inter, & Duliam, deque munere mediatoris Chriſto [ſi *rigoroſe* munus illud accipiatur) tribuendo, aliàs ſatis diſputavimus; neque vero eadem hic repetere conveniens reor. Munera quæ Angelis damus, abſunt procul dubio a munere *Redemptoris, & mediatoris rigoroſe accepti*, quod Chriſto reſervamus: cui pariter reſervamus cultum huic muneri, itemque divinitati illius convenientem.

AD

AD EXERCITATIONEM V.

Qua (ut falso Kieslingius ait) *Canon Synodi Laodicenæ a cavillis vindicatur.*

CAP. I.

Post expositum præsentis quæstionis statum, priores Kieslingii adversus Trombellium accusationes & recensemus, & dissolvimus.

1 SIbi objecerat Trombellius capite VII (*a*) trigesimum quintum Synodi Laodicenæ canonem, quem vulgata latina interpretatio sic reddit. *Non oportet Christianos relicta Dei Ecclesia abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere. Si quis ergo inventus fuerit hanc occultæ idololatriæ vacare, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum, & accessit ad idololatriam.* Capite porro nono, in quo difficultatem ex objecto Canone enatam dissolvere aggreditur, [*b*] duas proposuerat responsiones. Harum prima hæc docet: in eo Canone *repelli cultum, sed æquo majorem, divinum nempe, quibuslibet etiam bonis Angelis adhibitum, propterea putant multi, quod Synodus pravos Angelos eos non appellet, quorum cultum damnat: quorumlibet ergo Angelorum cultum damnat. Dicitur vero a Patribus Laodicenis* idololatricus, *seu* idololatria *cultus ille, quem damnant, quia qui illum adhibet, defert cultum creaturæ, quem soli Deo adhibere debemus. Enim vero Deum sibi, ideoque Idolum efficit, qui Templa erigit Creaturæ: quæ tamen Templa Angelis erigebant cultores Angelorum, qui ab Laodicena Synodo damnantur. Sic certe non pauci explicant objectum Canonem XXXV Concilii Laodiceni.* Confirmavit autem explicationem hanc auctoritate Theodoreti, & Augustini, qui non modo adhibitum Dæmonibus cultum improbant, verum etiam eum ipsum improbant, qui bonis Angelis defertur, si æquo major, ideoque superstitiosus deferatur.

2 Alteram vero explicationem ab iis proponi dixit, qui ajunt, *de cultu pravis Angelis adhibito tantummodo locutam fuisse Synodum Laodicenam.* Quam probabilis ea sit explicatio, subsequentia ab eodem Trombellio proposita [*c*] testatum faciunt. *Et revera vox Idolum apud Ecclesiasticos auctores, præsertim si sola sumatur, usurpari consuevit ad Dæmones, seu eorum simulacra, & sculptilia significanda. At quomodocumque sumas, certa res est, Laodicenam Synodum neque verorum Martyrum, neque*

(*a*) n. I. pag. 262. (*b*) pag. 269. n. 1. (*c*) Ibidem. n. 3.

que Angelorum proborum haud intemperantem cultum reprobaſſe. En vadem Canonem 34 proxime precedentem. Quod non oportet omnem Chriſtianum Chriſti Martyres relinquere, & ad falſos, hoc eſt hæreticos abire, vel ad eos, qui prius hæretici fuere. Hi enim ſunt a Deo alieni: ſint ergo anathema qui ad eos abeunt. *Quem Canonem ſi obſerves, palam videbis, verorum Martyrum cultum perinde approbari, ac reprobatur pravorum Martyrum, & Angelorum, aut certe prave adhibitus bonis Angelis cultus. Minime vero alienam a cultu Cœlitum fuiſſe hujuſmodi Synodum, ex Canone 51 apertiſſime intelligis; Natales quippe Sanctorum Martyrum celebrari approbat; tamen in Quadrageſima mœſtitiæ & luctus tempore præter dies Sabbati, & Dominicam ceteris ſolemniores jubet, ut ab eorum celebratione Fideles abſtineant. Ex quibus quidem verbis colligo, magna cum ſolemnitate, ac pompa hujuſmodi Natales celebrari conſueviſſe.*

3 Deſpicit hæc tamen Kieslingius noſter, & plurima adverſus Trombellium, & illius explicationes effundit: quæ ne multitudine, ac copia confuſionem Lectori faciant, in varia capita diſtribuam: in quorum primo (quod jam promiſi) accuſationes adverſus Trombellium in ipſo Exercitationis limine poſitas & referam, & diſſolvam. Reprehendit itaque Trombellium primo [a], *quod hæſitet, & modo de bonorum, modo de pravorum Angelorum cultu, ſeu idololatria canonem explicet.* Reprehendit quoque, quod putet adverſus paganos fuiſſe hæc conſtituta, cum non adverſus Paganos, ſed adverſus Chriſtianos fuerint hæc ſtabilita. *Pro certo tamen affirmare audeo* (inquit Kieslingius [b]) *non fuiſſe paganos, ut ſentit Ven. Abbas, ſed omnino Chriſtianos, ut ut Platoniſmo & aliorum hæreticorum veneno infectos. Omnes enim canones produnt, Patres Concilii, non cum Paganis, ſed Chriſtianis admodum a vero deviis diſceptare. Parum igitur intereſt* (concludit ſtatim cenſor noſter) *ſive Simoniani, ſive Gnoſtici, ſive demum Platonici fuerint, quos reprehendit Concilium.*

4 Utraque tamen accuſatio ineptiſſima eſt. Atque ut aliquid ad primam dicam, videris profecto Kieslingi neſcire, quid ſit *hæſitare, & modo unum, modo alterum proponere*, quando id Trombellio objicis. Hæſitat, ut norunt omnes, is qui dubius & anceps eſt, neſcitque, quid agat, aut quò ſe vertat: is vero modo unum, modo alterum proponit, qui in ſuſcepta ſententia non permanet, ſed poſt ſuſceptam priorem ſententiam, aliam amplectitur. An hac agit Trombellius? Minime vero. At ſane non dubius, ancepſve Trombellius eſt, neque ignorat quanam ratione objectus Laodicenſis Synodi Canon explicetur; immo ut oſtendat ſe plane poſſe diſſolvere difficultatem eo Canone innixam, duas proponit ejuſdem Canonis explicationes, ambas probabiles, quas cum antea retulerim, hic non recolo. Vides ergo Kieslingi, quam frivola ſit prior illa tua accuſatio.

5 Nec

---

[a] §. 2. pag. 374. (b) Ibidem.

Digitized by Google

3 Nec majores vires alteri insunt. Temere Trombellio ea appingis, quæ de Paganis enarras. Ne somniavit id quidem Trombellius, cujus prior explicatio Simonis, aut certe Cerinthi assectas respicit. Altera vero quoscunque respiciat, Paganos certe non respicit. Minime ergo legisti Trombellii scripta, Kieslingi mi, dum illum de iis accusas, quæ minime is tradit, & tamen tu tradidisse eum vis. Sed cur Cieslingi *Platonismum* inter hæreses, ideoque Platonicos inter hæreticos recenses? An Christianis aliquando annumerati Platonici, ut eos merito dicas *Platonismo, & aliorum hæreticorum veneno infectos*? Sed hæc tu videris.

CAPUT II.

Expenditur explicatio, quam eidem Canoni Kieslingius adhibet: cujus rei occasione valde obscurus Theodoreti locus illustratur.

1 AB accusationibus transit Kieslingius ad stabiliendam sententiam suam, quam ad hunc modum exhibet. (*a*) *Duo igitur momenta mihi jam erunt erunda. Primum Laodicenses Patres non pravorum tantum, sed & bonorum Angelorum rejecerunt cultum. Alterum graves habuisse hujus Synodi Proceres, causas, cur in Canone hunc Angelorum cultum dixerint idololatricum. Quæ si demonstravero argumenta, res erit plana, hoc decreto quam maxime Angelorum bonorum æque ac malorum cultum, quod non concedit Ven. Abbas, fuisse prohibitum.*

2 Sed age Kieslingi, dum primum ad probandum assumis, cur Natalis Alexandri, cur Spondani verba recitas, quasi horum dicta ignoremus? Spondanum procul dubio præterire poteras; nam te ipso judice (*b*), *Spondani rationes Vener. Abbatis argumentis adeo sunt similes, ut nonnisi verbis differant.* Sed hæc omittamus, tuaque ipsa verba, atque argumenta expendamus. Sic porro disputas (*c*) „ Hæc quidem bene „ dicta, sed nondum demonstrata sunt. Debet enim Vir Venerabilis „ nobis demonstrare, quosnam malos genios coluerint Colossenses & „ Laodicenses? Fuerint ne Platonicorum genii, an Basilidianorum Abraxas & Scarabæus? Nihil tale afferunt dissidentes, neque Canon „ Concilii Laodiceni de his Platonicorum geniis, sed simpliciter „ de Angelis loquitur. Id sine veritatis jactura venerabili Abbati concesserim, Platonicorum de Angelorum intercessione persuasionem, „ longe lateque dispersam, Colossensium & Laodicensium fines occupasse. Nemo enim negaverit, Platonicis fuit [*d*] persuasissimum, „ genios huic terrarum orbi esse præfectos, & rerum agendarum ad-

(*a*) §. III. pag. 375. (*b*) pag. 376. (*c*) Ibidem. [*d*] Idem fuisse.

„ miniſtros a Summo Numine conſtitutos, quos etiam συναγωνιστας τῷ μεγιστῳ Θεῷ coadjutores, & ſocios Summi Numinis appellat „ Plato. Quam Platonis ſententiam fuſius nobis excutiunt & Plu„ tarchus, & Chalcidius, ut alios omittam auctores. Licet igitur Co„ loſſenſes & Laodicenſes hac macula fuerint infecti, nemo tamen „ dixerit, has Eccleſias Platonicorum genios, ſed bonos Angelos, „ qualis fuit Michael, coluiſſe. Crediderunt enim ex opinione Judæo„ rum, qui, ut ſupra edocui, hujus perſuaſionis non expertes fuerunt, „ bonos Angelos apprime rerum noſtrarum fautores eſſe nobis conci„ liandos & invocandos. Fuerunt proinde, niſi Theodoreti fidem ſub„ vertere velis, boni angeli, quorum cultum ii, qui ex Judæis ad „ Chriſtianorum caſtra acceſſerant, ſtabilire auſi ſunt doctores. O„ ptimus ſine dubio & verborum Pauli ad Coloſſ. cap. II. 18, et hujus „ canonis interpres eſt, quem jam ſupra adduxi, Theodoretus, cujus „ verba jam non otioſe ſunt repetenda: „ *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuiſſe legem per eos datam. Manſit autem diu hoc vitium in Phrygia & Piſidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ eſt Metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos, & in bodiernum uſque diem licet videre apud illos, & illorum finitimos oratoria Sancti Michaelis. Illi ergo hoc conſulebant utique humilitate utentes, dicentes, univerſorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum poſſe perveniri, & oportere per angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare.*

3 Ludunt vero operam, qui Theodoretum contemnunt, quaſi minime aſſecutum tum Pauli, tum Synodi Laodicenſis mentem. Nimirum (*a*) „ Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, qui circa hanc ætatem, „ qua hoc Concilium celebratum eſt, nempe circa initium ſeculi V „ vixit, optime nobis vim & ſenſum hujus canonis exponere potuit. „ Is ipſis ſuis oculis vidit templa, ſacella, & ſimulacra S. Michae„ li ſacra, ex quibus colligitur, bonos fuiſſe Angelos, quos hæretici, „ ſeu, ut ad palatum Spondani, & Venerab. Abbatis ſcribam, Catho„ lici colendos introduxerunt. Vocavit autem illos Theodoretus ex rei „ veritate hæreticos, quoniam ut Canon clare tradit, ſe a Jeſu tan„ quam *Capite* ſeparaverant, & Jeſum dereliquerant. Si itaque Dæ„ mones Platonicorum ſuo fulmine proſtraſſet Synodus, indicaſſet ſi„ ne dubio, cui Angelorum generi cultum demeret; malis videlicet „ Platonicorum geniis, non autem bonis Angelis, ad quam Angelo„ rum ſpeciem S. Michael erat referendus.

4 Ut tua hæc objecta diſſolvam, Kieslingi, poſtulo, quod tu ipſe doces, ſcilicet difficillimum eſſe, eos deſignare hæreticos, quos Synodus Laodicena condemnat (*b*); valde tamen probabilem eſſe Beveregii ſententiam, qui Simonis Magi conſectatores eo canone reprehenſos fuiſſe putat. *Vix Oedipus* [inquit Kieslingius Græcas fabulas, ut ſo-

let,

(*a*) Pag. 378. (*b*) Pag. 374.

let, respiciens] *judicabit, quosnam hæreticos fulmine suo dejecerint Laodiceni Concilii Patres. Non improbanda est Cel. Beveregii sententia, quæ plurima hujus Concilii decreta Simoniacis opposita fuisse, certissime credit.* Si enim tam difficile id est, ut tu ipse fateris, is profecto laudabitur, qui verisimilia proponat. Porro negare non poteris Kieslingi mi, verisimilia proposita fuisse a Trombellio, quum explicationem hujus Canonis aggressus est: Scilicet sic intelligi eum posse ait, ut *repellatur* cultus, sed æquo major, divinus nempe angelis quibuslibet etiam bonis adhibitus: quæ quidem explicatio confirmari facile potest Theodoreti, & Augustini monitis: ac primi quidem ad objectum Sauli locum, Augustini vero in sermone olim 101 *de diversis*, nunc 273 cap. & n. 7. Atque hujus quidem Patris proderit etiam consulere caput 27 libri VIII *de Civitate*, & caput 21 libri XX contra Faustum. Ceterum id compertissimum minime est; fortasse enim malos Angelos tum indicat: & revera vox *idolorum* apud Ecclesiasticos auctores, præsertim si sola sumatur, usurpari consuevit ad dæmones, & eorum simulacra, & sculptilia significanda. Sed quomodocunque eum Canonem sumas, non ita certe accipi ille potest, uti eum Protestantes accipiunt: ita scilicet ut quemlibet cultum, ideoque eum ipsum, quem Catholici Angelis probis deferunt, damnet. An simile veri est, cultum quemlibet probis Angelis delatum, improbari a Synodo Laodicena, quando hæc cultum veris martyribus adhibitum approbat? Approbare vero videtur, dum Canone 34, qui proxime præcedit objectum canonem, hæc tradit. *Quod non oportet omnem Christianum Christi martyres relinquere, & ad falsos, hoc est hæreticos, abire, vel ad eos, qui prius hæretici fuere: hi enim sunt a Deo alieni. Sint ergo anathema, qui ad eos abeunt.* Et canone 51: *Quod non oportet in* quadragesima *Martyrum natales peragere, sed Sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis, & Dominicis.* An non id declarat solemnitas, qua Sanctorum festivitates celebrabantur? An vero solemniter celebrari eæ poterant, sine aliquo cultu? Quidquid tu secus putes (*a*), non mere *memorativæ*, sed cum vero aliquo cultu Sanctis ipsis delato erant festivitates in Sanctorum Martyrum natali celebratæ: quod cum copiose Trombellius ostenderit [*b*], hinc de eo argumento dicere supersedeo.

5 Hæc in summa est explicatio, quam Trombellius adhibet objecto Concilii Laodicensis Canoni: quam quidem probabilem esse, probi omnes facile consentient. Atque id tu ipse indicas, dum hæc ais: [*c*] „ Id sine veritatis jactura Venerabili Abbati concesserim, Platonicorum „ de Angelorum intercessione persuasionem, longe lateque dispersam, „ Colossensium, & Laodicensium fines occupasse „ & reliqua quæ an-

(*a*) pag. 386.
(*b*) Differta. VI.
(*c*) pag. 376. cap. 8. & seq.

Digitized by Google

tea attulimus? Licet autem ex parte id reprobes, dum hæc ſubjicis: [a] „ Licet igitur Coloſſenſes, & Laodicenſes hac macula fue-„ rint infecti, nemo tamen dixerit has Eccleſias Platonicorum genios, „ ſed bonos Angelos, qualis fuit Michael, coluiſſe. Crediderunt enim „ ex opinione Judæorum, qui, ut ſupra edocui, hujus perſuaſionis non „ expertes fuerunt, bonos Angelos apprime rerum noſtrarum fautores „ eſſe nobis conciliandos & invocandos. „ Tamen non ita reprobas, ut nos habeas aſſentientes. An neſcis Kieslingi, fuiſſe non paucos, qui Platonicam Philoſophiam, immo ipſiſſimas Gentilium ſuperſtitiones in Eccleſiam invehere ſtudebant, Deumque Baalamo jungere? Præter ea quæ Trombellius (b) tradidit, indubitata res eſt, Simonianos, & Gnoſticos omnem poſuiſſe operam, ut Religioni Chriſtianæ ſuperſtitionem immanem jungerent. Qua de re vide obſecro quæ clariſs. Tillemont docuit. (c)

6 Potuere itaque hi, aut alii horum ſimiles Michaeli probo Angelo, immo, ut valde probabilis eſt ſententia, proborum Angelorum principi *idololatricum* (ideſt ſuperſtitioſum) cultum deferre, veluti ſacrificiis, aut alio quopiam ſacrificiis affini, item fere ut Mariæ Sanctiſſimæ Collyridiani, ſuperſtitioſum, ideoque ab Eccleſia damnatum cultum adhibuere. Sane ſi *templa rigoroſe* accipimus, ea Sanctis minime erigimus. Si quis vero ea Oratoria Michaeli erecta, quorum Theodoretus meminit, templa *rigoroſe* accepta ab origine eſſe voluerit, ea utique reprehendat neceſſe eſt.

7 Jam vero tu ſcis, quid ad objectum Theodoreti locum reſpondeamus: neque tu recte facis, dum Trombellium impetiturus, ad Spondanum converteris. An Spondani vindicias ſibi aſſumpſit Trombellius, qui procul dubio tua fere prævenerat, dum hæc tradiderat? „ [d] „ Quid præclarus hic Scriptor [Theodoretus] ſenſerit, ex his quæ nu-„ per diximus, facile conjicis. Non repulerim tamen monita eorum, „ qui dicunt, templa illa, ſeu Oratoria Michaeli erecta, quorum me-„ minit Theodoretus, fuiſſe fortaſſe Oratoria, quæ deinceps in Mi-„ chaelis honorem Deo dicavit Fidelium pietas. Quippe ſubſequen-„ tibus temporibus Catholici templa pravis Angelis veluti numinibus „ olim ædificata, in honorem, & memoriam proborum, atque in „ primis Michaelis converterunt.

8 Dum tamen hæc ex Trombellio exſcribo, eaque approbo, ea etiam approbo, quæ Petavius a te allegatus (e) docet. Quis enim noſtrum negat Chriſtum *creaturarum omnium, ideoque Angelorum etiam principem & caput eſſe, ideoque errare eos qui ad Angelos, relicto Chriſto, confugiunt*, eoſdemque Angelos pro diis habent, eoſque colunt, cultu ſcili-

[a] Ibidem. [b] Diſſert. VIII. cap. 9. n. 2. & 3. (c) Tomo II Hiſto. Eccleſiaſ. pag. 38. 48. &c. (d) cap. IX. pag. 270. [e] pag. 384, & 385.

ſcilicet *rigoroſe*, & antonomaſtice ſumpto? His non egemus monitis, Kieslingi mi, neque opus eſt, ut Lactantium nobis objicias [a], explicationemque, quam Lactantii verbis Clariſs. P. Nourry adhibet. Hæc ſcilicet omnes novimus, & declaramus, non unus Nourry vir ſane præclarus, & in Patrum lectione exercitatiſſimus.

CAPUT III.

Afferuntur ea rationum momenta, quibus Kieslingius permotos fuiſſe cenſet Laodicenos Patres, ut idololatriam appellarent cultum Angelis quibuſvis adhibitum.

1 AT vertendus eſt ſermo ad partem alteram explicationis Kieſlingii, in qua ſcilicet poſtulans de cultu quovis Angelis etiam bonis delato locutos fuiſſe Laodicenos Patres, cauſam afferre ſtudet, ob quam eundem cultum *idololatriam* appellarint. „ Cauſæ (inquit Kieslingius (*b*)), propter quas Angelorum cultum idololatriam „ dixerint Concilii Laodiceni proceres, nobis nunc ſunt expiſcandæ. „ Putaverim, idololatrarum nomen omnes fortiri, qui a Jeſu, ſolo „ ſalutis noſtræ auctore mediatoreque recedunt, & ad Angelorum „ ſi vel maxime bonorum cultum confugiunt. Hæc certe eſt horum „ Patrum ratio. Omnis igitur Angelorum cultus, quem deſtruxit „ Synodus Laodicena, ſive ex Judæorum, ſive ex Platonicorum pro„ manaverit rivulis, ipſis dicitur idololatria. „ Tum nonnullis de veterum perſuaſione Angelorum gradus, & munera reſpiciente, attactis, lectoreque ad celeb. Nourrium amandato, concludit, *ex ea Mundi ſubjectione* (qua Angelorum munera, ut ita loquamur, diſpertiebantur) *profluxiſſe* [c] *Angelorum cultum, quem Synodus Laodicena ex eo damnat, quod hac colendi ratione Chriſtus, cui Pater omnia ſubjecit, derelinquitur*: tum hæc ſubjicit „ Quem errorem indigitavit ſine dubio div. Pau„ lus his verbis: *Non enim Angelis ſubjecit orbem futurum*, de quo „ loquimur. Hebr. II. 5. Quæ verba tanti omnino ſunt momenti, ut „ eadem in ſuccum & ſanguinem convertamus. Egregie noſtrum „ quod de Angelorum cultu tractamus, argumentum illuſtrant, & „ contrariam Ven. Abbatis infirmant. Excellentiam Chriſti præ An„ gelis extollit div. Apoſtolus, & commendat ipſius imperium, quod „ Angelorum miniſterio eſt præſtantius. Judæi hac ætate magni æſti„ marunt Angelorum operam in promulganda lege olim conſpicuam; „ Juſto majus Angelis ptopterea ſtatuerunt pretium, & illos veluti „ Mundi gubernatores & mediatores Deum inter & homines ſunt ve„ nerati, quod ſupra expoſuimus. Paulus itaque cum his præpedita „ opi-

[a] pag. 385. (b) §. VI. pag. 378. (c) pag. 379.

„ opinione laborantibus diſputaturus, ipſorum ingeniis aliquid conce-
„ dit, hoc tamen fine, ut ex ipſis tanto facilius omnem ſuporem
„ erroremque excutiat. Emollit ipſorum animos, aureſque quaſi de-
„ mulcet, Angelorum miniſterio, quod olim in ſolemni legis divi-
„ næ promulgatione præſtiterunt, de quo com. 3. differit: „ Si enim
„ per Angelos dictus ſermo factus eſt firmus, & omnis tranſgreſſio &
„ inobedientia conſecuta eſt juſtam mercedis retributionem: quomodo
„ nos effugimus &c.„ Sermo itaque per Angelos prolatus, eſt lex,
„ per Angelos diſpoſita, ſeu hominibus tradita Gal. III. 19. „

2 Multa de Angelis vetuſtam legem nunciantibus, ejuſdem-
que *legis & ſpectatoribus, & teſtibus* [a] profert: multa quoque de
excellentia Chriſti Angelos longe ſuperantis, Eccleſiamque ſanguine
ſuo redemptam regentis, aliiſque his affinibus: tum demum quaſi ad
ſententiam ſuam ſtabiliendam ſatis forent, hæc concludit:
[b] „ Excuſſis nunc, quæ diſcutienda erant, verbis, mens divi Apo-
„ ſtoli Pauli nobis prorſus obvia eſt, quæ hoc invictiſſimum in ſe
„ habet argumentum: „ *Si Chriſto totus orbis futurus eſt ſubjectus, ut Eccleſia ſua tanquam Dominus, & mediator præſit; ſequitur fruſtra Angelos coli, quippe qui & ipſi huic Eccleſiæ præſuli Auguſtiſſimo Sanctiſſimoque ſunt ſubjecti.* „ Non ad Angelorum,
„ qui olim Veteri Teſtamento in lege Iſraelitis conferenda affuerunt,
„ interceſſionem eſt confugiendum, ſed ad Chriſtum melioris fœde-
„ ris ſponſorem, qui ſolus cuncta gubernat, & cujus interpellationes
„ & auxilia ſolummodo ſunt imploranda. Si Angelos colitis, inquit
„ Paulus, relabimini ad veteris inſtrumenti œconomiam, & legi ſer-
„ vitis, & Chriſtum, qui novi Orbis dominus, & unicus eſt media-
„ tor, deſeritis, & caput & ducem Eccleſiæ Chriſtianæ derelinquitis.
„ Retrocedituſ enim a capite Eccleſiæ, quod eſt Chriſtus, & ad i-
„ gnobilius quoddam deflectitur fidei principium, nempe ad Angelos.
„ Quis dubitaverit huic explicationi favere verba Canonis. „ *Quod non oporteat Chriſtianos derelicta Eccleſia Dei abire, & Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere.* Et poſt pauca: *Quoniam derelinquens Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei acceſſit ad idola.* „ Hunc
„ autem errorem reſpicere idololatriam, ſeu cultum Angelorum a
„ Paulo in cap. 11. 18. 19. ad Coloſſenſes rejectum, vel indè appa-
„ ret, quod Paulus Angelorum interceſſionem, & venerationem hac
„ ex ratione rejecit, quia Angelorum cultores, qui ad ipſorum me-
„ diationem refugiunt, caput Eccleſiæ, Chriſtum videlicet, peſſime
„ deſerunt. Quantum judico, verba hujus Canonis verbis Apoſtoli ad
„ amuſſim reſpondent, & prorſus ex hac epiſtola ſunt deſumta.
„ Graviſſimis his Patres Laodicenſes moti cauſis hanc confutarunt ido-
„ lolatriam ſeu Angelorum cultum. Hoc enim evictum eſt: Jeſum
„ eſſe unicum mediatorem, non Michaelem, aut alios, quos media-
„ tores

[a] pag. 379. [b] §. VIII. pag. 383.

„ pores coluerunt hæretici, qui has Aſiæ Eccleſias turbarunt; „ per „ ſolum Jeſum *habemus ad Patrem acceſſum: Ego ſum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Joan. XIV. 6. Hac excluſiva „ locutione omnes alias ad Patrem, vel per Angelos, vel per Sanctos adeundi vias rejecit Chriſtus. Quod divus Apoſtolus confirmat: „ Fide igitur juſtificati pacem habemus cum Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem fide aditum habemus ad hoc beneficium. Rom. V. 1. 2. „ Et rurſus. Per Chriſtum habemus acceſſum, utique in uno Spiritu ad Patrem Epheſ. II. 18. & Hebr. IV. 16. Rom. III. 24. Utrique, ſcilicet *ἱλαστηρίου* graviſſima de cauſa addit: nempe „ gentiles, & Judæi, quorum priores per ſuos internuncios & genios, „ poſteriores vero per Angelorum mediationem ad Deum accedere „ conabantur. Qui id agunt, caput, Chriſtum, ut recte ſentiunt Laodicenſium proceres, relinquunt, & in idololatriam prolabuntur. Ne „ vero putaverit Ven. Abbas hunc ſententiam a Romanenſibus eſſe „ alienam, & nobis tantum familiarem, in ſcenam prodeat, quem „ tantopere laudat & æſtimat Clar. Petavius, qui ad cap. II. 10. Epiſtol. ad Coloſſenſes hæc commentatur. „ Pertinet, *inquit*, ad eandem capitis amplificandam dignitatem iſta quoque contemplatio, „ non ſolum hominum, qua homo eſt, caput eſſe Chriſtum, ſed etiam „ Angelorum, quod Theologi pro confeſſo habent, & eorum princeps „ S. Thomas. Ac veteres quidam Chriſtum Angelorum caput conſtituere videntur, quatenus eſt Deus, ut Chryſoſtomus, cujus verba „ ſupra deſcripſimus: nec non Theodoretus, qui ad illa Pauli: Qui „ eſt caput omnis principatus & poteſtatis, ita ſcribit: Qui noſtrum „ quidem caput eſt ſecundum humanitatem: Angelorum vero, & Archangelorum ſecundum divinam naturam dominus eſt. Ibi enim caput pro principatu poſuit. Quæ poſtrema verba notanda ſunt, multoque magis, quę Græci alii interpretes ad eundem locum epiſtolæ ad Coloſſenſes uſurpant. Nam Chryſoſtomus, quod Apoſtolus Chriſtum affirmat caput eſſe principatus omnis & poteſtatis, explicat ſic, ut eſſe velit ſuperiorem omnibus, & cauſam, non conſubſtantialiter. OEcumenius item caput interpretatur *αἴτιον*, id eſt cauſam vel principium. Quippe omni naturæ creatæ tam cæleſti, quam terrenæ cauſa & principium eſt Chriſtus tanquam conditor, & factor illorum; nam ſine ipſo, inquit, factum eſt nihil, quod factum eſt. Ita etiam Theophylactus qui eadem ſuo more verba „ Chryſoſtomi poſuit; atque hoc inſuper addit, Apoſtolum in illo „ loco Coloſſenſium ſuperſtitionem notare & curare voluiſſe, qui Angelos ſupra Creaturæ modum venerari ſolebant; quaſi diceret: Quo „ modo igitur illo relicto ad Angelos accurritis, quorum ille caput „ eſt? Ex quibus evidens eſt, illos omnes, caput ab Apoſtolo vocari Chriſtum, exiſtimaſſe, quatenus Deus eſt. Siquidem & hac ſola ratione creator eſt omnium; & ad inſtitutum ipſius attinebat, „ divinitatem ejuſdem in medium afferre, ut tanto magis puderet Coſ-

Digitized by Google

loſenſes ad creaturam rerum ſe ſe cultum cum creatoris injuria de-
„ mittere. „ Atque his quidem Petavii verbis hæc *Kieslingius* ad-
„ jicit „, *Nihil planius, ſobrius, & verius hac Clar. Dionys. Petavii commentatione legi, quam ſi legere, relegere, & accurate perpendere vellet Vener. Abbas, intelligeret, Laodicenſes Patres ſummo jure hunc Angelorum bonorum cultum rejeciſſe, neque quicquam a me hoc in momento eſſe fictum.*

3 Nihil tamen tanto verborum apparatu proficis *Kieslingi* mi. Scilicet Trombellius [a] ſatis declaravit, cur *idololatria* dici potuerit cultus ille, tametſi probis Angelis delatus. Si ſacrificiis Angeli coluntur, ſi agnoſcuntur veluti dii, tametſi minores, ſeu deaſtri, jam Angelorum cultus *idololatria* ipſiſſima eſt, transfertur quippe cultus Deo tantum conveniens ad creaturam. Quod ſi ita deſcribuntur eorum munera, ut cuncta per illorum miniſterium agat Deus, ad quem per eos, veluti per mediatores *rigoroſe ſumptos*, acceſſus ſit: jam Angelorum cultus idololatricus dici poteſt: ſuperſtitioſus eſt enim, utpote falſa perſuaſione innixus. Cultum vero Angelis bonis convenientem, qui ſcilicet nihil eis deferat, quod Dei proprium ſit, neque eos ita faciat *mediatores*, quaſi Chriſtus ſummus, & in perfecto mediatoris genere unus, non eſſet mediator, aut non poſſemus vel ſine ipſis accedere, nec per ſolum Chriſtum accedere *ad thronum gratiæ*: cultum, inquam, bonis Angelis convenientem, neque nos hauſimus ab externis, neque ab externis hauſere Hæbræi, ſed a Scriptura & probatiſſimis virorum præclariſſimorum exemplis, quod jam demonſtravimus.

4 Chriſtum *ſolum dominatorem*, ſolum Redemptorem facimus, (b) ideoque etiam ſolum *mediatorem*, ea ſignificatione ſumpto hoc vocabulo, qua illud ſumpſit Trombellius capite XXVI Diſſertationis III. Sed non continuo convenientem Angelis cultum denegamus, quia talis cultus non illam denotat *ſubjectionem*, quam uni Chriſto tribuimus, ſed eſt proteſtatio excellentiæ, quam in Angelis, agnoſcimus, & profitemur: quod cum alibi explicaverimus, peculiarem operam hic minime expoſcit.

5 Michaelem nec fecit Synagoga recte inſtituta ea ſignificatione patronum, & mediatorem, qua nos facimus Chriſtum, nec eo cultus genere affecit, quo nos Chriſtum afficimus; ſed ea ſignificatione patronum effecit, &, ſi vis, *mediatorem*, qua nos efficimus reliquos Angelos. Si quid ſecus a quopiam eſt factum, ab eo plane diſcedimus, & Eccleſiaſticis inſtitutionibus edocti Michaelem noſtrarum precum adjutorem volumus: nec patronum veriebor agnoſcere, dummodo ea ratione id fiat, qua Orthodoxi faciunt quo de argumento cum multa laudabilia Trombellius ſcripſerit (c), de eo agere omitto. Quæ allata ſunt ex Petavio, ea ipſa ſunt, quæ Trombellius, immo Catholici omnes tra-

[a] cap. IX. pag. 259. [b] *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* [c] Diſſer. III. Cap. XXVI. &c.

Digitized by Google

tradunt, ſic ut nihil ſingulare Petavius habeat, ſed ea ipſa, quæ Orthodoxi reliqui, qui procul dubio nec Chriſtum derelinquunt, nec dominium illius, aut excellentiam cum Sanctis dividunt, dum Sanctos, atque Angelos venerantur; per eos enim ad Chriſtum confugiunt, & ſervos illius agnoſcunt, non pares illi faciunt. O ſi tu legiſſes & relegiſſes, & accurate perpendiſſes quæ ſæpe docet Trombellius, ſed expreſſiſſime capite XXVI diſſertationis III, Trombellium ad Petavium non amandaſſes, neque hæc quadam pietatis ſpecie adverſus Trombellium ſcripſiſſes: *Nihil planius, ſobrius, & verius hac Clariſſ. Dionyſii Petavii commentatione legi.*

CAP. IV.

Excurſiones, & evagationes Kieslingii in varia argumenta.

1 HActenus utcunque in propoſito argumento Kieslingius conſtitit. Nunc demum quaſi ſolutis habenis excurrere quo libet incipit, & huc, illucque evagari. Paragrapho itaque XI occaſione accepta a voce *Idolum*, illiuſque ſignificatione, prolixam diſputationem eo de argumento aggreditur, eamque novo quodam, & veteribus ignoto tropo *gravem, & acutam quæſtionem* nuncupat, ſic ut *difficulter lites Romanenſes inter, & Proteſtantes componi poſſint*. Fatetur, autem [& in eo moderationem cenſoris noſtri commendo] fatetur, inquam, ſe ab eorum abeſſe ſententia, qui *imagines Sanctorum idola* nuncupant; deinceps tamen definitiones Henrici Stephani, & Sviceri approbans, aperte docet, *idola dicendas eſſe Sanctorum imagines.* [*a*] „ Idola [inquit] non ſunt ſemper res vanæ ratione materiæ, & „ ratione objecti (ſiquidem res veræ quandoque repræſentantur); ſed „ ratione virtutis & efficaciæ. Quam idoli notionem nobis & ex pro„ fanis, & eccleſiaſticis auctoribus confirmat Cel. Henr. Stephanus, „ aſſerens: verbum εἴδωλον, tam late patere, quam latinum, imago, „ & ſimulacrum. Appellatur, teſte Stephano, εἴδωλον, omne id, „ quod repræſentat nobis formam rei alicujus vel fictæ vel veræ, „ quam honore & cultu dignamur. Cui additipulatur Clar. Svicerus „. Tum concludit (*b*) Kieslingius, *Eſſe hæc idola* [ea ſcilicet quæ Scriptura reprehendit] *res mere fictas, imaginarias, & vanas, ac proinde ad camarinas rejiciendas.* Denique hæc ſubiicit: „ non abſone reverend. Fortunatus Scac„ chus de Verbo Bahal judicat, illud omnibus Diis fictitiis fuiſſe „ commune, ut apud nos idoli vocabulum. Omnia enim Gentilium „ idola ſunt inſtrumenta, quæ vana hominum excogitavit & finxit „ perſuaſio. Quam Spiritus Sancti mentem optime aſſecutos eſſe di-

(*a*) pag. 388. (*b*) pag. 390.

Digitized by Google

„ xeris LXX Seniores, qui ſupradicta verba plerumque per res vanas;
„ fictas, et ſuperſtitioſas ſunt interpretati.„

2 Quibus quidem conſtitutis nos accuſat, quaſi idola, & ſimulacra colamus: cum enim idolum, et ſimulacrum ſit imago rei vanæ, & non exiſtentis, cum Pontificii non raro imagines, et reliquias Sanctorum non exiſtentium colant, uti oſtenderunt Launoius, Tillemont, et Mabillonius, plane ſequitur nos colere idola, et ſimulacra [a]. Poſtquam autem nonnulla adverſus Maſenium, et Veranium Sacrarum imaginum cultum afferentes effudit, hæc demum adverſus Veranium ſtatuit. [b]
„ Punctum litis in eo conſiſtit; num Deus per ſimulacra, et imagi-
„ nes coli velit; quod nos negamus, et firmiter mandato divino in-
„ hæremus: *Ne facias tibi ſculptile, & ullam imaginem eorum, quæ*
„ *ſunt in cælo ſurſum*. Exod. XX. 4. Res ſatis eſt plana et certa, De-
„ um omnem imaginem et formam aliquam effictam, formatamque
„ in cultu religioſo reiicere. Mirus eſt vocum idolum, imago, ſimu-
„ lacrum, et ſimilitudo, in aliis dictis conſenſus, qui nos edocet,
„ imaginem, aut repræſentationem vel ipſius Dei immortalis et in-
„ conſpicui ad Idola eſſe referendam. Inde Deus ad Idolorum fabri-
„ catores dicit: *cui aſſimilabitis Deum? Aut quam imaginem, formam,*
„ *aut ſimilitudinem ei ponetis? Jeſ. XL.* 18. Feliciter hoc diſcrimen
„ idolum inter, et imaginem enodavit Cel. Jurieus, et demonſtra-
„ vit in antiquiſſimis ſcriptoribus Idola et ſimulacra non differre: ve-
„ rumtamen diſtinctionem ſolum in ſtilo Eccleſiaſtico hanc eſſe.
„ Imaginem eſſe repræſentationem alicujus rei non ad cultum, et a-
„ dorationem factam: idolum autem, repræſentationem ad adoratio-
„ nem effictam, quod diſcrimen optime obſervaſſe putat libros
„ Carolinos adverſus Concilium Nicenum II. Non enim, aſſerunt,
„ nos imagines in Baſilicis poſitas idola nuncupamus, ſed ne idola
„ nuncupentur, adorare eas et colere recuſamus. Hinc Concilii Lao-
„ diceni ſeniores de iis, qui Chriſtum relinquunt, et ad cultum An-
„ gelorum, quorum imagines et ſimulacra adorabant, ad idola acce-
„ dere, magna cum veritatis auctoritate ſtatuerunt. Imago enim, ſi
„ vel maxime ſit Mariæ, aut Sancti Laurentii ſimulacrum, in idolum
„ abit, et hujus ſpeciem induit, quando adoratur, et colitur, ut li-

„ bri

[a] pag. 391. *Dabimus vero hoc Romanenſibus, idola gentilium fuiſſe res non formaliter exiſtentes: ſic ſuo peribunt judicio; ſe multa colere, & adorare ſimulacra & imagines Sanctorum, & reliquias, de quibus certum eſt eſſe rerum non exiſtentium ſimulacra. Imagines multorum Sanctorum coluntur in Eccleſia Romana, de quibus ipſi prudentiores Pontificii Launojus, Tillemontius, & Mabillonius, ut jam dixi, ad oculum demonſtrarunt, eos in rerum natura non extitiſſe. Quod igitur gentilibus objiciunt Romanenſes, idola ipſorum præter materiam, nullam rei exiſtentis habere formam, id ipſis æquo jure a Paganis reſponderi poteſt.* (b) pag. 391.

„ bri Carolini appoſite et accurate tradunt : Quam Synodi Laodicenæ interpretationem, meamque, quam inde hauſi, explicationem „ mihi accurate expreſſiſſe videtur S. Gregorius Nyſſenus, qui hanc „ de Idolis nobis notionem reliquit • *Simulacrorum*, inquit, *odium commune eſt omnium, qui fidei participes ſunt, ſed ejus præcipuum quod Arianam infidelitatem ſimiliter, atque ſimulacrorum cultum abominabatur • Nam eos qui in creatura numen divinum eſſe exiſtimarent, nihilo minora colere, atque venerari putabat* [*Placilla*], *quam qui ex materia ſimulacra efficiunt : ac recte ac pie ita judicabat • Nam qui creaturam adorat, etiam ſi in nomine Chriſti id facit, ſimulacrorum cultor eſt, Chriſti nomen ſimulacro imponens. Idcirco cum didiciſſet, quod non ſit Deus recens & novus, unam Deitatem adorabat, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto glorificatur.* „ Quibus verbis nihil ſane cum veritatis argumento a Romanenſibus reponi poterit. Pudorem nobis excutit „ div. Apoſtolus Paullus, qui imaginum cultum, et idolorum venerationem noſtra, qua gaudemus, excellentia, indignam, & a majeſtate divina prorſus alienam eſſe putat, hæc nobis ex Areopago in „ mentem revocans : *Quod ſi genus ſumus Dei, non debemus exiſtimare, auro & argento, aut lapidi arte & induſtria ſculpto, divinitatem eſſe ſimilem • Actorum XVII.* 29. „ Sententiæ meæ teſtem, vindicem, „ que habeo longe graviſſimum Irenæum, qui hoc in Gnoſticis vitium „ reprehendit, quod non ſolum ſuorum Philoſophorum, & Magiſtrorum, ſed & Jeſu, & Apoſtolorum fecerint imagines; ita ſentiens : *Gnoſticos ſe autem vocant : etiam imagines quaſdam quidem depictas, quaſdam autem, & de reliqua materia fabricatas habent : dicentes formam Chriſti a Pilato, illo in tempore, quo fuit Jeſus cum hominibus. Et has coronant & proponunt eas, cum imaginibus Mundi Philoſophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Ariſtotelis, & reliquorum, & reliquam obſervationem circa eas ſimiliter, ut gentes faciunt.* Gnoſticis, qui intimam rerum divinarum jactitarunt notitiam, cum Carpocratianis id ſolemne fuit, ut imagines colerent. Ne vero tibi quis „ perſuadeat Irenæum Gnoſticos eam tantum ob cauſam caſtigare, „ quod Philoſophorum ſuorum imagines in Chriſti aſsumpſerint commercium, addit laudatus Eccleſiæ Præſul : *Gnoſticos hanc obſervationem, ſeu imaginum venerationem, ut gentes facere* „. Satis igitur „ aperte indicat, hunc imaginum, ſive Chriſti, ſive Platonis colatur „ pictura, cultum non Chriſtianorum, ſed gentilium moribus eſſe „ adſcribendum. Videbis autem imaginem Dei aut Chriſti, Sanctorum „ ſimulacris circumdatam, & ſuperſtitioſum Romanæ Eccleſiæ po„ pellum flexis genibus coram his imaginibus proſtratum. Pari ani„ mi reverentia & Dei, et Sanctorum imagines adorat, et colit mi„ nuta et plebeia Romanenſium turba. Et, ſi dicendum, quod res eſt, „ majori pietatis ſeu potius ſuperſtitionis affectu Sanctæ Mariæ, aut „ ſui Patroni, quam Chriſti imaginem Papicolæ amplectuntur. Sta„ tua aut imago Sanctæ Mariæ non raro plures habet cultores, quam

„ Christi imago? Vertant se vero Romanæ sedis mancipia, quorsum „ libeat, hanc tamen a se ipsis non amovebunt suspicionem, se„ sanctorum colere, et adorare simulacra. Quæ vero venerantur San„ ctorum simulacra, maximam qua partem sunt entia non exi„ stentia: quia neque fictitij illi Sancti unquam extiterunt, neque si „ extiterint, veræ hæ sunt ipsorum imagines. Fruſtra proinde Chri„ stophori, Viaris, Theophori, et aliorum quos vere vixisse nega„ vimus, imagines coluntur. Imagines Sanctorum vanæ sunt et fictæ. „ Commemorat Cel. Midleton se in Urbicula Lauretana, quæ ædi„ culam et Imaginem Mariæ ceu Palladium asservat, Sanctæ Mariæ „ imaginem adeo nigram et deformem conspexisse, ut verius eam Pro„ serpinæ, quam Mariæ, Cæli Reginæ dixeris imaginem. Eam esse „ veram et genuinam Mariæ formam, vix putaverit Romanensis. Un„ de igitur hic torvus Mariæ vultus? Unde hæc Mariæ deformitas, „ forma quotidiana deterior et abjectior? sive ærumnarum moles, et „ animi ægritudo, sive longus imaginis usus, sive continui suffitus et „ cereorum fumatio hanc Mariæ asperserunt maculam. Tune igitur „ Trombelli, hanc veram esse Mariæ imaginem credis? Cur non e„ am lavas, et abstergis labes longo usu et tempore contractas? Cur „ non illam suo nitori reddis, ut si jam adoranda esit Mariæ imago, il„ la non horrorem incutiat, sed serena et affabilis Mariæ frons culto„ rum oculos pascat, et animi dolorem leniat? Versipellis nobis vi„ detur, o Romanenses, quam colitis, Maria, quæ modo ingenuo, „ modo torvo et abjecto vultu, se vobis conspiciendam præbet. Sed „ quid mirum, tam deformem et nigram esse Mariæ Lauretanæ fa„ ciem, quum hæc Maria per mare, pauperiem, per saxa, per ignes „ fugitaverit, ut Saracenorum manibus elabereretur, et in agro Lau„ retano consideret, quod Pater Turſellinus in historia ædiculæ Lau„ retanæ, satis demonstravit. Quanto deformior est Mariæ imago „ quæ in Urbe Lauretana obvia est, tanto suavior et jucundior est „ illa quæ tempore Johannis primi Episcopi Romani, in conspectu „ omnium radiis aliquantulum in aere undique coruscantibus, se in „ manus excitati Episcopi demisisse fertur. Operæ pretium est hanc „ perlustrare historiam, ut dulce utili misceamus. S. Galla, quon„ dam expertæ et spectatæ Sanctimoniæ Virgo, die S. Alexii, qui „ die 17. Julii celebratur, cum suis sociis medio in aere conspexit „ Imaginem Mariæ Virginis undique fulgurantem: Episcopus Johan„ nes primus precibus S. Gallæ et multorum Romanorum commotus, „ processum cum patribus purpuratis instituit, et enixis plane„ precibus, inter campanarum pulsum, et alia Solemnia, Mariam es„ flagitavit, ut suam, qua se eum puerulo Jesu in aere conspicien„ dam dabat, cælitus demitteret imaginem: illa precibus dedit lo„ cum, et hunc aureum imbrem, opera duorum Angelorum in ejus „ gremium effudit. Quæ imago Mariæ nomen dedit Templo S. Ma„ riæ in Xysto, in quo hæc legitur inscriptio:

Hæc

Digitized by Google

Hec eſt illa pie genitricis imago Marie;
Que diſcumbenti Galle patuit metuenti.

„ Quæ igitur demum eſt vera Mariæ imago? Nigra ne illa, an co-
„ ruſcans? Utraque forſitan eſt vera. Nigra, cum in terris miſere vi-
„ veret, munda vero et concinna, quum jam in Cælis regnaret. Sed
„ inſto meę ſententiæ, et utramque falſam eſſe puto: quia nemo pru-
„ dentioris et ſagacioris ingenii Mariæ Imaginem exiſtere, nedum a
„ cęlo delapſam eſſe fibi perſuaſerit, niſi ſanę rationi prorſus nun-
„ tium mittere velit. Vellem explicent Romanenſes rationem Cano-
„ nis, quem ipſi admittunt: *Relata ſimul ſunt & natura, & cognitio-*
„ *ne*. Demonſtrent quęſo, num in cultu imaginum fictarum et dubia-
„ rum relatio quædam, *qua naturam & cognitionem*, ſit ſtatuenda. Corruit
„ proinde vel ex hoc Canone cultus imaginum relativus. Non novum
„ porro eſt imagines Idola appellari, ſed jam a primis Eccleſiæ Chri-
„ ſtianę ſeculis hanc vocis notionem a Patribus accipimus. Imagines
„ enim, et idola nulla prorſus ratione apud Hieronymum differunt, qui
„ de gentilium idolis ita ediſſerit: *Per Idola intelligimus imagines*
„ *mortuorum*. Tales enim mortuorum imagines venerari, et in templis
„ ſuis erigere ſolebant gentiles, quorum inſtitutum ſecuti ſunt Roma-
„ nenſes, qui Sanctorum, ſeu virorum pietate et fama inclytorum
„ imagines ſuo cultu dignas judicarunt, et iiſdem ſumma pietatis, et
„ cultus obſequia ordinarunt præſtanda.

3 An non ſatis evagatus Kieslingius eſt in ea exercitatione, *qua* [uti ipſe met pollicetur] *Canon Synodi Laodicenæ a cavillis vindicatur*? Scilicet adhuc excutrit, & hæc ad nos redarguendos adiicit. (a) *Vix quicquam acutiſſimo Lactantii judicio de cultu imaginum vidi, aut legi limatius & præſtantius, quo maximo cum argumentorum pondere hanc perſuaſionem repreſſit*. „ Quicunque, *inquit*, Sacramentum hominis ſa-
„ cri, rationemque naturæ ſuæ nititur obtinere; ipſe ſe ab humano
„ ſuſcitet, & erecta mente oculos ſuos tendat in cælum, non ſub pe-
„ dibus quærat Deum: nec a veſtigiis ſuis eruat, quod adoret (quia
„ quidquid homini ſubiacet, infra hominem ſit, neceſſe eſt) ſed quæ-
„ rat in ſublimi, quærat in ſummo: quia nihil poteſt homine majus
„ eſſe, niſi quod fuerit ſupra hominem. Deus autem eſt major homine;
„ ſupra ergo, non infra eſt; nec in ima, ſed in ſumma religione
„ quærendus eſt: Quare non eſt dubium, quin religio nulla ſit, ubicum-
„ que ſimulacrum eſt. Nam ſi religio ex divinis rebus eſt, divini
„ autem nihil eſt, niſi in cęleſtibus rebus: carent ergo religione ſimu-
„ lacra, quia nihil poteſt eſſe cæleſte in ea re, quę fit ex terra. „
Quæ ſi altius perpendere vellent Romanenſes, facile ſuam, qua imaginum cultu ſuos decipiunt animos, agnoſcerent perſuaſionem. Non veremur hanc Lactantii mentem facere noſtram, & iis omnibus, qui ſuperſtitione, cimmeriis, ut ajunt, tenebris atriore premuntur, e diametro opponere.

4 Tum

(a) pag. 395.

4 Tum vero Græcę Eccleſiæ, quę ſacras imagines veneratur, auctoritate ſibi objecta, eam contemnit: hęcvero inter cetera eloquitur[a], „Ut vero „ res ſemel lapſę facilius in pejus, quam melius mutantur, ita magis „ magiſque a fide primitivæ Eccleſiæ recedunt, & ad Romanenſium „ partes accedunt Græci, niſi forte dixeris; Eccleſiæ Græcæ a Leo„ ne Allatio, Ricautio, Zialovvſckio, Schelſtratio, aliiſque multa „ præter veritatem affingi, quas lites ego jam non compono, ſed ad „ Ven. Jo. Mich. Heineccii, Theologi ſatis celebris, delineationes Ec„ cleſiæ Græcæ lectorem remitto. Nos noſtra ſtamus ſententia, & „ aſſerimus, Deum hoc mandato imaginum uſu Iſraelitis interdixiſſe, „ ne forte eo dementiæ prolaberentur, ut Deum per has imagines „ & ſimulacra colere auderent. Demonſtrent igitur nobis Romanen„ ſes mandatum Divinum, quo Deum ſub his ſignis & ſimulacris a„ dorandum eſſe firmiter adſtruatur. Supponditent nobis promiſſum, de „ gratioſa divina his imaginibus præſentia. „ Objicit vero & no„ bis & Græcis divina eloquia. Verum & hanc ipſis Kieslingii verbis exhibere libet objectionem [b] „ Contrarium ipſis facile hoc Jeſu effato „ probamus: *Venit hora, cum nec in hoc monte, nec Hieroſolymis Pa„ trem coletis. Adventat hora & nunc eſt, qua veri cultores Patrem a„ nimo & veritate colent.* Joa. IV. 21. 23. Priorem cultus divini „ tradit Chriſtus rationem, quæ a Vet. Teſtamenti ratione maxi„ me eſt diverſa. Evanuerunt, inquit, umbræ quæ in Templo Hie„ roſolymitano conſpiciebantur. Sine his Symbolis & umbris ſola „ mente Deus Nov. Teſt. eſt colendus. Putabant Judæi in Templo „ Hieroſolymitano ex præcepto Divino Deum eſſe ſolummodo invo„ candum. Et Samaritani eadem de ſuo ſtatuerunt Templo. Deus e„ nim gratioſa ſua præſentia habitavit ſuper arcam fœderis, & om„ nis cultus Leviticus et typicus in templo Hieroſolymitano erat per„ agendus. Tranſiit autem Nov. Fœdere hæc umbra, & externi cul„ tus ratio. Deus jam ſine his typis, et externis Symbolis, animo „ et veritate & adorari, & coli voluit. Unde quæſo Ven. Abbas, „ imaginibus conciliabis præſentiam Divinam? Ex Dei forte omni„ præſentia? Bene. Sed ſic tuto quivis Deum ſub trunco & lapide „ invocare poteſt; nam Deus ubique præſens eſt, et omnia, ut ſpi„ ritus immenſus ſua præſentia replet. Probes velim mihi, gratio„ ſam imaginibus Sanctorum promiſſam eſſe præſentiam, qualis fuit „ in Arca fœderis, quæ tamen ab Iſraelitis non eſt culta. Gratioſa „ vero præſentia cum divina virtute & operatione eſt conjuncta, ut „ Deus in his imaginibus præſens ſit, preces & deſideria ad imagi„ nes effuſas audiat, et per hæc, quæ vos exoſculamini, ſimulacra, „ virtute, quæ iis ineſt, divina, ferat auxilium. Nullibi Deus dixit, „ ſe domicilium ſuum in his imaginibus erecturum eſſe, ſed in ani„ mo piorum. Joan. XIV. 23. *Veniemus ad ipſum, & manſionem apud*

(*a*) pag. 397. (*b*) ibidem.

apud eum faciemus. Habitabo & ambulabo in ipſis ,, 2. Corinth. VI. 16. ,, Arca fœderis fuit Symbolum gratioſæ Dei præſentiæ : non vero i- ,, mago S. Ignatii , et S. Urſulæ . Preces noſtras ſine omnibus ſimula- ,, cris effundendas eſse , Deus præcepit , ut jam dixi . Imagines mi- ,, gis mutæ ſunt , quam piſces , neque noſtra audire poſſunt defide- ,, ria , neque eadem ad Deum deferre . Infelices ſane ſunt homines , ,, qui his mutis , et ſurdis precum ſuarum utuntur interpretibus . Ve- ,, rum hic eſt illud Comici : Surdis narratur ſeu oratio . Nullum de- ,, nique nobis ab his imaginibus , potentia agendi , et operandi de- ,, ſtitutis , ſperandum eſt auxilium . Satis triſtes ſuos cultores dimit- ,, tunt Sanctorum ſimulacra , nec illa ſibimetipſis a dolis , injuriis , et ,, furtis hominum proſpicere poſſunt . ,, Tum Ovidii verſiculos con- firmationis cauſa non veretur adjungere .

Felices illi , qui non ſimulacra , ſed ipſos ,
Quique Deum coram corpora vera vident .
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum ,
Quos dedit ars vultus , effigiemque colo :
Sic homines novere Deos , quos arduus æther
Occulit , & colitur pro Jove forma Jovis .

Poſt hæc adjicit (*a*) Kieslingius : *Impurum per imagines reddi divinum cultum natura patet ſua , nec adeo cæci , & pertinaces ſunt omnes Pontificii , ut hoc negent , & hunc craſſum , & fabis duriorem concoquant cibum , ut potius nonnulli aperte profiteantur , imaginum cultum vel eo ſolo nomine ex Sacris Chriſtianorum eſſe expellendum , quod rudes & ſtupidos in rebus divinis efficiat hominum animos . Toſtatus , Abulæ olim Epiſcopus nulli eruditione ſecundus , ita ſentit :* ,, Vetuit , *inquit* , Deus non ſolum imaginem a- ,, liquam adorari , ſed ſeipſum etiam adorari in imagine . *Et poſt* ,, *pauca* . In imaginibus ſignantibus Deum pure , ſcilicet Trinitatem , ,, duo inconvenientia ſequi poſsunt . Primum idololatria , ne etiam ,, imago colatur : Secundum , error , et hæreſis , ſcilicet attribuere Deo ,, corporeitatem , et eſsentialem differentiam , qualem tres illas fi- ,, guras conſpicimus . ,, *Accurate hujus mandati ſenſum introſpexit , & vim ejuſdem expreſſit Toſtatus , qui veritatis Lutheranæ hoc in argumento eſt confeſſor , ut merito erubeſcant Romanenſes , has Toſtati ſententias judicio limatas rite expendentes . Conſentit Mimatenſis Epiſcopus , Durantus , vir ſeculo decimo tertio haud incelebris , qui imaginum cultum pro ſuperſtitionis lenocinio auctoramentoque habet , ita judicans :* ,, Nec ,, ipſis [de Sanctis et angelis loquitur) adorationis ſervitus , ſed ſo- ,, li Deo impenditur ; ne , ſi ſecus fiat , non theoſebiæ cultus exhibea- ,, tur , ſed idololatriæ crimen incurratur , ſerviendo creaturæ , tan- ,, quam creatori , et mutando gloriam incorruptibilis Dei in ſimili- ,, tudinem corruptibilis hominis . Si igitur nec homines , nec Angeli ,, adorandi ſunt , attendant , quid agant , qui ſub prætextu cujuſdam

,, re-

(*a*) pag. 599.

„ religionis, seu pietatis diversas adorant imagines. Non enim licet „ aliquid manufactum adorare. „

5 Deinceps vero imaginum cultum reprobat, quod imagines a divino cultu avertunt, & ad Sanctorum *defectum venerationem*, ideoque in superstitionem. *Superest itaque superstitio*[inquit Kieslingius [a]] *quæ bis imaginibus mirum in modum alitur, & augetur, quod Deus expressis his verbis indicat: Pariter despiunt, & stulte se gerunt, lignumque eruditionem inanem iis suppeditat*. Jer. X. 8. Tum descripta, & merito reprehensa veterum a Dei cultu aberrantium in simulacris effor-mandis cura, sic demum Catholicos irridet. (b) *Qualem igitur institutionem & eruditionem ab his Sanctorum imaginibus expectabis? Inanem, & omnino talem, quæ proxima via homines ad superstitionem rapit, quod commate 15. cap. X. Jerem. asseritur*: Sunt mera inanitas, opusque errorum! *Uno quasi partu innumeros fere errores progenerant imagines, & ad devium cultum alliciunt mortales*.

6 Addit (c), *Romanenses* (sic enim Catholicos appellat) *nullum divinum circa imaginum cultum afferre posse mandatum. Argumenta, quæ ex veteri testamento corradunt, nullo mandato nituntur divino, sed e signis, symbolis, & ritibus Hebræorum male excerpuntur. Habet proinde Veranius necesse profiteri, nullum de imaginibus Sanctorum colendis extare mandatum*.

7 Quoniam vero consuetudinem allegat Veranius, hanc irridet Kieslingius, utpote a Gentilibus derivatam, nec tribus prioribus sæculis in Ecclesiam inductam, sed tum demum inductam, quum [d] *adoratio imaginum in Concilio Nicæno II fraudulenter, & satis violenter stabilita est*. „ Cui „ tamen consuetudini in Ecclesiam introducendæ strenue se oppose-„ runt omnibus sæculis Ecclesiæ Patres, qui ut hunc potissimum ritum „ e superstitione gentilium profluentem, a Sacris Christianorum extermi-„ narent, summa sunt nisi ope. Et si a bello inde Trojano natales hu-„ jus vanæ consuetudinis deducerent Romanenses, nullum tamen suo-„ rum Sanctorum cultui acquireret præsidium: quia veritas antiquior „ est mendacio. Ratio Deum sine simulacris devenerandi antiquior est „ consuetudine simulacra adhibendi in cultu divino. Evanescit argumen-„ tum a traditione depromptum. Nam traditiones, ut ipsi concedunt, „ vel sunt divinæ, a Christo, quum rebus humanis interesset, institutæ, „ vel Apostolicæ, ab Apostolis & viris Apostolicis traditæ, vel Ec-„ clesiasticæ ab antiqua Ecclesia receptæ. Cultus imaginum non est „ traditionis seu institutionis divinæ, quia ex propria Veranii confes-„ sione neque a Deo, neque a Christo legitur traditus & demandatus: „ non est traditionis Apostolicæ, quia neque Apostoli hunc imaginum „ cultum vel scriptis demandarunt, vel sua auctoritate, & præsentia „ in Ecclesiis quas condiderunt, unquam ordinarunt, ut potius suos „ fideles a cultu idololatriæ sint dehortati: *Filioli cavete Deasiros*. I. „ Joan.

(a) pag. 400. (b) pag. 400. (c) §. XX. pag. 400. (d) pag. 401.

Digitized by Google

„ Joan. V. 21. Non eſt traditionis Eccleſiaſticæ hæc colendi ratio; quia „ Eccleſia Chriſtiana ultra trecentos annos eam ſalvo fidei, & purioris „ cultus fundamento ignoravit. Et ſi vel maxime hæc conſuetudo ex „ traditionum fonte admodum impuro, & fœtido promanaret, dul„ cius tamen ex ipſo Dei fonte hauriuntur aquæ, & doctrinæ de cul„ tu Deo deferendo ſalutares. Non enim lubricis, & prorſus falſis „ opus eſt figmentis, quum omnia fidei Chriſtianæ capita nobis in„ verbo Dei ſcripto ſint tradita: *& quot ſecundum hanc incedunt nor„ mam, ſuper eos erit ſalus.* Galat. VI. 16. Hæc igitur de Idolis, quæ „ Laodicenſes tetigerunt ſuo decreto, dixiſſe ſufficiant. „ Hactenus Kieslingius.

CAPUT V.

Occurrimus iis, quæ adverſus Catholicos in ſuperioribus Kieslingii excurſionibus proponuntur.

1 AT hæc ipſa, tametſi tam ſplendide effuſa, leve negotium nobis faceſſunt. Sequor autem te preſſo pede Kieslingi, & a §. tuo XI exorſus iis ſatisfacio, quæ propoſuiſti. De vocibus his: *imago, ſimulacrum, & idolum* ſatis egit Trombellius Capite I Diſſertationis IX editæ anno 1743; ideoque diu antequam tuæ egregiæ exercitationes adverſus eum prodirent. Porro Trombellii dicta dum approbo, fateri non vereor, vocem hanc *ſimulacrum* ab Eccleſiaſticis ipſis auctoribus in bonam partem fuiſſe aliquando acceptam. Hoc modo Lactantius (*a*): *Tum fecit ipſe Deus ſibi ſimulacrum ſenſibile, atque intelligens, ideſt ad imaginis ſuæ formam, qua nihil poteſt eſſe perfectius, hominem figuravit ex limo terræ.* Imitantur Lactantium Zeno Veronenſis (*b*), & Sulpicius Severus [*c*]: *Uno* [inquiens] *atque eodem in loco ſtabant fixa ſimulacra.*

2 Quos nos colimus Sanctos, alibi aſſerui: Tu ea quæ tradidit Trombellius (*d*), conſule. Quod ſi accidat, ut quis Sanctum honoret, quem extitiſſe putet, quamvis nunquam extiterit, is quidem in cognitione hiſtoriæ errat: qui error, ſi fieri poteſt, tollendus eſt: ſed idololatra, aut ſuperſtitioſus dici minime debet. Quis enim idololatriam, aut ſuperſtitionem appellet *errorem facti*, quem nullus malus dolus inficiat? Quid? quod ſi cultum Sanctis delatum diligentius expendas, is demum in Deum terminatur (*e*), cujus victorias agnoſcimus, & honoramus, dum Sanctos colimus. An non etiam dum Sanctum

(*a*) lib. 2. cap. 10. (*b*) lib. 1. tract. 2. n. 2. pag. 86 editio. Veron.
(*c*) Dialo. 2. cap. 5 pag. 104. editio. Vero. (*d*) Diſſer. VIII. cap. 15. 16. &c. Adde quæ ego jam docui. [*e*] Tromb. diſſ. IV. art. 8. &c.

Digitized by Google

quem tu nullum esse supponis, honoro, quæcunque illi Sancto ineſſe cenſeo merita, a Deo illa prodiiſſe agnoſco, profiteorque? Hoc ſaltem itaque aſſequimur, ut Deum virtutum omnium, & meritorum originem eſſe fateamur, ideoque ad eum veluti certiſſimum, & indubitatum objectum, honorem quemlibet noſtrum, venerationemque dirigamus. Atque id quidem ſatis eſt, ut a ſuperſtitione atque idololatria remotiſſimum dicamus cultum, quem Sancto ſive vero, ſive, ut tuis utar verbis, ſuppoſito deferimus.

3 Quæ adverſus Maſenium, & Veranium effundis, ad Trombellium minime pertinent, ideoque mea non intereſt ea vindicare. Id tamen difficile non foret. Cauſa, quam agimus, ſeu [ut tu elegantiſſime pro more loqueris [*a*]], *Punctum difficultatis* non in eo conſiſtit, quod tu dicis; *num ſcilicet per ſimulacra, & imagines Deus coli velit*: nullus enim Catholicorum quæſtionem hanc propoſuit; immo Trombellius expreſſiſſime dixit, Hebræis interdictam fuiſſe quamlibet Dei imaginem (Diſſer. IX. cap. 12.); Chriſtianis vero quanam ratione & permiſſa fuerit, & interdicta, diſces ex capitibus XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, & XXIX. Sed hic quærimus, *quis nam ſit ſenſus canonis trigeſimi Synodi Laodicenæ: & num eundem canonem recte explicarit, an non, Trombellius*: generatim vero quærimus, num Sacras imagines formare poſſimus, & num eas externis quibuſdam amoris atque honoris argumentis proſequi, qui quidem honor, & amor non in ipſis imaginibus ſiſtat, ſed ad earum prototypa feratur: quæ *argumenta cultus* improprie dici poſſunt: neque enim quiſquam e Catholicis *imagines ipſas colit*, ſed honorem quem imaginibus defert, quiſquis is eſt, ad earum prototypa dirigit. Quoniam vero tu Trombellii ſcripta tibi propoſueras exagitanda, cur non ea conſuluiſti, quæ de imaginum cultu ipſe tradidit? Sane capite 38 Diſſertationis X hæc ille ſcripſerat. [*b*] „ Ad quatuor ſumma genera revocari poſſunt ea, quæ extant „ hac in quæſtione ſententiæ. Arbitratur prima, ita ferri ad imagines „ ipſas honorem, venerationemque iis adhibitam, ut in iis hæreat; „ ſiſtatque. Talem ſcilicet in iis imaginibus præſtantiam, atque ex„ cellentiam ineſſe putat, quæ eas non levi honore ac reverentia di„ gnas efficiat. Hoc in errore [neque enim aliter appellaverim] fuiſ„ ſe verſatos nonnullos evincunt ea, quæ capite X diximus. „ Et deinceps (*c*): „ Nihil de prima apertiſſime falſa, & ab Ec„ cleſiæ definitionibus alieniſſima opinione hic dicam, quam ſatis ali„ bi repuli: nulloque etiam impetente per ſe ipſa corruit. Quid e„ nim præſtantiæ, aut excellentiæ habet inanima imago, ut eam co„ las? Quid demum tibi tribuet aut ſubſidii, aut opis id, quod ne„ que tuas audire preces, neque intueri animum poteſt, aut vota reſpicere? Profecto omnia fere, quæ adverſus ſupplicantes Imperato„ rum ſtatuis congeſſere noſtri, in eum jure, meritoque conferrentur, „ qui

[*a*] pag. 391. (*b*) §. 2. pag. 187. (*c*) §. 10. pag. 198.

„ qui imagines ipſas veneraretur. Sed hæc obiter: neque enim mul-
„ tis refellere oportet errorem eum, quem, uti nuper dixi, nunc
„ nemo ſequitur.

4 Amplectitur porro Trombellius quartam, poſtremamque ſententiam, eorum ſcilicet, [a] qui „ *nullo peculiari cultu*, qui in imagine ipſa conſiſtat, & abſolutus ſit, eam venerandam ajunt, ideoque ad exemplar ipſum omnino tranſire, dirigique ſtatuunt cultum. Hinc ſi Imaginibus extrinſeca quædam venerationis ſigna adhibentur, veluti „ oſculum, thuris accenſio, & id genus alia, ſiquando cultus argumenta ſunt (nam amoris index eſſe oſculum poteſt), argumenta „ ſunt cultus, quo prototypum proſequor, licet extrinſeca ipſa argumenta, quæ ad prototypum ſenſibus noſtris ſubductum pervenire nequeunt, in imaginibus ipſis hæreant. „

5 Cur vero hic affers locum illum Exodi: *non facies tibi ſculptile &c.*? An verebaris, ne omitteret illum Trombellius? At is non eſt qui difficultates diſſimulet, ſed is qui apto in loco eas proponit ſibi diſſolvendas. Conſule itaque quæ capite VI Diſſertationis IX copioſe docuit.

6 Quod ex Iſaiæ cap. XL. 18 objicis: *Cui aſſimilabitis Deum &c.*, abs re eſt: neque enim de Dei imaginibus hic diſputatur. Ceterum qualecunque illud ſit, illuſtratur iis, quæ Capite XII Diſſertationis IX tradita ſunt a Trombellio. Utinam vero Kieslingi mi locum ipſum librorum Carolinorum allegaſſes, in quo ea quæ objicis, traduntur: dum enim ex aliis recitas, nec locum indicas, in ſuſpicionem inducis, ne hæc falſo allegentur. Et ſane inter notiſſimas ex Carolinis libris deſumptas objectiones locus ille minime recenſetur, tametſi nemo illum omitteret, ſi in Carolinis libris verba ea extarent. Ceterum quænam ſit librorum iſtorum auctoritas, quænam ſcriptoris illorum opinio, tradidit Trombellius cap. 19, & ſequentibus Diſſertationis X. Ea conſule. An non Trombellius fidem hoc potiſſimum in argumento expoſcit, cum nemo ante illum de Carolinis libris accuratius ſcripſerit, aut locupletius?

7 Quod porro numero XIII (*b*) de Laodicenis Patribus narras; ſcilicet eos damnaſſe, qui Angelorum imagines, & ſimulacra adorabant, novum profecto eſt; et nemo [quem ego noverim] ante te tradidit. Undenam vero hæc didiciſti Kieslingi? Quænam vox in ea Synodo eſt, quæ interpretationem tam mirificam nobis ſuggerat? Nihil profecto vel in trigeſimo quinto nobis objecto canone, vel in aliis quibuſcumque invenies, quod id innuat. Quænam itaque tua animoſitas eſt, ut tam audacter, ac tam certo proferas? Ad hæc: Quodnam novum probationis genus eſt iſtud, quo uteris Kieslingi, ut Angelorum imagines inter idola recenſeas? (*Imago enim ſi vel maxime ſit Mariæ, aut S. Laurentii ſimulacrum, in idolum abit, & hujus ſpeciem induit, quando adoratur, & colitur, ut libri Carolini appoſite, & accurate tradunt.*) Si de

[a] §. IX. pag. 190. (*b*) pag. 392.

Digitized by Google

eo genere cultus, quod Catholici imaginibus tribuunt, loqueris, tam falsa hæc sunt quam quod maxime: neque enim aut divinum tribuimus, aut sistentem in imaginibus ipsis. Sed præterea hoc etiam habent incommodum monita hæc tua, ut ex iis omnino non possis eruere, quod tu eruere studes: Scilicet Angelorum imagines fuisse adoratas ab iis, quos synodus Laodicena damnat, aut statim fieri idola, si quomodocunque colantur, ideſt eo etiam genere cultus, quod Catholici iis adhibent.

8 At age rursus Kieslingi. Cur maxime Mariæ Sanctissimæ, ac Laurentii Martyris imagines, seu, ut tuo utar nomine, simulacra vis in *idola abire, & borum speciem induere, quando adorantur, & coluntur*: eaque de re nos allegas ad Carolinos libros, quos *appositè, & accurate* id tradidisse ais? Si colantur imagines ipsæ, jam dixi, procul dubio summum in eo errorem committi, neque magis errabitur, si sint *Mariæ, aut Laurentii*, quam si sint alterius cujusque Sancti imagines. Si relative colantur, ideſt, ita ut cultus ad earum prototypa ascendat, *cultus* vero nomine eum honorem intelligas, quem Catholici Sanctis deferunt, ideoque a divino remotissimum; idola non fient sive Deiparæ, sive Laurentii, sive alterius cujuspiam Sancti imagines. An affinitatem cum idolis habet Maria, & Laurentius, ut eorum imagines maxime in *idola* abeant, si colantur? Sed rursus age, quoniam Carolinos libros allegas, cur in accusatione gravissima eorum verba non affers? immo cur saltem non locum indicas, in quo hæc tradunt? Visne ne tibi sæpe mendaci, & ubique negligentissimo fidem demus? Sane tibi ipsi eam adimis, cum Carolinos libros *appositè, & accurate* id tradere ais, & tamen appositа, & accurata eorum verba non affers, cum interea auctorum, qui apud nos nullius nominis sunt, testimonia perquiras, & tota exscribas, ut tuos libros inferciās.

9 Quod ex Nysseno attulisti (*a*), hanc habet veracissimam explicationem. Loquitur Nyssenus de ea adoratione, quæ *rigorosè & antonomastice adoratio* dicitur: & Deo tantum adhiberi potest. Porro Ariani dum Unigenitum Dei creaturam faciebant, & tamen eum *adorari* volebant [rigorosè sumpta adoratione] sectatoribus suis præcipiebant, ut divinum cultum ad eum transferrent, quem Creaturam esse putabant. Hanc esse verborum Nysseni significationem, is facile assimabit, qui verba ipsa expenderit.

10 Apostoli Pauli monitum idolorum cultores ferit, non nos, qui cum Tridentino Concilio expressissime dicimus [*b*], „ imagines Christi, „ Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem imper„ tiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, „ propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel

[*a*] §. XIII. pag. 392. (*b*) Sess. XXV. *De invocatione, & veneratione, & reliquiis Sanctorum, & Sacris imaginibus.*

„ vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gen-
„ tibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui
„ eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per
„ imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & pro-
„ cumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem
„ gerunt, veneremur.

11 Quod ex Iræneo protulisti, veracissimam, & probatissimam capite 45 Dissertationis IX (*a*) Trombellii responsionem habet.

12 Paragrapho tuo XIV sic occurro. Probavit Trombellius, preces porrectas Sanctis esse porrectas Deo: sunt enim eædem preces commendatæ Sanctis, sed ad Deum vere diriguntur. Vide caput XXVIII Dissertationis V (*b*). Probavit etiam idem Trombellius, cultum qui imaginibus defertur, nullo modo in eis sistere, sed prorsus ad earundem imaginum prototypa ascendere, ac dirigi, adeo ut cultus imaginibus delatus *sit mere relativus*. Vide caput XL, & sequentia quinque Dissertationis X. Probavit denique, ea honoris argumenta, quæ deferimus Sanctis, sive ipsis immediate, sive in eorum imaginibus, non esse indicia divini cultus. Vide caput 23 Dissertationis VI [*c*] Trombellii. Quibus quidem constitutis, plane eruitur, ea quæ Romana Ecclesia approbat, honoris argumenta, sinitque Sanctis, & eorum imaginibus deferri, nec superstitiosa esse, nec improba. Quæ porro de SS. Christophoro, Viar, & Theophoro adjungis, solutionem jam habent ex pridem dictis.

13 Puerilia sunt porro Kieslingi mi, quæ adversus Lauretanam Deiparæ imaginem evomis. Nigra sit illa, & deformis, sive artificis imperitia, sive vetustate ipsa, sive multitudine luminum in eo sacello ardentium. An propterea contemnenda? Nihil minus. Arcam ipsam veteris fœderis, super quam Maiestas Domini residebat, multis elapsis sæculis nonnihil veteris nitoris, ac speciei amisisse, arbitramur: nec propterea illam despexit quispiam. An pulcritudo speciei ipsius, an non potius vetustas ipsa imaginis nos permovet ad eam honorandam, seu, ut verius loquar, ad honorandam in ea Mariam?

14 Putidissimæ sunt autem, & homine cordato indignæ, eædemque a Theologica dignitate remotissimæ tuæ illæ de Mariæ Lauretana imagine voces. (*d*) *Tunc igitur Trombelli hanc veram esse Mariæ imaginem credis? Cur non eam lavas? &c.* In quibus rebus dicendis, mi Kieslingi, plane ostendis, te nostram de imaginibus colendis doctrinam omnino ignorare, &, mihi crede, perridiculus es.

15 Nemo nostrum, imaginem illam veram Mariæ Sanctissimæ imaginem esse censet, nec veremur notissima illa Augustini verba [*e*] in rem nostram transferre: *Neque enim novimus faciem Virginis Mariæ, ex qua ille a viro intacta..... mirabiliter natus est.* Sed tantummodo dicimus

(*a*) pag. 200, & 201. [*b*] pag. 91. (*c*) pag. 309. (*d*) pag. 394.
[*e*] cap. 4. alias n. 7. libri VIII. *de Trinitate*.

mus valde vetuſtam Mariæ imaginem eſſe illam, in qua Deus, & Maria glorificari voluerunt. Hoc mihi ſatis eſt, ut eam in honore habeam, colamque, eo tamen cultus genere, quod capite XL, & ſequentibus quatuor Diſſertationis X Trombellius explicavit. Quæ porro adverſus Turſellinum effundis, nec præſtantiam præclariſſimi illius ſcriptoris imminuunt, nec fidem detrahunt iis, quæ narrat.

16 Quæ de Deiparæ imagine Joanni I, & S. Gallæ per ſummum miraculum conceſſa narras, plane nova mihi ſunt, nec certe dum Romæ per totos tres annos moram traxi, quidquam audivi aut de Sacra illa Mariæ imagine, quam tu deſcribis, aut de templo, quod S. *Maria in Xyſto* appelletur. Hinc narratiunculam hanc eſſe puto ex earum genere, quas vos ſæpe fingitis, ut Catholicorum conſuetudines irrideatis. Sed ſi vera ſunt, non aliud probant, niſi Mariam Virginem ea ſpecie Gallæ apparuiſſe, qua ſpecie formata eſt imago illa.

17 Valde porro te in Scholaſticorum doctrinis imperitum indicas Kieslingi, dum hæc ais (*a*): *Vellem explicent Romanenſes rationem canonis, quem ipſi admittunt: Relata ſimul ſunt & natura, & cognitione. Demonſtrent quæſo, num in cultu imaginum fictarum, & dubiarum relatio quædam, qua naturam, & cognitionem* (*b*) *ſit ſtatuenda.* Scilicet effatum illud ſic fere enunciant: *Relata ſunt ſimul natura*: tum illud ſic explicant, *ideſt cognitione*: Declarantes quod *naturæ* nomen hic non accipitur pro ſtatu quodam naturali, aut pro actuali exiſtentia, ſed pro cognitione: alias cum ſæpiſſime res præteritas, futuras, etiam mere poſſibiles mente apprehendamus, eæ *reipſa*, & *actu* exiſterent, ſi naturæ nomine intelligeremus actualem exiſtentiam. Sed quomodocumque effatum illud exprimas, ſenſus illius is ipſe eſt, quem nuper expoſuimus, ideſt; unum relatum ducere in notitiam alterius, ita ut poſtea ſimul mente apprehendantur: hoc modo Pater ducit in filii notitiam, & contra. Sic imago, qualiſcunque ea eſt, ſive recte prototypum exprimens, ſive prave, dummodo nos ducat in cognitionem illius, quem aut exprimit, aut nos putamus, & quomodocumque volumus exprimere, ſatis id eſt, ut affirmetur de ea, & prototypo, duobus relatis, *ea eſſe ſimul*, in mente ſcilicet. Hæc facile Scholaſticorum auctoritate firmarem, niſi notiſſima eſſent, & uni Kieslingio omnium hominum, ſuo quidem judicio, doctiſſimo ignota.

18 Venio ad Hieronymum. Illius verba quæ objicis, ſi nude, uti dici mos eſt, & *preciſe* accipiantur, multo plus probant, quam tu velles; ſcilicet idola haberi apud omnes, cum nemo ſit, qui aliquam mortui imaginem apud ſe non ſervet. Non is ergo, quem tu Hieronymi verbis tribuis, eſſe poteſt eorundem verborum ſenſus, ſed hic eſt. Idola mortuorum imagines ſunt, quatenus ex libro Sapientiæ diſcimus, idololatriam enatam eſſe per mortui imaginem affabre,

(*a*) pag. 395. (*b*) aut verbum aliquod hic deeſt, aut certe nullum habent ſenſum hæc verba.

bre, & elegantiſſime efformatam, & temere adoratam: Ex hiſtoriis vero aſſequimur, per eaſdem imagines, eas præſertim, quæ Principes ſub deorum ſpecie repræſentabant, propagatam fuiſſe & excultam. Fortaſſis etiam hunc habent ſenſum. Idola non aliud ſunt, niſi *imagines mortuorum*, quia ii, qui dii appellantur, veluti Juppiter, Neptunus, Venus, & hujus modi reliqui, veri dii non fuerunt, ſed homines, qui, dum viverent, aut certe vita functi divinum cultum temere ſunt aſſecuti. Horum igitur imagines, nunc etiam divinis honoribus adoratæ, ideoque *idola*, mortuorum imagines ſunt, quatenus ſunt imagines eorum, qui, uti dixi, pro diis habiti, & divinis honoribus affecti ſunt. Quæ de hujuſmodi hominibus Diodorus Siculus, aliique veteres narrant, veriſſimam hanc eſſe explicationem comprobant. En itaque quid indicet Hieronymus, dum hæc ait (*a*): „ Nunc autem quia „ jam audierat Iſaiam dicentem: *Ne timeas a facie verborum, quæ audiſti, quibus blaſphemaverunt pueri regis Aſſyriorum me, &c.* audacter „ Dominum deprecatur, & ſolum Deum aſſerit eſſe viventem: quæ „ idola intelligimus imagines mortuorum. Quodque infert: *Vere enim „ Domine deſertas fecerunt reges Aſſyriorum terras, & regiones earum, „ & dederunt deos earum igni; non enim erant dii, ſed opera manuum „ hominum, lignum, & lapides: & comminuerunt eos*, multis probatur hiſtoriis, quæ ſcribunt reges Perſarum veniſſe in Græciam, & ſubvertiſſe, atque ſpoliaſſe templa græcorum, ultionemque poſtulat, „ ut per occaſionem ſui omnia regna cognoſcant, quod ſolus ſit Deus, qui „ poſſit ſuos de diſcrimine liberare. „

19 Objectus Lactantii locus [*b*] hunc ſenſum habet. Dei natura ſpiritualis eſt prorſus, & ab humanis obtutibus remotiſſima. Errant ergo qui ſimulacris eam exprimere ſtudent. An vero divinam naturam ſpecie aliqua exprimimus? Vide quæ de Dei imaginibus Trombellius ſcripſit Diſſertatione IX. cap. XXIII, & ſequen. Ex illis porro, & ex iis quoque quæ nuper ex Trombellio attuli, aſſequeris, quid reſpondendum ſit non modo ad ea, quæ ex Lactantio deſumpſiſti Kieslingi, verum etiam ad ea, quæ ex Arnobio, aliiſque vetuſtis ſcriptoribus Proteſtantes non raro deſumunt, objiciuntque Catholicis.

20 Ea porro quæ de Græcis in Sacrarum imaginum formatione nobiſcum ex parte conſentientibus, ex parte diſſentientibus a nobis, Kieslingius adjicit, remotiſſima ſunt ab eo, de quo agimus, argumento. Tamen quoniam vis, de eo etiam nos differere, paucis ajo non ab horrere prorſus Orientales ab aliquibus Dei imaginibus, ſymbolicis ſaltem. Vide quæ tradit Trombellius n. 3 capitis XXVII Diſſertationis IX; rurſus quæ tradidit n. 9. capitis ſubſequentis, ideſt XXVIII. Abhorrere quidem eos fateor a formandis vel ligno, vel ære, vel alia conſiſtente materia Sanctorum imaginibus, vel ut a latinorum, quos nunc

(*a*) in eundem locum, ideſt ad verſ. 14, & 15 capitis XXXVII Iſaiæ. [*b*] §. XV. pag. 395.

nunc averſantur; conſuetudine, aliqua ex parte recedant; vel quod metuant, ne incommodum aliquod, aut ſuperſtitio ex ea re in Eccleſiam irrepat. At ſi hoc ipſum in Eccleſia Latina metueretur, hoc ipſum evitaretur. Effuſiſſimi ſane ſunt in Sacrarum imaginum cultum Græci, non ut nobis obſequantur, quos oderunt maxime, ſed quod vetuſtus Eccleſiæ ritus, atque utilitas ex ea re derivata id ab eis poſtulat. Quæ afferuntur ſive ex Scriptura, ſeu ex Theologica ratione, ut Deus ſine ſymbolis, & corporeis ſpeciebus ſola mente colatur, ſatis a noſtris illuſtrata ſunt: Ceterum quis ignorat, hoc tantum ſenſu *ſine ſymbolis, & corporeis ſpeciebus* colendum eſſe Deum, quatenus Symbolis veteris legis, quibus Chriſtus indicabatur, ſubſtitutus eſt Chriſtus ipſe? Sine corporeis vero ſpeciebus colitur Deus, quatenus nemo noſtrum Deum Hieroſolymitano templo veluti detentum, aut certe inhabitantem concipit, uti rudis plebs Judæorum ſibi perſuadebat, neque ſub corporea ſpecie ſibi quiſpiam exhibet Deum, uti indocti quidam ſibi fingebant.

21 Sed quem feriunt illa, quæ §. XXVII (*a*) ſcribis? Sane aerem verberas, dum hæc ais: *Unde quæſo Vene. Abbas imaginibus præſentiam conciliabis divinam? Ex Dei forte omnipræſentia? Bene. Sed ſic tuto quivis Deum ſub trunco, & lapide invocare poteſt, nam Deus ubique præſens eſt, & omnia, ut ſpiritus immenſus, ſua præſentia replet. Probes velim mihi gratioſam imaginibus Sanctorum promiſſam eſſe præſentiam, qualis fuit in arca fœderis, quæ tamen ab Iſraelitis non eſt culta.* Nihil horum dicimus Kieslingi mi, ſed cum Tridentino, quod millies allegavi, teſtamur (*b*), *imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa.*

22 Quomodo porro imagines colendas putet Trombellius, edocuit ille capite quadrageſimo, & ſubſequentibus quatuor Diſſertationis X. Sane non vereor dicere, ſicut arca cultu *mere relativo*, qui ad Deum ipſum aſcenderet, dignata eſt, ita cultu relativo, qui ad earum prototypa aſcendat, nos afficere Sacras imagines. Deum ubique eſſe, lociſque omnibus præſentem, in quibus quidem locis invocari poſſet, quis negat? Verum licet ubique ſit, in aliquibus tamen locis glorificari magis vult, & ſuam declarare omnipotentiam. Vide quæ hoc ſuper argumento Trombellius tradidit (*c*).

23 Quod ex Comico affers, ſeu verius afferendo depravas (cum nullum habeant verba illa ſenſum: *ſurdis narratur ſeu oratio*), reſpon-

(*a*) pag. 308. (*b*) Seſſ. XXV *de invocatione, & veneratione, & reliquiis Sanctorum, & ſacris imaginibus.* (*c*) Diſſert. VI. cap. 34. &c.

ſponſionem hanc habet. Donec profana adducis, & ab inſtituto noſtro alieniſſima, dic quod libet: nihil ad nos iſta pertinent.

24 At Toſtatum objicis virum ſane præclariſſimum, & orthodoxum. An ea quæ ex eo profers, ad Angelorum cultum, de quo ſynodus Laodicena agit, pertinent? ah non potius ab eo argumento ſunt remotiſſima? Fac tamen ad Exercitationem hanc tuam pertinere, cum procul dubio non pertineant: reſponſionem aptiſſimam habent capite XXIX Exercitationis IX Trombellii [a].

25 Quod ex Durando adverſus Trombellium urges, aut non legiſti Kieslingi, aut ſi legiſti, improbus es, qui totum non affers, ſed portionem illius tantum, quam tibi favere putas, amputata portione reliqua, quæ expreſſiſſime Trombellio, & reliquis Catholicis favet. Quamquam ea ipſa, quam adduxiſti, apertiſſime Trombellio favet, qui jam dudum monuit, & paulo ante rurſus id ipſum tradidit, imagines ipſas, cultu ſcilicet in ipſis ſiſtente, omnino non poſſe honorari, ſed cultum quemlibet ad eos ferri, qui in imaginibus repræſentantur: qui quidem cultus, etſi argumenta exteriora eadem ſint, diverſus eſt tamen pro portione diſcriminis, & dignitatis, atque excellentiæ eorum, qui iis imaginibus repræſentantur. Quoniam vero hæc copioſiſſime pertractavit Diſſertatione IX Trombellius, ad eum te allego. Satis vero mihi eſt, ut totum Durandi teſtimonium hic deſcribam, ut diſpicere poſſit Lector, recte ne, an non illud adduxeris. „ Latria „ ergo (inquit in objecto loco Durandus) eſt ſervitium, ſive cultus „ ſoli Deo creatori debitus, quem debemus ſuper omnia revereri. „ Ad eam quidem pertinent templa, & altaria, ſacerdotalia, ſacri„ ficia, feſtivitates, ceremoniæ, & hujuſmodi, quæ ſoli Deo ſunt ex„ hibenda, juxta illud: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſer„ vies, id eſt, ſoli Deo ſervitutem adorationis impendes. Non enim „ Sanctis, & Angelis ad honorem Dei, ſed potius Deo ad honorem „ Sanctorum, & Angelorum dedicantur templa, & altaria conſecrantur, „ & ſacrificia offeruntur, nec ipſis adorationis ſervitus, ſed ſoli Deo „ impenditur, ut dicetur in proemio VII partis, ne, ſi ſecus fiat, non „ ὑπερδουλεία cultus exhibeatur ſerviendo creaturæ tanquam creatori, & „ mutando gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibi„ lis hominis. Si igitur nec homines, nec Angeli adorandi ſunt, atten„ dant, quid agunt, qui ſub prætextu cujuſdam religionis ſeu pietatis „ diverſas adorant imagines, non enim licet aliquid manufactum ado„ rare, prout probatum eſt in parte prima, ſub tit. de picturis. „ Una quidem tantum Dei Patris eſt imago, quam una cum patris ado„ ratione venerari debemus, ſcilicet unigenitum Dei filium Jeſum „ Chriſtum, qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, cujus „ non ſolum deitatem, ſed etiam humanitatem adorare debemus, „ juxta illud: Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.

(a) §. VII. pag. 116.

„ Ceteras vero imagines, & creaturas ſacras, & ſanctas, ideſt, Angelos, homines, & Sacramenta, non latria, ſed dulia poſſumus venerari. De adoratione Angelorum legitur, quod Abraham oculis eleuatis in convalle Mambre tres vidit, & unum adoravit ex Angelis. Lot quoque duobus Angelis intrantibus civitatem occurrens adoravit, petens ut in domum ſuam hoſpitio declinarent. De adoratione hominum legitur, quod Jacob videns Eſau venientem, præceſſit utramque turmam, & pronus in terram ſepties adoravit. Filii quoque Jacob adoraverunt Joſeph in Ægypto. De adoratione Sanctorum dicit Eccleſia: Crucem tuam adoramus Domine. Et alibi legitur: Chriſtiani ſacras imagines pie venerantur, & adorant. „

26 Quæ numero XIX adducis, & jactas, falſa eſſe omnia ajo contendoque. Nec temere id ajo, ſed id luculenter oſtendit Trombellius capite poſtremo Diſſertationis IX, & capite XLV Diſſertationis X: ad quæ quidem loca te allego. Verba illa: *Miram quandam, & quod puer in faba*, & ſubſequentia, puerilia ſunt mi Kieslingi, nec Theologo digna. Nihil porro continent illa, niſi ampullas, & vana promiſſa, objectioneſque leviſſimas, quas millies diſſolvimus.

27 Ad faciendas ſacras imagines, cultumque iis relativum adhibendum non præcepto ullo adigimur, ſed iis rationum momentis ad eas elaborandas movemur, quæ copioſe recenſuit Trombellius [*a*]: obſequio autem, & reverentia in earum prototypa ad eas honorandas ferimur, non quo eas ipſas honoremus, ſed quod in eis prototypa earum honoramus. Ac jure id quidem agimus: neque enim Chriſtus, Deipara, & Sancti reliqui merentur tantummodo honorari in ſe ipſis, ſed merentur etiam honorari in imaginibus. Num vero SS. Patres ante Concilium Nicænum II ſacrarum imaginum efformationi, ac cultui faverint, an non; num etiam ſacri antiſtites iiſdem Nicæni II Patribus ſacrarum imaginum cultum aſſerentibus obſtiterint, an non, ex Trombellio aſſequeris, accuratiſſime ſcilicet Diſſertatione IX, & X de argumento hoc diſputante.

CAPUT VI.

Expenduntur ea Theodoreti, & Origenis loca, quæ veluti Trombellio objecta illuſtrare ſtudeo, atque explicare Kieslingius.

1 SIbi objecerat cap. VII Trombellius præter Laodicenam Synodum, de qua ſatis antea diſputavimus, Theodoretum, & Origenem. Theodoretum quidem, qui dum commentariis illuſtrat locum illum Apoſtoli Pauli [*b*]: *Nemo vos ſeducat in religione Angelorum* hæc tradi-

[*a*] Diſſer. IX. cap. 76. [*b*] Coloſſ. cap. 2. vers. 18.

tradiderat: *Et in hodiernum usque diem licet videre apud illos, & eorum finitimos Oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc consulebant, atque humilitate utentes, dicentes universorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri: & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Sibi quoque objecerat Origenem in libris *contra Celsum* sæpe damnantem eos, qui per Angelos aditum ad Deum sibi patefieri posse sperabant [a].

2 Theodoreto vero dedit idem Trombellius (b) valde probabilem responsionem, quam cum paulo ante retulerimus (c), hic eam recolere opus non est. Ad evellendam porro ex Fidelium animis quamlibet de Theodoreti opinione suspicionem, hæc adjecerat. (d) „ Utcunque „ sit, cultum proborum Angelorum minime improbatum esse a „ Theodoreto, ex eo persuadeor, quod cultum Sanctis Angelis adhi„ bitum approbat in Oratione III *De curandis Græcorum affectionibus*, „ ex qua aliqua jam verba retulimus. Martyrum quoque cultum ap„ probat tum alibi, tum certe Oratione VIII contra Gentes. Ad „ hæc: fundamentum, ut ita loquar, hujusmodi cultus & agnoscit, „ & palam tradit, dum eosdem Angelos æternæ salutis administros „ fuisse nobis conceſſos a Deo, nostrosque intercessores, ac patronos „ esse edocet. Vide quæ docet ille Oratione nuper laudata: etiam „ quæ in libro Divin. Decret. titulo *de Angelis*: in commentariis quo„ que in versic. 13 capitis X Danielis, aliisque præterea in locis, „ quæ Dissertationibus subsequentibus afferemus.

3 Ad Origenem vero reposuerat: eos damnari ab Origene, qui Platonicorum sectati opiniones, Angelos Christo substituebant, volebantque per eos, minime vero per Christum accessum fieri ad Deum. Ceterum Trombellius monet (e) *Origenem nostra persuasioni minime adversari, quippe qui recte adhibitum probis Angelis cultum omnino non damnat.* Tum hæc adjecit Trombellius: *Id ut clare constet, profero ipsa Origenis verba desumpta ex numero* 13 *ejusdem libri* 8 *adversus Celsum*; (objecti scilicet) *deinde putat*, & reliqua, quæ accurate Trombellius descripsit.

4 At Kieslingius noster, cui hæc displicent, hæc statim subjicit: [f] „ Quæ in calce capitis ex Theodoreto, & Origene affert testimonia, „ tanti non sunt, ut quidquam reponam. Primum jam enervavit B. „ noster Chemnitius [g]. Alterum, quod ex Origene depromit, ipsi „ plane est contrarium. Ita vero fluit. *Deinde putat* (Celsus) *ex eo, quod &c.*; exscriptisque iis ipsis ex Origene verbis, quæ Trombellius adduxit, & ego paulo ante retuli, hæc subjicit (h): *Debellavit* [Origenes, ut puto] *Platonicorum Dæmones, sed Gabrielem, Michaelem, &*

(a) Tromb. cap. VII. pag. 162, & 165. (b) cap. 9. pag. 270. (c) ad Exer. II. cap. III. (d) § 4. pag. 270. (e) Trombel. pag. 272. (f) § XXI. pag. 402. (g) Vide ejus *examen Concil. Triden.* par. III. loco IV. pag. m. 885. (h) pag. 403.

alios in ipsorum locum non substituit Origenes. Dicit bos esse filii unigeniti ministros; sed neque bos Angelos, neque Ethnicorum Dæmones adorandos censet, itaque unum, inquit, Deum, & unum Filium ejus verbum & imaginem, quantum possumus, precibus, supplicationibusque veneramur, offerentes Deo universorum per Unigenitum ejus nostras preces. Dic quæso, bone Trombelli, quibus verbis tuum stabilire possis figmentum? Non dicit Origenes: Nos gentilium Dæmones, qui adorantur a gentibus, retundimus, quia sunt ministri mali illius, & principis hujus mundi administri; sed Gabrielem, Michaelem, & alios, qui sunt veri Dei, & filii ministri, colimus. Ubi quæso hæc legis? aut quibus fidiculis ea extorques? Quod igitur de Dæmonibus colendis improbat, de Michaele colendo non affirmat: sed simpliciter de hoc cultu dicit: Itaque unum Deum, & unum Filium ejus verbum veneramur. *Adjecisset statim hos, quos excitaverat supra, Angelos, si colendos statuisset. Sed altum & sempiternum est de iis silentium: Sic itaque cum Origene ludis, & nos decipere audes.*

5 Cave tamen putes, Kieslingi mi, nos tibi manus victas præbebere. Expendamus obsecro, quæ primum ais: hæc nempe. *Quæ in calce capitis ex Theodoreto, & Origene affert testimonia, tanti non sunt, ut quidquam reponam. Primum jam enervavit B. noster Chemnitius &c.*

6 Sed quam rectius egisses Kieslingi, si interpretationem ipsam Kemnitii attulisses. Places quidem hac tua agendi ratione Lipsiensibus tuis, qui postratos jam dudum a Kemnitio Catholicos putant, sic ut nihil novi afferre hi possint, sed æquo Lectori non places, qui non evagationes aberrationesque frequentissimas tuas, non aggeriem Doctorum tuorum, qui longe aliter ac Catholici sentiunt, in tuis scriptis cupiunt, sed solutionem eorum, quæ Catholici, atque in primis Trombellius, adversus quem te scribere profiteris, afferunt. Evitare scilicet difficultatem conaris, non dissolvis: dissolvi autem a te cupimus, non evitari. Sed tu prudens es Kieslingi, quippe qui subiicere non vis Lectori Kemnitii, ideoque tuam solutionem, ne scilicet despiciatur, quum futilis ea sit. Perquisivi sane illam in eo Kemnitii libro, quem tu allegas, scilicet in *examine Concilii Tridentini*; sed inevitabili malo quodam aliam habeo libri illius editionem, quæ nec paginis, nec operis partitione prorsus respondeat illi, quam allegas. Ego scilicet Kemnitii librum habeo Genevæ editum anno 1641: tu antiquius apud Germanos editum habes. Arbitror tamen te respicere ad eum Kemnitii locum, in quo peculiariter, & copiosissime de Theodoreti auctoritate, & libris agit, scilicet sub hoc titulo: *quando, & a quibus spargi cæperint seminaria invocationis Sanctorum in Ecclesia*: Capite III. pag. 637. & sequen. Genevensis editionis, quam, uti dixi, unice habeo: incipitque: *Chrysostomi igitur discipulum atque sectatorem fuisse Theodoretum Cyri Episcopum scribit Nicephorus*. Summa doctrinæ Kemnitii hæc est, dubitari merito posse, num orationes illæ, quæ inscribuntur: *Curatio græcarum affectionum*, a Theodoreto revera sint editæ, an non: illarum quippe Nicephorus minime meminit. Secundo con-

contemnendam esse Theodoreti auctoritatem, & libros: quippe Scriptor iste sibimet contradicit: etenim in iis orationibus, quas *de curandis græcorum affectionibus scripsit* (a), *multis verbis commendatur, & stabilitur invocatio Sanctorum: in commentariis vero in Epistolas Pauli, quæ ex Nicephori Catalogo certo constat esse Theodoreti, prorsus contrarium traditur. Non ejusdem autem ponderis, & auctoritatis esse ea, quæ ex incertis scriptis proferuntur, cum iis, quæ certorum scriptorum testimonia habent, extra controversiam est. Et inter dissimiles, sive pugnantes Patrum sententias, semper videndum est, utra Scripturæ magis sit consentanea.*

7 Postquam vero & ea attulit, quæ ex Orationibus illis a Catholicis afferuntur, & ea, quæ a Protestantibus ex commentariis in epistolas Pauli allegantur, hæc prioribus præfert, tum quia hæc consentanea sunt canoni XXXV Synodi Laodicenæ; tum etiam quia Theodoretus ipse in compendio *hæreticarum fabularum Cainis hoc tribuit, quod Angeli alicujus nomen invocent: cum tamen Andradius non vereatur scribere, veterem Cainam hæresim esse invocationem Sanctorum improbare.* Concludit denique de Theodoreto ad hunc modum: *Si auctor est librorum de Græcis affectionibus, cum contrarium illis scribat in commentariis ad Paulum, sicut ostendimus, non obscurum esse potest, quid illius narrationi de Martyrum invocatione tribuendum sit. Hanc enim ex collatione Philosophiæ Græcorum, atque Gentium, sicut titulus testatur, assumit: alterum vero ex fundamento Dei* [*Colos.* 2, & 3] *extruit. Et quod diligenter observandum est, etiamsi Theodoretus Sanctos invocasset, sicut in historia religiosa, quæ ipsi tribuitur, aliquot extant exempla, non tamen universalis fuit in omnibus Ecclesiis illa observatio: sicut ex Cyrillo, qui iisdem temporibus vixit, manifestum est.* Id autem probat Kemnitius ex eo quod Juliano Apostatæ Christianos reprehendenti, quod Martyres divinis honoribus colerent, respondit Christianos non alios homines colere, nisi eum, qui homo simul esset, & Deus, Verbum Patris, Christus Jesus: honorari quidem, & summis laudibus celebrari a Christianis fatetur martyres, sed neque eos *adorari* fatetur, neque *invocari*: Immo expressissime libro X ad hunc modum Juliano Christianos accusanti: *ad antiquum illum mortuum additis multos recens mortuos* [martyres scilicet innuit] Cyrillus rursus respondit: *Christianos summo in honore, & reverentia Martyres habere*: Sed hæc simul addidit: *Scriptura nobis unum Deum prædicavit, alium autem præter illum omnino nullum adoptare consuevimus.* Idem etiam Cyrillus in 16 caput Joannis hæc inquit: *Nullus accedit ad Patrem nisi per filium, per quem adductionem habemus ad Patrem in Spiritu. Ideo se portam & viam appellat, quia, inquit, Nemo venit ad Patrem, nisi per me: nam in quantum filius, & Deus est, una cum Patre nobis bona largitur: in quantum vero mediator est, & Pontifex, & Paracletus, nostras preces ad Patrem adducit.* Et tandem concludit. *Orandum igitur est nobis in nomine Salvatoris, & ex-*

(a) sunt ipsa Kemnitii verba.

exaudiri a Patre velimus, atque ita hactenus in Græca Ecclesia, invocatio Sanctorum *alicubi, & a quibusdam varie tentata, usurpata, & defensa, non tamen ubique ab omnibus Ecclesiis recepta, & approbata fuit. Sed semper fuerunt quidam præstantes viri, qui eam non admiserunt, sed improbarunt, & fundamenta ejus refutarunt, & Ecclesiam ad fontes veræ invocationis Dei deduxerunt, sicut ostendimus. Post hæc vero tempora insecuta quidem est tristior, & major confusio dogmatum & rituum in græca Ecclesia; in receptas tamen, & universales formulas publicarum precationum invocatio Sanctorum tarde admissa fuit. Et memorabile est, ac ad perpetuam rei memoriam dignum observatione, quod Petrus Gnapheus, qui in quinta Universali Synodo ut hæreticus damnatus fuit, primus author, & inventor fuit miscendæ invocationis Sanctorum inter publicas preces. Nicephorus enim lib. 15. cap. 28 inter ea, quæ Petrus ille Fullo invenisse, seu reperisse dicitur, numerat & hoc, ut in omni precatione Dei genitrix nominaretur, & divinum ejus nomen invocaretur. Factum hoc fuit circa annum Domini 470.* Hactenus Kemnitius, qui alia multa adjungit de *institutione*, ut ipse quidem aut re vera putat, aut certe se putare simulat, *invocationis*.

8 Quoniam igitur cogis, ut loco fortasse non suo de his disputem Kieslingi, tibi obsequor, & Kemnitii dicta, quæ adoptas, expendo: quamquam mirum est, quod hæc Kemnitii dicta tu approbes, qui paulo ante Theodoretum summis laudibus celebrasti. An is qui *optimus sine dubio, & verborum Pauli ad Colossenses & Laodicenses canonis interpres* (a) a te dicitur, hebes adeo esse poterit, ut sibi apertissime contradicat, quod tamen Kemnitius vult? Ac primo quidem Theodoreto tribuendas esse orationes, quæ *de curandis Græcorum affectionibus* inscribuntur, & *Veterum Patrum vitas*, consentiunt omnes, atque in primis Sirmondus, qui Theodoreti scripta diligenter expendit. Neque vero quidquam officit Nicephori silentium. Etenim nunquam sibi proposuit Nicephorus, ut cunctos Theodoreti libros recenseret, sed tantum aliquorum laudatissimi scriptoris librorum meminit, quum apta eorum incidit mentio: hoc modo libri *contra hæreses* meminit capite triceſimo libri XII; *Vitarum Patrum* capite 41 libri XI; *Ecclesiasticæ historiæ* capite ipso primo: Scriptorum eorum, quæ synodi Ephesinæ Patribus disp licuerunt, capite 35 libri XIV & capite XXVII libri XVII: at reliquorum librorum indicem minime texuit, sed tantum expressissime docuit alios multos ab eo fuisse conscriptos, quos quidem veluti Ecclesiæ valde utiles celebrat. En quæ capite XXX libri XIV de Theodoreti scriptis tradit: *Eis ipsis annis Ecclesiam Cyri quoque gubernavit sapientia, & doctrinis magnus Theodoretus vir in Græcis jnsata, & Christianis disciplinis præclarus, qui libros multos Ecclesiæ utiles reliquit.* In horum autem numero ponendas eas orationes, quas de *Græcarum affectionum curatione* inscripsit, quis dubitet, cum id palam

(a) pag. 376.

lam indicet ſtylus reliquis Theodoreti libris ſimillimus, & eas Theodoreto revera tribuant omnes, qui de Theodoreti ſcriptis dijudicarunt? En quæ ad priorem Kemnitii difficultatem reſpondenda duxi.

9 Quod vero ad aliam pertinet, deductam ſcilicet ut ipſe quidem ait, ex Theodoreti inconſtantia ac levitate quadam, qua ſibi met contradicit, præciſe negandum id eſt. Mirum ſane quod hanc Theodoreti inconſtantiam nemo ante Kemnitium perſpexerit. Quis vero perſpicere id poterit, quod prorſus non eſt? Sane Theodoretus Sanctorum cultui, & invocationi expreſſiſſime favens, quod fatentur adverſarii ipſi, neque laudabilem bonorum Angelorum, neque Sanctorum cultum improbat in commentariis in Paulum. Id vero & oſtendit Trombellius, & ego quoque comprobavi. Quis ergo propterea ſibi met contradicentem audebit dicere?

10 Sed jam vertendus eſt ſermo ad cetera, quæ Kemnitius urget, & licet ea loco utique non apto pertractari videantur, ſi hic pertractentur, ne tamen videamur gravitatem [uti Proteſtantes quidem putant] objectionis declinare nos velle, hic ea refutare aggredior, quæ ex reſponſione Cyrilli ad Juliani Apoſtatæ objectiones deſumit Kemnitius. (a) „ Non ut hominem colimus, ſed hominem, qui apparuit, „ Dei Verbum agnoſcentes. De martyribus vero reſpondens, memo„ riam, & honorem martyrum contietur, adorationem negat, invo„ cationis vero nullam prorſus facit mentionem. Hæc enim ſunt „ ejus verba: At ſanctos Martyres neque Deos eſſe dicimus, neque „ adorare conſuevimus. Laudamus autem eos potius ſummis honori„ bus, quod pro veritate ſtrenue certarunt, ita ut & ſuam animam „ contempſerint, &c. Proinde non eſt indignum, imo etiam neceſ„ ſarium, eos, qui tam claris operibus glorioſi ſunt, perpetuis ho„ norari laudibus. Et paulo poſt venerationem martyrum deſcribit: „ non cultu, non adoratione, non invocatione, ſed inquit: Omni „ honore eos dignamur, quodammodo reponentes illis memoriam in„ acceſſibilem, pro honoribus & remuneratione fortitudinis tam con„ ſpicuæ. Imo recitans, quomodo Græci ſuos dæmonas, quos ex ho„ minibus præſtantibus fieri fingebant, coluerint, ſcilicet tamquam „ cuſtodes, & auxiliares ſuperſtitum, cum Deum eſſe nihil aliud „ intellexerint, quam utilitati cuipiam hominum præfectum eſſe. „ Non addit, ſicut Theodoretus facit, Chriſtianos idem, aut multo „ magis de martyribus ſuis ſentire, ſed ita concludit. Proinde nos „ quidem minime, Græci autem potius deprehenduntur fuiſſe ho„ minum cultores, & Dei gloriam incircumſpecte quibus voluerunt, „ tribuiſſe. Ita lib. 10 Julianus inquit: Ad antiquum illum mortu„ um additis multos recens mortuos. Cyrillus vero reſpondens dicit, „ chriſtianos magni facere reverentiam & honorem erga ſanctos mar„ tyres, ſed addit: Scriptura nobis unum Deum prædicavit, alium „ autem

(a) in Examine Conci. Triden. pag. 638. edition. Genev. 1641.

„ autem præter illum omnino nullum adorare conſuevimus. Idem „ Cyrillus in 16. c. Joann. inquit: Nullus accedit ad Patrem, niſi „ per Filium, per quem adductionem habemus ad Patrem in Spi„ ritu. Ideo ſe pertam, & viam appellat, quia inquit: Nemo venit „ ad Patrem, niſi per me. Et reliqua quæ aliibi retuli.

11 Atque ad hæc paucis reſpondeo: Cyrillum adorationem ſumere *rigoroſe*, cum Chriſto eam a nobis adhiberi ait, non item martyribus. De invocatione non meminit, quia ea de re Chriſtianos non accuſaverat Julianus, adverſus quem ſcribit. Monet quidem per Chriſtum acceſſum haberi ad Patrem, unicumque eum eſſe Pontificem, & mediatorem: atque in ejus nomine orandum eſſe cæleſtem Patrem. An nos id negamus? Vide quæ eo de argumento diſſeruit Trombellius cap. 26 diſſertationis III, quæque nos ad eandem, cum eam ab objectionibus Kieslingii vindicavimus, tradidimus, omniſque ea de re tolletur difficultas.

12 Num vero poſt Cyrilli, & Theodoreti tempora in publicas, ſolemneſque Eccleſiæ preces primum inducta ſit invocatio Sanctorum, an vero dudum invecta, approbataque perſtiterit, is facile dijudicabit, qui ad Trombellii diſſertationes, atque eam in primis, quam expreſſe de *invocatione* elucubravit, adverterit animum. Illud certo conſtat expreſſiſſima Veterum Patrum teſtimonia fuiſſe allata a Trombellio, quibus quidem conſtat publice, atque in Eccleſiis ipſis, & ſacris ædibus, ſacrisque functionibus Sanctos fuiſſe invocatos, cui quidem mori Vigilantium vehementer a Hieronymo objurgatum tantummodo obſtitiſſe novimus. An tam expreſſa, totque Patrum teſtimonia haberemus, niſi una omnium ea fuiſſet ſententia?

13 A Petro Cnapheo ſolemnem, publicamque Virginis Deiparæ invocationem originem habuiſſe, minime aſſentior. Nec temere Kemnitii dictis obſiſto. Nimirum multo ante in ſolemnibus Eccleſiæ cœtibus invocatam eam fuiſſe, ex eo vel maxime aſſequimur, quod alii Sancti dignitate ſane minores Virgine invocati ſunt. Vide quæ hoc de argumento Trombellius tradit (*a*. Quod ſi Cnapheo antiquior eſt auctor orationis in Annunciatione, quæ Gregorio Neocæſarienſi tribui ſolet, (valde autem probabile eſt antiquiorem eum eſſe) in publicis conventibus invocatam fuiſſe Mariam dicendum eſt: ipſe enim verbis iis invocavit: *tecum et nos dignare participes efficere perfecta tuæ gratiæ in Chriſto Jeſu Domino noſtro*.

14 Arbitror itaque ſic eſſe intelligenda ea verba Nicephori, καὶ ἐν πάσῃ ἱερᾷ θεωρίᾳ ὀνομάζεσθαι, καὶ αὐτὴν τὴν θείαν κλῆσιν ἐπικαλεῖσθαι, deeſt: *& in omni oratione Deiparam nominari, & ipſius divinam appellationem invocari*, ut doceamur ſtatutum ab eo fuiſſe, ut, quum Mariæ Sanctiſſimæ mentio in Eccleſiaſticis ſolemnibus Eccleſiæ precibus fieret,

(*a*) Diſſer. V Cap. 17. & 18.

Digitized by Google

fet, illi adderetur titulus *Dei genitricis*, nec per nomen *Christotocos*, ſed per nomen *Theotocos*, quo eximia ejus dignitas emineret, invocaretur. Et revera jam dudum conſuevit Latina ipſa Eccleſia in publicis precibus, quas *Litanias* dicimus, poſtquam Mariam expreſſo nomine appellavit (*Sancta Maria ora pro nobis*), ſtatim aliam invocationem adjungere, in qua *Dei genitrix* dicatur. [*Sancta Dei genitrix ora pro nobis*].

15 Ceterum inter laudabilia Cnaphei geſta recenſet inſtitutionem hanc Nicephorus (quem tamen inter accuratos ſcriptores nemo recenſuit, & deſpicere ſolent, ſi nos eum afferimus, Proteſtantes) qui utilem Eccleſiæ conſuetudinem hanc fuiſſe monet, item ut alia tria Cnaphei inſtituta, quæ idem Nicephorus enumerat. *Petrum Cnapheum* [inquit ille (*a*)] *quatuor iſta Eccleſiæ Catholicæ commodiſſima reperiſſe dicunt: ut ſacrum unguentum in populi totius præſentia conficeretur: ut ad veſperam Sanctorum Theophaniorum unda in ſacrum lavacrum infunderetur: ut Symbolum Sanctum, quod ſemel tantum antea magno, & ſancto Paraſceves die dici ſolitum fuerat, in Synaxi, & conventu Eccleſiæ quovis decantaretur; ut in precatione omni Dei genitrix nominaretur, & divinum ejus nomen invocaretur.*

16 Sed regrediendum eſt ad Kieslingium, qui tamen nos vel invitos ad ſuum Kemnitium amandans, alio divertere coegit. Ajo vero locum illum Origenis, quem Trombellius attulit, rectiſſime fuiſſe ab eo allatum. Nimirum Origenes propterea reprehendit maxime Celſum, quod dæmones colendos diceret. Hoc præſertim Origenes deteſtatur, eaque ſubdit, quæ hunc ſenſum habent: Si Celſus colendos diceret veros Dei miniſtros, Chriſto tamen inferiores, Michaelem nempe, Gabrielem, & alios bonos Angelos, cultus vero nomine non intellexiſſet illud obſequium, quod Deo tantum deferri poteſt, nec miniſtros hujus cultus protuliſſet eos, quos Eccleſia a Sacro miniſterio arcet, utpote vanorum Deorum cultores, & futilibus ritibus addictos, fortaſſis non multum abeſſet Origenes a Celſi ſententia. Sed quoniam dæmonibus cultum adhiberi volebat Celſus, cum id omnino Scriptura vetet, propterea Origenes illi aſſentiri omnino non poterat. Fatetur itaque Origenes, *coli* poſſe Angelos bonos, Michaelem, Gabrielem, & alios hujus modi, ſi Chriſto inferiores agnoſcantur, & *cultus* nomine cultus divinus non intelligatur, qui procul dubio Deo tantum adhiberi debet. Expoſcit quoque a Celſo, ut miniſtros cultus, quisquis is ſit, non eos proferat, quos Gentiles habebant, ſacrificulos nempe Deo inviſos, & ab ejus cultu alieniſſimos. Has conditiones ſi ſervaſſet Celſus, ille hoſtem utique non habuiſſet Origenem, nec quemquam ex Chriſtianis. En ſenſus itaque verborum illorum: *Si intellexiſſet, quinam ſint poſt Dei Unigenitum vere miniſtri Dei, ut Gabriel, Michael, & alii Angeli, atque Archangeli, & eos colendos eſſe dixiſſet, fortaſſe repur-*

(*a*) lib. XV. cap. 28.

gatis quam significatione illius vocis colere, *tum ejus, qui colit, officii, hoc loco pro rei momento attuliſſem, quæ de hoc argumento aſſequi intellectu potui. Cum autem miniſtros exiſtimet dæmones &c.*

17 Præclara ſunt illa tua, & humanitatis pleniſſima, elegantiſſimæ pariter verba, Kieslingi: *Dic quæſo bone Trombelli, quibus verbis tuum ſtabilire poſſis figmentum .... Ubi quæſo hæc legis: aut quibus fidiculis ea extorques?* Porro ſi injurias demas, & contumelias, reſponſionem valde aptam ex ſuperius dictis hæc habent. Contumeliis vero, atque injuriis, paribus contumeliis, & injuriis respondere, haud laudabile cenſeo;

AD

AD EXERCITATIONEM VI.

Qua (ut falso Kieslingius ait) *Verus Sanctorum honor traditur.*

CAP. I.

1 AN legeras Trombellium Kieslingi mi; dum hæc scribebas? *Mitius nunc agere videtur Ven. Abbas, quando asserit Sanctorum cultum in eorum imitatione esse positum*: idque probare studes verbis illis: *Dum generatim Patres docent (crebra hujusmodi monita occurrunt) vere tum coli a nobis Sanctos, quum eorum gesta imitamur, verissima tradunt. Quis enim ignorat, nihil acceptius Sanctis esse, quam sanctificationem nostram, ideoque imitationem gestorum illorum, qua ad sanctitatem illos evexerunt?* Quæ quidem verba statim accusas hæc elocutus. [a] *Imitationem proprie esse cultum, prima nunc legi vice, nec alibi unquam vidi. Pietatis officium erga Jesum declaramus nostrum ipsius vestigia prementes. Maximum enim hæc Christi imitatio, ad quam Matth. XI. 28. 29. Philipp. II. 5. 1. Petr. II. 21. excitamur, sanctitatis promovendæ est medium. Refert quoque virorum pietatis & virtutis laude insignium exempla nobis ob oculos ponere, & attentius ea intueri, quod Paulus passim inculcat. I. Corinth. IV. 6. 16. Philipp. III. 17. Equis vero hanc imitationem fidelibus sæpe, sæpiusque demandatam cultum Apostolis & Ecclesiæ Doctoribus adhibitum dixerit? Nos Sanctorum virtutes in nostra Ecclesia imitandas esse serio tradimus, sed eos adorandos, invocandos, colendosque esse ob vitæ sanctioris, & fidei singularis exempla, a pietate nostra prorsus alienum ducimus.*

2 An non, dum hæc ais Kieslingi, palam prodis, te (quod jam dixi) Trombellii scripta minime legisse? Si enim legisses, utique hæc non scripsisses. Audi itaque, & demum assequere, ea quæ redarguis, fuisse rectissime a Trombellio tradita. Is capite XII (*b*), in quo *recenset ea argumenta, quibus antiquitatem cultus Sanctis adhibiti oppugnant* (Protestantes), quædam Patrum loca sibi objecerat (*c*), in quibus visi sunt cultum Sanctis demere, & uni Deo reservare. Postremo vero loco Augustinum attulerat hæc docentem. *Non sit vobis religio cultus hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Quibus quidem Augustini verbis positis, sic ex Protestantium sententia disputat. [d] „ Hæc vero palam ostendunt,

(*a*) pag. 404. (*b*) pag. 277. (*c*) n. 3. pag. 278.
[*d*] pag. 279.

Digitized by Google

„ haud recte allegari a Pontificiis hæc in quæstione Ecclesiæ Patres. „ Hi enim apertissime significant, a se minime coli Sanctos, sed tan„ tum amari, & honorari eo honoris genere, quod in imitatione „ positum sit: *Honorandi propter imitationem*. At in Sanctorum imi„ tatione nunc non collocant Pontificii honorem, quem deferunt San„ ctis, sed in Missarum celebratione, in templorum atque altarium „ erectione, aliisque tum multis, tum vetustæ ætati prorsus ignotis „ ritibus. „

3 Ad objectionem hanc ea respondit Trombellius, quæ tu quidem affers, sed ita affers, ut nesciatur, quo verba illa spectent, & cujus rei causa prolata ea sint. Id tu dissimulare non debebas Kieslingi, sed tuum erat exponere, cur ea Trombellius scripserit. Ceterum ut tua monita aggrediar, cur Trombellium reprehendis, quasi ille docuerit, *imitationem proprie esse cultum?* Ubinam hæc docuit ille? Docuit quidem, *vere tum coli* a nobis *Sanctos, quum eorum gesta imitamur*: Nec id temere docuit: multi quippe Veterum id perspicue tradunt, inculcantque; & procul dubio imitatio honori adscribitur. Sed num eadem imitatio *proprie fit cultus*, an non, minime attigit Trombellius. Is vero non ex eo, quod imitandi sint Sancti, deduxit eos esse sacris honoribus dignos; sed sacris honoribus eos esse afficiendos aliis argumentis evicit. Quod si id ipsum deduxisset, an forte errasset? Nihil minus. Scilicet cur imitatione dignos censemus? Nonne quia præclarissimis gestis suis, atque eximia pietate nobis sic præfulserunt, ut laudabile sit eadem præclara gesta, eximiamque pietatem imitari? An vero eos, qui ita præfulserunt, non honorabis? Immo honorabis maxime. Id autem agens profanosne, communesque honores illis adhibebis, an potius sacros? Sacros utique, si sapis: etenim, ut Trombellii argumentatione utar (*a*) „ Sicut excellentia, cujuscunque generis ea sit, con„ venientem honorem meretur, ita convenientem sibi honorem „ promerebitur Sanctorum mortali vita functorum excellentia: ideo„ que sacros honores expoſcet, quoniam sacra, nempe a Deo ve„ luti auctore gratiæ proveniens, & supernaturalis eorum est excel„ lentia. „

4 At hic rursus dispiciat Lector, quam miserum, negligentemque adversarium Trombellius habeat. Is numero V capitis XII [*b*] sibi solvendam proposuerat hujusmodi objectionem: „ Dilectionem, & „ honorem, quo Sanctos prosequebantur [veteres Patres, & Ecclesiarum „ Magistri], ad illud ipsum dilectionis, & honoris genus pertinere „ ajebant, quo viventes probitate spectatos amamus, honoramusque, „ ideoque, ut iidem Doctores expressissime significaverunt, ad illum „ honorem, & dilectionem, quæ communio, & societas sub uno ca„ pite Christo Jesu aut exposcit, aut efficit, non ad alium quempiam „ clariorem, ac sublimiorem. „ Solutio hujus difficultatis, qualiscunque

(*a*) Disser. IV. cap. XIX. n. VI. pag. 298. [*b*] pag. 279.

que ea ſit, capite XVI expoſita eſt a Trombellio, cujus verba, ut pote multa, hic non exſcribo, & ea per ſe facile conſulere Lector poterit.

5 At præclariſſimus cenſor noſter ſolutionem hanc deſpicit, aitque alibi repulſam eſſe: ſic enim interpretor præſtantia illa Kieslingii verba (*a*): *Quod argumentum jam exercitatione XV ad Diſſertationem III eſt devictum.* Sed rem gratiſſimam feciſſet ille, ſi numerum ſaltem indicaſſet, in quo reprehenſio a ſe jactata expoſita ſit: niſi forte numerus ſit VIII, in quo nonnihil attingit *de caritatis vinculo, quo cum Sanctis uniti ſumus.* Sed re vera neque in numero eo, neque in reliquis illius exercitationis, quæ ſic inſcripta eſt: *De interceſſione Sanctorum ex variis Sacri codicis dictis extorta*, aliquid extat, quo ſolutio illa infirmetur.

6 Atque id ipſum haud obſcure ſignificat Kieslingius ipſe, dum non in ea ſolutione reprehendenda ſiſtit, ſed occaſione ſumpta a nova objectione, quam ſibi facit Trombellius, qui paulo ante dixerat, nos quoque *eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo in hac vita coluntur Sancti homines Dei, Martyres, & Sanctos reliquos mortali vita functos colere*, ſibi objiciens: [*b*] „ quod cereos accendimus coram mortuis, id vero „ coram viventibus minime facimus: quod ante aras, in quibus con„ dita ſunt Sanctorum cadavera, provolvimur; id vero viventibus non „ præſtamus, aliaque plura mortuis honoris, venerationiſque argu„ menta achibemus, quæ viventibus omnino non deferimus: „ in reprehenſiones ritus illius, quo cereos coram Sanctorum reliquiis, & imaginibus accendimus, effunditur: quem quidem ritum & a Vigilantio reprehenſum ait [*c*], & male illius cauſam ab Edmundo Martene explicatam: *Quis fuerit* (inquit Kieslingius [*d*]) *horum cereorum in funeribus Prælatorum, & ad ſepulcra Martyrum accenſorum finis, excitatus Venet. Martene non accurate exponit; novimus autem ex ipſis Patrum monumentis, hanc conſuetudinem non tam dilectionem & caritatem, quam potius fidem, & ſpem de piè defunctis declaraſſe. Minus apte ex accenſione cereorum, ad inextinguibilem Chriſtianorum caritatem & dilectionem concluditur: Quia candent cerei: ergo candent & æſtuant animi amore & caritate erga defunctos. Levis eſt ratio. Candidiorem, veriorem que hujus ritus cauſam exponit nobis Chryſoſtomus his verbis:* „ *Dic mihi,* „ *quid ſibi volunt claræ lampades? An non eos tanquam athletas deduci-* „ *mus? Quid autem hymni? An non Deum glorificamus? & gratias agi-* „ *mus, quod eum, qui exceſſit, jam coronaverit? Quod a laboribus libe-* „ *raverit? Quod ejecto vetu eum apud ſe habeat?* „

7 In hæc tamen evagari te minime oportebat Kieslingi, cum id propoſitum argumentum non expoſceret, & certo ſcires, ritum hunc non omiſſurum Trombellium, quum aptus locus id efflagitaret. Et revera

(*a*) pag. 405. (*b*) pag. 289. [*c*] §. IV. pag. 407.
[*d*] pag. 407.

revera de ritu isto; quantum noſtro inſtituto ſatis eſt, egit Trombellius capite XXX, & XXXI Diſſertationis VIII, nec eum omiſit, quum rurſus ſe ſe obtulit occaſio, capite ſcilicet XXXVII Diſſertationis X. Inepte itaque Edmundum Martene diſtringis, nam, ſi qua haberes, quæ adverſus ritum hunc effunderes, adverſus Trombellium ipſum effundere hæc poteras. Quamquam, dum hæc tu ais (*a*): *novimus autem ex ipſis Patrum monumentis, hanc conſuetudinem non tam dilectionem, & caritatem, quam potius fidem, & ſpem de pie defunctis declaraſſe*, minime impetis ritum, ſed potius approbas: ſatis enim Catholicis eſt, ut ritus ille, qui ſymbolicus certe eſt, rite uſurpetur: rite autem uſurpatur, ſi, te ipſo judice, uſurpari poteſt *ad fidem, & ſpem de pie defunctis declarandam*.

8 Sed ut ad argumentum præcipuum, & de quo capite XV Diſſertationis IV Trombellii agitur, adverſus quod te diſſerere profiteris, revertamur, indubitata res eſt, eos quidem ratione aliqua colere Sanctos, qui eorum geſta imitantur, ſed non propterea evincis, cultum qui illis adhibetur, in hujus modi imitatione eſſe tantum poſitum. Chryſoſtomus ſane vir præclariſſimus duo hæc cultus genera diſtinguit, quorum unum in imitatione Sanctorum, alterum in obſequiis, quæ illis adhibeantur, poſitum ſit. En ipſa Chryſoſtomi verba, quæ, ſi vult, contemnat Kieslingius, dummodo a viris probatis omnibus habeantur in pretio [*b*] „ Martyrum feſta non ex dierum circuitu ſolum, „ ſed etiam ex eorum animo, qui ea celebrant, æſtimantur. Ex„ xempli cauſa. Imitatus es Martyrem? virtutem ejus æmula„ tus es? philoſophiæ ipſius veſtigiis inſiſtiſti? etiam cum feſtum „ non eſſet Martyris, feſtivitatem Martyris celebraſti. Honor quippe „ Martyris, imitatio eſt Martyris - - - - - - - - - - - - Honoraſti „ Martyres, dum adſuiſti, dum audiviſti, dum ſtudium præ te tu„ liſti: honora etiam illos modeſte domum recedendo: ne quis ubi „ te parum decore gerentem viderit in popina, te non propter Mar„ tyres veniſſe dicat, ſed ut vitium augeres, ut improbæ cupiditati ſervires. „

9 Neſcio vero Kieslingi, quo ſpectent ea, quæ §. VI pag. 409 his verbis ais: *Atro nos carbone notat Venere Trombellius, cum jure jenſentia ſociis, & nos accuſat, quaſi nulla Sanctorum cura, nullumque apud nos honoris in ipſos ſit veſtigium, ut potius armata veluti manu ipſos aggrediamur, & jaculis ſuis eos depellamus. Hæc talia ſine ratione nobis imputari, noſtra, quæ ab urbe Auguſta Vindelicorum ſortita eſt nomen, Confeſſio ſatis declarat. De cultu Sanctorum ita ſentiunt pia & immortalis memoriæ Confeſſores*: Memoria Sanctorum proponi poteſt, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem. Nihil eorum, quę Trombellium dixiſſe ais, revera is dixit, niſi forte ad ea reſpicias, quæ n. XXII capitis VI Diſſertationis II ſcriptis prodidit: quæ quidem quo-

(*a*) pag. 407. [*b*] Concione *in Martyres* pag. 667 Tomi II edit. Montfaucon.

quonam ſenſu ſint intelligenda, ſuo, loco explicavi. Dixi vero, & hic quoque rurſus ajo errare vos, non quod moneatis: *Memoriam Sanctorum proponi poſſe, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem*: non quod in apologia Auguſtanæ confeſſionis hæc tradatis: *Confeſſio noſtra probat honores Sanctorum: nam hic triplex honos probandus eſt. Primus eſt gratiarum actio: debemus enim Deo gratias agere, quod oſtenderit exempla miſericordiæ &c. Secundus cultus eſt confirmatio fidei noſtræ: tertius honos eſt imitatio*: Sed quia honorem Sanctis adhibendum ad hæc coarctatis, adeò ut idololatris annumeretis, qui eos invocant, & eorum imagines, ac reliquias oſculantur, aliaque præſtant, quæ a priſcis uſque ſeculis Catholica Eccleſia in uſu habuit, conſuetudines has rituſque approbantibus præclariſſimis illis viris, quos luculentiſſimos ecſles Trombellius excitavit.

10 Cur vero tibi, Kieslingi, diſplicet, quod hæc protulerit Trombellius [*a*]: *At fere cavemus (& recte cavemus) ab hujuſmodi eximiis honoris argumentis* [ſcilicet provolvi ante aliquem, cereos accendere coram illo, & affinibus aliis] *tum quia ſi vere ſunt probi quos honoramus, humiles etiam erunt: non patitur vero humilitas ſe multum honorari, eo præſertim honoris genere, quod eximiam ſanctitatem indicat; tum etiam quia non leve erroris periculum eſſe poſſet in Sanctorum viventium cultu*. Cur id, inquam, tibi diſplicet, & acerbis his dictis eum redarguis? [*b*] *Vix tam frigidam, & levem a viro graviſſimo expectaſſem hujus erroris excuſationem. Cum ſale & pondere urgent Proteſtantes hoc argumentum, vanamque Romanenſium de invocandis Sanctis explodunt perſuaſionem. Primo nos puriores, ſanioriſque cultus confeſſores negamus, & pernegamus, Sanctos, & Angelos affectare venerationis cultum. Quo excellentiores ſunt, tanto humiliores exiſtere putamus Sanctos. Si igitur Sancti vivi ob humilitatem, quæ Chriſti ſectatores diſcipuloſque decet, hunc renuunt cultum; tuto colligo, multo magis pie defunctos, & Angelos hæc cultus religioſa repellere officia. Credisne, divos Apoſtolos Petrum, qui Cornelii venerationem declinavit, & Paulum, qui Lyſtrenſium repreſſit cultum ſibi ipſa delatum, jam in vita æterna ſuperſtitioſam recepturos eſſe Romanenſium adorationem, & invocationem? Putaſne, eos jam hujus cultus, qui ſoli Deo eſt relictus, eſſe cupidos? Cave ne ſanctitatem piorum in cœlis laudes, & iis arrogantiam & faſtum, quem ipſorum ſtatus reſpuit, impie affingas. Majori innitimur veritatis firmamento, aſſerentes; hos beatos omnem venerationis & adorationis retundere cultum. Commendat nobis commilito, quem in deliciis habuit, & plus ſuis oculis amavit Jeſus, Joannes, Sanctorum humilitatem hæc nobis exponens*: „Procidebant viginti „quatuor illi ſeniores in conſpectu illius inſidentis in throno, & adora„bant illum viventem in ſecula ſeculorum, & abiiciebant coronas ſuas „ante thronum. Apoc. IV. 10. *Triplici ratione ſuam erga Deum declarant reverentiam*: procidendo *videlicet*, adorando, & *coronas* abjicien-

(*a*) Pag. 289, & 290. (*b*) Pag. 411.

ciendo. *Solemne enim fuit, ut recte observant Cl. Carolus Daubutius, & Cl. Campegius Vitringa, Regibus, qui Imperatoribus sua regna ferebant accepta, & iis vectigalia præstabant, ut coram ipsis & eorum imaginibus procederent, aut eorum effigies adorarent, & sua diademata deponerent, quod Tiridatis, qui Neronis effigiem hac ratione honoravit, & Herodis, qui Augusto hoc præstitit officium, facile conficiunt exempla. Tantum igitur abest, ut Sancti, qui solum Deum adorant, hanc cultus & adorationis recipiant notam, & Deum suo defraudent honore, ut potius eadem suos cultores remittant ratione, qua usus est Angelus*: vide, ne feceris: conservus tuus sum, Deum adora. *Apoc. XIX. 10. Aptat itaque Vener. Abbas his Sanctis cothurnum, & eos non humiles, sed turgidos & superbos, quin imo injuriosos in Deum satis impudenter fingit. Porro si non leve foret superstitionis periculum, si colerentur Sancti viri, gravius sane est crimen, quod demortui, dubii, & rerum nostrarum expertes invocantur Sancti, & in cultu religioso Deo associantur. Videbit nunc Vener. Trombellius, quam longe a vero secedat, & quam alta Sanctis affingat supercilia.*

11 Kieslingi mi, dum hæc adversus Trombellium intorques, aut non assequeris, quo collineet quæstio, aut si assequeris, ineptissime eum refutas. Nimirum quæstio hæc est: num eximiæ quædam honoris significationes, quæ Sanctis mortuis adhibentur, recte adhibeantur Sanctis viventibus. Negavit porro id Trombellius duobus rationum momentis ad id inductus. Horum primum ex eo deduxit, quod si probi sint illi, quibus eximias has honoris significationes deferimus, humiles etiam erunt: humiles vero minime sinunt sibi eximia honoris argumenta deferri. Alterum ex periculo erroris, qui irrepere facile posset in Sanctorum viventium cultum: quod periculum ut evitet [a], *in mortuis ipsis diligentiam plurimam adhibere consuevit Ecclesia ab illius* (si de recentioribus saltem Sanctis loquimur) *cultu abstinens, cujus sanctitatem vel per miracula testatam non faciat Deus.* Si quid virium habent reprehensiones hæ tuæ, adversus primam rationem habent. Consistit vero ratio altera deducta ex periculo. Hæc porro satis est ad loquacitatem tuam retundendam.

12 Sed revera nullas vires adversus primam ipsam rationem habent dicta tua. Sanctos humillimos fateor. Sed non eodem, ut ita loquar, humilitatis genere ac gradu. Tres itaque humilitatis gradus esse aiunt ascetici: horum primus in eo situs est, quod de nobis ita sentiamus, ut nos putemus virtutibus destitutos, & peccatores. Hoc humilitatis genere enituit publicanus ille, qui [b] *a longe stans nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Eo humilitatis gradu qui præditi sunt, se despiciunt. Alter gradus in eo situs est, ut optemus ab aliis despici, ideoque declaremus (at non ore tantum, sed ore, & corde) nos suppliciis dignos esse, & castigationibus. Hoc humilitatis genus Job declarasse creditur, cum hæc

(a) Tromb. ibid. pag. 190. [b] Lucæ XVIII. 13.

hæc ait (a): *Peccavi, & vere deliqui. & ut eram dignus non recepi*: ad quæ verba multa valde apta tradit Gregorius Magnus. S. Bonaventura hunc gradum indicat, cum hæc tradit (b): *Ama nesciri, & pro nihilo reputari*. Tertius humilitatis gradus, isque duobus prioribus elatior in eo situs est, quod te nocens præclarissimis donis a Deo ditatum, ita ad Deum ea referas, ut nullum tibi adscribas, sed Deo tantum, sic ut tibi, tuisque oculis ipse vilescas, Deus vero celebretur maxime, quippe qui hæc tibi contulit, *ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam* (c). Hoc humilitatis genere Maria Sanctissima excelluit: certo enim sciens, se Matrem Dei electam esse, ideoque ad eximiam, atque incomparabilem dignitatem ascendisse, laudem hanc totam retulit ad Deum: *Magnificat* [inquiens] *anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo Salutari meo*.

13 Porro prioribus duobus humilitatis gradibus fere præditi sunt homines probi: atque ad hos respiciens S. Maximus hæc ait (d): *Dicit sermo divinus: ne laudes hominem in vita sua: tanquam si diceret, lauda post vitam, magnifica post consummationem: duplici enim ex causa utilius est hominum magis memoriæ laudem dare, quam vitæ, ut illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentet elatio*. Tertius porro gradus rarior est, sic ut eum videatur Gregorius Magnus (e) iis potissimum tribuere, qui cælesti beatitudine jam potiuntur. Jam vero scis Kieslingi, cur Trombellius dixerit: *non pati humilitatem se multum honorari, eo præsertim honoris genere, quod eximiam Sanctitatem indicat?* An scilicet patietur se multum honorari qui se virtutibus destitutum putat, & peccatorem? An is qui despici cupit? At is qui tertio humilitatis genere præditus est, honores facile excipiet, sed eos statim ad Deum referet. Neque vero Maria negavit se in Matrem Dei fuisse electam, nec beatam se esse renuit, sed hæc tacite fassa, totum quidquid erat in Deum retulit, & propterea eum celebrare aggressa est. *Magnificat* &c. Porro tertio hoc, uti dixi, humilitatis genere præditi Beati sunt, quos proinde honorare, commendareque merito potes: certo nocens non inflandos esse eos superbia, sed Deo tributuros quidquid ii sunt. Pulcre Gregorius Magnus (f). „ Sancti autem viri sciunt post primi parentis lapsum „ de corruptibili stirpe se editos, & non virtute propria, sed præ„ veniente superna gratia ad meliora se vota vel opera commutatos: „ & quidquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sen„ tiunt meritum: quidquid vero in se boni inspiciunt, immortalis „ gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere debitores fiunt, „ qui & præveniendo dedit eis bonum velle quod noluerunt, & sub„ sequendo concessit bonum posse, quod volunt. Unde bene per Jo-

(a) cap. 33. vers. 27. (b) *De professu Religiosorum* princ. 6. cap. 22. (c) Rom. IX. 23. (d) homil. 2 de S. Eusebio Vercellen. (e) lib. 21. Mor. cap. 5. (f) lib. XXII Moral. cap. IX. n. 20.

Digitized by Google

„ hannem dicitur: *Adoraverunt viventem in ſecula ſeculorum, mittentes* „ *coronas ſuas ante thronum Domini*. Coronas namque ſuas ante thro- „ num Domini mittere, eſt certaminum ſuorum victorias non ſibi „ tribuere, ſed auctori, ut ad illum referant gloriam laudis, a „ quo ſe ſciunt vires accepiſſe certaminis. „

14 Reliqua quæ producis, vel a nobis ipſis expreſſiſſime traduntur, veluti eſt illud quod de Sanctorum imitatione doces; vel ſi quid difficultatis habent, alibi ſoluta ſunt, uti eſt illud, quod poſtremo loco aiſt nullo nos præcepto adigi, ut Sanctos colamus, iiſque ſtatuas erigamus. Hic tantum repetimus, quod alibi diximus, & cumulatiſſime etiam edocuit Trombellius. non præceptum nos proferre, quum hæc agimus, ſed veterum præclariſſimorum exempla: utilitatem quoque ex ritibus iis a ſuperſtitione alieniſſimis [quod copioſe probavit apto loco Trombellius] provenientem.

AD

AD EXERCITATIONEM VII.

Quæ inſcribitur a Kieslingio: *De Vano, qui Sanctis immediate defertur, cultu.*

CAP. I.

Expoſitis reprehenſionibus Kieslingii, quatuor propoſitiones adverſus eas enunciamus, & in hoc quidem Capite probamus Primam.

1 PEriit Trombellius funditus, ſi te audio Kieslingi: quippe te judice (*a*) *a modeſtis Eccleſiæ Romanæ Doctoribus, Petavio, Boſſueto, Veranio, aliiſque viris ſatis præclaris, qui cultum relativum in re tam perplexa, & dubia ambabus, quod dici ſolet, accipiunt manibus, ſe longe eſſe remotum, prodit. Sanctos ipſos colendos eſſe ſtatuit, non Deum per ſanctos, per cultum relativum, ſeu prototypicum, ut excitati diſtinguunt Doctores.* Tam gravem accuſationem innitit Kieslingius vult his Trombellii verbis: *Nihil in ſcriptis minus procacium adverſariorum ſæpius repetitum videas, quam iſtud: reperiri fortaſſe in veterum libris non levia argumenta cultus Sanctis exhibiti: at hæc ipſa, quæcunque ea ſint, ad Deum dirigi, quem honoramus in Sanctis.* Tum adductis iis Trombellii verbis, quibus ſtatuit, *ad Sanctos ipſos referri cultum, nec Deum in iis veluti in inanimis quibuſdam inſtrumentis, puta candelabris, aliiſque hujus generis coli: hæc ſiquidem ut pote animi, ac ſenſus expertia cœli ipſa non poſſunt. Contra Sancti non modo ſenſus compotes, verum etiam meritorum pleniſſimi ſunt, Deoque accepti, ideoque cultum merentur, immo, ut ita loquar, efflagitant, exquiruntque a nobis.* Ob hæc, & affinia alia Trombellii verba hæc ſubjicit cenſor noſter (*b*): *Magnopere cenſui ejus verba fuſius apponere, ut tanto felicius quivis intelligat, quam longe Vener. Abbas ab aliis modeſtioribus recedat Romanenſibus, & quam craſſis & putidis infectus ſit nævis. Quotquot evolveris emunctæ naris Romanenſes, cultum Sanctis immediatum exhibendum eſſe negabunt, & in cultu relativo, reductivo, tranſitivo, & prototypico ſubſiſtent, & omnem Sanctorum cultum ad prototypum, nempe ad Deum, tendere aſſerent, ut aliquam veritatis ſpeciem errori concilient. Sed bonus Trombellius, quem ſub pectore habet errorem admodum gravem, libere effundit, & ſine ſuco incedit. Ne ſaniores, & modeſtiores quidem Romanenſes talia opinionum monſtra Viro Venerabili condonabunt.*

(*a*) pag. 414. [*b*] pag. 415.

Digitized by Google

2 Tum vero §. 4 [a] hæc ait : *Posterior Romanensium sententia, quam Ven. Abbas defendit, a priore, quæ cultum relativum proponit, longissime est remota, & non sagacibus Romanæ Ecclesiæ viris, sed stupidissimis plebis, quæ in Ecclesiæ fide, supina plane ignorantia acquiescere debet, ingeniis est apponenda. Cordate cum Protestantibus agere, & ingeniuam de Sanctorum cultu, quem alii Doctores variis coloribus involvunt, edere videtur confessionem; Romanenses nimirum Sanctos ipsos, & non Deum per Sanctos colere, & adorare. Nihil nobis hac ipsa Ven. Trombellii confessione accidere potuisset opportunius. Ipse destruit illud, quo nituntur alii, subterfugium, & ad nostram accedit sententiam, qua constanter asserimus: Romanenses reipsa non Deum, sed sanctos adorare, invocare, & colere, & hunc, de quo agitur, cultum trelatitiis & speciosa tantummodo rationibus & plumis obtegere.*

3 Quid vero ad hæc, & alia multa, quæ in Trombellium Kieslingi intorques, dicam? Pauca, sed manifesta, quæque Lectori persuadebunt, quam præclarus sis censor. Ajo itaque primo, te falsam Trombellio imputare sententiam, & adeo falsam, ut illi oppositam expresse doceat.

4 Ajo II, te falso tradere, ea, quæ Trombellius proponit, Auctoribus Catholicis displicere, & adeo falso id te tradere, ut eosdem Catholicos Doctores depravare, & pervertere non verearis, illis tribuens sententiam plane oppositam illi, quam docent: sic ut manifestus falsarius appareas.

5 Ajo III, te adeo doctum esse, & in rebus Theologicis versatum, ut duas sententias plane diffitas, & sejunctissimas in unam misceas. Ajo IV, te ineptissime refutare ea, quæ Trombellius tradidit. An non si hæc probem, egregium te censorem ostendero?

6 At age: meque differentem, eaque, quæ promisi, exequentem tantisper sustine. An negabis Kieslingi, te *falsam Trombellio imputare sententiam, & adeo falsam, ut illi oppositam expresse doceat*, quando hæc illi tribuis (*b*): *Sanctos ipsos colendos esse statuit, non Deum per Sanctos*: quando illum, aliosque nescio quos indicans, cum tamen neminem e Catholicis designare possis, hæc ais [c]: *Romanenses nimirum Sanctos ipsos, & non Deum per Sanctos colere, & adorare* Et rursus (*d*): *At enim vero hæc erroris excusatio non est ad Ven. Abbatis desiderium. Sancti ipsi sunt adorandi, non Deus per Sanctos est invocandus & colendus. Eo enim temeritatis & dementiæ plurimi in Romana Ecclesia procedunt, ut directe sua vota ad Sanctos, eorumque imagines emittant, & ipsos Sanctos, immo, quod turpe est dictu, lignum crucis, & alias Sanctorum reliquias adorent & invocent. Tanto stupore quotidie in Romana Ecclesia ad Mariæ, & Sanctorum imagines & statuas profunduntur preces & lacrimæ, ut mirum non sit, si hæ statuæ, & monumenta his gutteris*

(*a*) pag. 418. (*b*) §. 1. pag. 414. [*c*] §. IV. pag. 418. (*d*) §. VI. pag. 422.

his prorsus excaventur? Recta ad has Sanctorum Imagines proceditur via, & ipsis summum reverentiæ genus præstatur.

7 Kieslingi mi, Trombellius quidem expressissime docuit, Sanctos ipsos rectissime coli, & rursus id docet, docebitque, dum vivet. At neque docuit, neque docet, aut ullo docebit tempore ita coli Sanctos, ut Deus non colatur per ipsos, seu [quod eodem recidit] ita coli Sanctos, ut Dei cultus non sit ille idem cultus, quem Sanctis adhibemus, quatenus ad Deum, veluti ad fontem meritorum & gratiæ, ascendit cultus ille, quem Sanctis præstamus. An tibi videtur Trombellius tradere ita coli Sanctos, ut Deus non colatur, quando hæc ait? [a] „ Quis vero dubitet, num merito Deo acceptus is ritus sit, „ quando quidem in iis honoribus atque obsequiis, quæ Sanctis de„ ferimus, Dei, & Christi potestas, atque excellentia se prodit? Eos „ enim propterea honoramus, quia Dei amici, & servi, & Christi „ discipuli sunt. Id porro Dei, ac Christi honori procul dubio ver„ titur. Id innuit idem Chrysostomus hæc elocutus &c. „ Et deinceps [b] „ At age, si vis, coarcta vocem, *Religio*, aliasque affines ad si„ gnificandum supremum cultum Deo adhibendum: adhuc etiam ap„ pellare possumus religiosum eum cultum, qui Sanctis adhibetur. „ Nonne dirigere, ut alibi multis ostendi, eum possumus [immo si „ sapimus, dirigemus] ad Dei honorem, atque ad fiduciam & fidem „ in Deum, & reliquas hujus generis virtutes testificandas? Id intel„ ligere inter Protestantes visus est Hugo Grotius, dum hæc protulit. *Nam & religiosus est bonos, qui soli Deo defertur, & religiosus est, qui ob Deum defertur Angelis, & Apostolis: neque enim is honor ad commutationem, civilemque vitam pertinet.* Vide, si vis, quę optimi Fratres Walem„ burch in rem hanc protulerunt. Et sane, ut cetera omittam, id a„ pertissime mihi videtur tradere Maximus Vercellensis, dum sermo„ nem de S. Eusebio a Clarissimo Muratorio evulgatum, sic exordi„ tur. „ Dum ad obsequia venerandæ recordationis communis P. no„ stri Eusebii confessionis ejus honore concurrimus, religiosum redди„ mus famulatum perpetuo Confessorum auctori. Quidquid enim„ erga electos Dei devotionis impendimus, Deo totum, qui electos „ suos sanctificat, exhibemus. „ An hæc tradens Trombellius is erit, qui *ita coli Sanctos velit, ut Deus non colatur?*

8 Sed rursus falsam imputas Trombellio sententiam, dum eum denotans hæc ais [c]: *Eo temeritatis, & dementiæ plurimi in Ecclesia Romana procedunt, ut directe sua vota ad Sanctos, eorumque imagines emittant, & ipsos Sanctos, immo, quod turpe est dictu, Lignum Crucis, & alias Sanctas reliquias adorent, & invocent.* Kieslingi mi locum indica, obsecro, in quo hæc Trombellius tradat: aut si eum designare non potes, locum saltem indica alicujus Doctoris nostri, qui hæc tam absona

(a) Differ. IV cap. XIX. n. 4. (b) Differ. IV. cap. XXII. n. 8. pag. 308.
(c) pag. 422.

Digitized by Google

ſona tradat. Fatemur omnes, & palam fatemur Sanctos ipſos invocari; dum enim hæc dicimus: *Sancta Maria ora pro nobis: Sancte Petre ora pro nobis*, ad Sanctos ipſos convertimur: ſed nemo noſtrum aut reliquias invocat, aut imagines, aut ipſum Crucis lignum: ſic ut Trombellius ad ſuſpicionem omnem amovendam, ſibi objecerit verba illa hymni, quem in paſſione Domini canit Eccleſia:

O Crux ave ſpes unica
Hoc paſſionis tempore.
Piis adauge gratiam,
Reiſque dele crimina.

oſtenderitque non ad Crucem ipſam converti ea verba, ſed ad Chriſtum Crucis ſigno, ac nomine ſignificatum (*a*): Reliquias, & imagines dixerit non abſolute, ſed relative coli, quod non aliud eſt, niſi non ipſas coli, ſed in ipſis coli eos, quorum reliquiæ eæ ſunt, quique in iis imaginibus repræſentantur [*b*]. Vide itaque Kieslingi, quam vere Trombellii ſententias deſcripſeris.

9 Nec vero difficilius eſt, reliquas tres propoſitiones oſtendere. A prima exordiamur, quæ hæc eſt: *Te falſo tradere, ea quæ Trombellius proponit, Catholicis auctoribus diſplicere, & adeo falſo id te tradere, ut eoſdem Catholicos auctores depravare, & pervertere non verearis, illis tribuens ſententiam plane oppoſitam illi, quam docent, ſic ut manifeſtus falſarius appareas.*

10 Duas partes habet hæc propoſitio. Harum prima eſt. *te falſo tradere, ea quæ Trombellius proponit, Catholicis auctoribus diſplicere.* Altera hæc eſt: *adeo falſo id te tradere, ut eoſdem Catholicos auctores depravare, & pervertere non verearis, illis tribuens ſententiam plane oppoſitam illi, quam docent, ſic ut manifeſtus falſarius appareas.* Statim autem, & facillime primam oſtendo. Hoc tantum docuit Trombellius, Sanctos ipſos a Catholicis coli. Sed an non id ipſum docent Catholici Scriptores omnes? Nonne Sanctos invocant? Nonne Miſſas in eorum honorem celebrant, commendantque ritus eos omnes, quos diſſertatione VI expoſuit, vindicavitque Trombellius? At id, ſi ſapis, idem eſt, ac ſi dixeris quod Trombellius Catholicos omnes faventes ſibi habeat, quando tu [adeo ingenioſus, & doctus es] putas habere neminem.

11 Pars vero altera eadem facilitate probatur. Tu Boſſuetium adverſus Trombellium affers, exultaſque, quaſi viri clariſſimi auctoritate Trombellium deviceris, ac conculcaveris. Tua ipſa verba referemus Kieslingi. En illa [*c*]. *Admodum Venerabilis Epiſcopus Meldenſis Boſſuetus pro ea, qua pollet, ingenii ſagacitate mirum in modum teneros faſcinare novit oculos, & novo quodam uſus eſt pigmento, de cultu Sanctorum, eorumque imaginum hæc afferens.* „ Noſtra intentio nullo modo

(*a*) Diſſer. X. cap. 43. n. 23. & in appendice *de Cruce* cap. 10.
(*b*) Diſſer. VIII. cap. 36. diſſ. X. cap. 40. & ſeq.
[*c*] §. IV. pag. 419.

„ do eſt honorare imagines, aut colere Apoſtolum, aut Martyrem in „ præſentia imaginis. Nos non ſervimus imaginibus, ſed animum „ tantum noſtrum elevamus in cælum. Breviter: Nos Chriſtum, & „ non Sanctos honoramus, & per Sanctos Deum noſtrum, qui eſt au„ ctor omnis ſatisfactionis & omnis gratiæ. „ *En contemplare qua ſagacitate Ven. Boſſuetus hunc Sanctorum cultum emolliat, & iis omnem immediate colendi rationem adimat. Non Sanctis, ſed Deo per Sanctos præſtari cultus objequium indicat. Sed quia tibi cultus Sanctis immediate delatus arridet, te tuo ſenſu abundare haud patiar.*

12 At, malum, Kieslingi. Vel tu, qui latinam, qui Perſicam, qui chaldæam, hebræam, anglicam linguam te ſcire profiteris, quique, ut te eas callere evincas, aut verba linguarum illarum profers, aut certe auctores, qui linguis his ſcripſerint, allegas, aut denique lectorem, & Trombellium ad eos amandas, qui linguis his conſcriptos libros ediderint, gallicam linguam prorſus ignoras, dum tamen ſæpe Boſſuetium, & Fleurium, & alios Scriptores gallica lingua ſcribentes profers; vel (quod veriſimillimum eſt) ſubdolus es, & depravator verborum Boſſuetii. Sane Boſſuetius ſecus docet, ac tu affirmas. Ea ipſa ſcilicet docet quæ Trombellius. Proferamus, obſecro, ipſa Boſſuetii verba, videamuſque, uter cauſa cadat, Trombellius, an tu. En quæ Boſſuetius patria lingua tradit [a]: *Pour les Images, le Concile de Trente n'enjend expreſſement d'y croire aucune divinité ou vertu pour la quelle on les doive reverer, de leur demander aucune grace, & d'y attacher ſa confance; & veut, que tout l'honneur ſe rapporte aux originaux qu'elles repreſentent. Toutes ces paroles du Concile ſont autant de caracteres qui ſervent à nous faire diſtinguer des Idolâtres, puiſque bien loin de croire comme eux que quelque divinité habite dans les Images, nous ne leur attribuons aucune vertu que celle d'exciter en nous le ſouvenir des originaux. C'eſt ſur cela qu'eſt fondé l'honneur qu'on rend aux Images. On ne peut nier, par exemple, que celle de Jeſus Chriſt Crucifié, lorſque nous la regardons, n'excite plus vivement en nous le ſouvenir de celui qui nous a aimez juſqu'à ſe livrer pour nous à la mort [b]. Tant que l'Image preſente à nos yeux fait durer un ſi precieux ſouvenir dans notre ame, nous ſommes portez a témoigner par quelques marques exterieures juſqu'où va notre reconoiſſance: & nous faiſons voir, en nous humiliant en preſence de l'Image, quelle eſt notre ſoumiſſion pour ſon divin original. Ainſi, à parler preciſement & ſelon le ſtile Eccleſiaſtique, quand nous rendons honneur a l'Image d'un Apôtre ou d'un Martyr, notre intention n'eſt pas tant d'honorer l'Image, que d'honorer l'Apôtre ou le Martyr. C'eſt ainſi que parle le Pontifical Ro-*

[a] *Expoſition de la doctrine de l'Egliſe Catholique* n. 5. pag. 41. & ſequent. edit. an. 1738. Vide Conci. Triden. ſeſſ. 25. de r. de Invocat. &c.

(b) Gal. I.

Romain [a], *& le Concile de Trente* [b] *exprime la même chose LORSQU'IL DIT, QUE L'HONNEUR QUE NOUS RENDONS AUX IMAGES SE RAPPORTE TELLEMENT AUX ORIGINAUX, QUE PAR LE MOYEN DES IMAGES QUE NOUS BAISONS, ET DEVANT LESQUELLES NOUS NOUS METTONS A GENOUX, NOUS ADORONS JESUS CHRIST, ET HONORONS LES SAINTS DONT ELLES SONT LA RESSEMBLANCE.* Quæ latine sic reddi possunt: Quod attinet ad Imagines, Concilium Tridentinum aperte nos vetat *credere aliquam ineſſe in iis divinitatem, vel virtutem, propter quam ſint colendæ, atque ab eis aliquid petere, & fiduciam in imaginibus figere*; præcipitque, *ut honor, qui eis exhibetur, ad prototypa, quæ illæ repræſentant, referatur*. Singula hæc Concilii verba sunt totidem characteres, quibus ab idololatris discernimur, tantum enim abest ut in imaginibus deitatem aliquam latere credamus, quemadmodum idololatræ credebant, ut illis vim duntaxat tribuamus recordationem eorum, quos repræsentant, excitandi. Eamque ob rem honorem imaginibus deferimus. Quis neget, exempli causſa., dum Jesu Christi Crucifixi imaginem intuemur, recordationem illius vividiſſime in nobis excitari, *qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*? Quamdiu imago, quæ oculis noſtris obverſatur, tam jucundam recordationem fovet, tamdiu exteriore aliquo ſigno gratum animum quaſi cogimur patefacere, dumque ante imaginem procumbimus, adorationem divino prototypo præſtamus. Itaque, ut præciſe, & Eccleſiaſtico more loquar, quum Apoſtoli, aut Martyris alicuius imagini honorem deferimus, non præciſe Imaginem ipſam, ſed *Apoſtolum, aut Martyrem honorare meus eſt*. In hunc modum loquitur Pontificale Romanum. Idemque profitetur Concilium Tridentinum, quum ait *honorem, qui imaginibus exhibetur, referri ad prototypa, quæ illæ repræſentant; ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur*.

13 Quibus ſtatutis, negabis ne, te *auctores Catholicos depravare, ac pervertere ſic, ut illis tribuas ſententiam plane oppoſitam illi quam docent, adeo ut manifeſtus falſarius appareas*?

14 Jam tertiam propoſitionem aggredior. *Te ſcilicet adeo doctum eſſe, & in rebus Theologicis verſatum, ut duas ſententias plane diſſitas, & ſejunctiſſimas in unam miſceas*. An ignoras Kieslingi mi, ſejunctiſſima eſſe hæc duo: cultum relativum deferri imaginibus, & reliquiis Sanctorum, & cultum pariter relativum deferri Sanctis ipſis? Nimirum cultum etiam mere relativum deferimus imaginibus, & reliquiis, quia in ipſis nihil ineſt, quod ego cultu abſoluto proſequar. Vide quæ tradit Trombellius capite 36 Diſſertationis VIII, & capite 40, & ſequentibus Diſſertationis X. At contra in Sanctis aliquid vere ineſt, cui ego me ſubmittam, & quod

(a) Pontif. Roma. de benedi. imagi. [b] Seſſ. 25. de invoca. &c.

quod vere honorem. Scilicet, ut verbis Trombellii utar (a) *Sancti non modo ſenſus compotes, verum etiam meritorum pleniſſimi ſunt, Deoque accepti, ideoque cultum merentur, & , ut ita loquar, eſſlagitant, exquirunturque a nobis.* Hinc Trombellius a relativo tam reliquiarum, quam imaginum cultu ſtans, eumque vehementer aſſerens, cultum abſolutum Sanctis ipſis defert: atque id ipſum Catholici reliqui præſtant. Cur ergo hæc ais Kieslingi mi (b): *Ne ſaniores & modeſtiores quidem Romanenſes talia opinionum monſtra viro Venerabili condonabunt. Nam ipſum Concilium Tridentinum, & excellentiſſimos Romanæ Eccleſiæ Patres ſentiet ſuæ cauſæ minus propitios. Audiat Concilii Tridentini Patres, qui nullum proprium & immediatum Sanctis, eorumque reliquiis, & Imaginibus decernunt cultum. Mitius, quam Ven: Abbas, ſentiunt.* „ Imagines, *inquiunt*, porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, & retinendas, atque debitum honorem & venerationem impertiendam ſtatuimus; non quod „ credatur ineſſe aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam „ ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus ſit figenda, velut olim fiebat a gentibus quæ „ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis „ exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illę repreſentant: ita ut per „ imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimili„ tudinem gerunt, veneremur. „ *Deſerere virum venerabilem, Bellarmini, Petavii, Veranii, & Boſſuetii ſententiam, ipſi facile demonſtrabo, & cultum relativum ſimul ſubvertam.*

15 Profecto dum ita diſputas Kieslingi mi, plane oſtendis te imagines ſenſus expertes cum cælitibus miſcere, ejuſdemque facere conditionis. Unicam vocem reperi, in qua Tridentinum doceat cultum pure relativum deferendum eſſe Sanctis, nec eis abſolutum aliquem deferri: & continuo tibi aſſentiar. Sed dum Sanctos invocandos eſſe, dum in honorem eorum miſſas laudabiliter celebrari ait, dic tu quod libet, ego ſane Sanctos ipſos abſoluto, eorum reliquias, & imagines cultu tantummodo relativo proſequar (c). Expediendum denique id eſt, quod quarto loco promiſimus, ideſt: *te ineptiſſime refutare, quæ Trombellius tradidit.* Verum ea ipſa, quæ nuper dixi, id facillime oſtendunt. An egregie refutas Trombellium, dum Boſſuetium, & Tridentinum adverſus eum allegas? An denique valide refutas, dum Baſilium Catholicis detrahere ſtudes? Id mox oſtendam.

(a) pag. 295. (b) pag. 416. (c) idem tradit Tom. III. Diſſ. IV per totum; Diſſer. VIII. cap. 6; Diſſer. X. 6. 40, 41 & 44.

CAPUT II.

Satisfit Kieslingio monenti perperam a Catholicis ad ſtatuendum relativum cultum adduci quemdam Baſilii locum.

1 AT ſibi videbatur Kieslingius conſuetudinem ſuam non ſervare, qua ſcilicet a propoſita quæſtione devians alio aberrat, & quo vult, evagatur. Eam hic retinere etiam vult, & occaſione ſumpta a cultu relativo, quem aſſerit Tridentinum, in eum invehitur, inopportuno maxime loco, ſiquidem de hoc cultu tum diſputandum eſt, quum de imaginum cultu agitur; ſed tamen Kieslingium ſequi oportet, illique adhærere. Sic itaque §. V is diſputat [a]: *Ante omnia de imaginum cultu, qui ad exemplar ſuum redundat, & relativus dicitur, nobis erit agendum; quia Romanenſes ſe hoc nomine tanquam aggere muniunt. Quam diſtinctionis rationem, ut ex antiquiſſimis conſtat documentis, ex Baſilio M. Patres Eccleſiæ Romanæ hauſerunt, qua Baſilii auctoritate magis quam Peleus ſuo gladio fidunt. Patres Concilii Nicæni Secundi ad hæc verba Baſilii provocant, aſſerentes:* „ Quin etiam Sanctorum Apoſtolorum, Prophetarum, & Victorum, Martyrum, Sanctorumque & Beatorum, veluti amicorum Dei, imagines colimus, „ non in materia, aut coloribus honorem conſtituentes; ſed per hoc „ officium noſtrum, quod ipſis adeo, quorum typum imagines geſtant, debemus, impertientes, cum ſciamus, juxta Baſilii Magni „ ſententiam, quod imagini honor exhibitus ad ipſum prototypum „ referatur. „ *Eadem Baſilii auctoritate nititur Joannes Damaſcenus.* „ „ Nam ut ille rerum divinarum, *inquit*, doctiſſimus interpres Baſilius ait: imaginis honor ad exemplar tranſit. Exemplar porro eſt „ id, cujus effigies exprimitur, ex quo forma derivatur. Quam ob „ rem Moſaicus Populus tabernaculum, quod cæleſtium rerum, imo „ univerſæ creaturæ imaginem & figuram gerebat, undique prorſus „ adorabat. „ *Prius autem, quam fundamentum cultus relativi, admodum lubricum ſubvertamus, Baſilii mentem attentius conſiderare debemus, quia ipſe eſt optimus verborum ſuorum interpres. In libro, quem de Spiritu Sancto ad S. Amphilochium Iconii Epiſcopum emiſit, ſuſius agit de unitate Eſſentiæ divinæ, cui non repugnat perſonarum Trinitas. Verba ita fluunt.* „ Quomodo igitur, inquit S. Ceſareæ Epiſcopus, ſi unus & unus ſunt, „ non ſunt duo Dii? Quoniam Rex dicitur & Regis imago, non au„ tem duo Reges. Neque enim poteſtas ſcinditur, neque gloria divi„ ditur. Quemadmodum enim principatus, ac poteſtas nobis domi„ nans una eſt, ſic & glorificatio quam illi deferimus, una eſt, „ non

a] pag. 419.

„ non multæ: nam imaginis honor ad exemplar transit. Quod igitur „ hic est per imitationem imago, hoc illic natura filius. Et quemad- „ modum in iis, quæ arte fiunt, similitudo est secundum formam: „ ita in divina incompositaque natura, in communione Deitatis est „ unio. „ *Re satis perpensa non videmus, quale in his Basilii verbis, si in ambitu suo spectentur, Romanenses inveniant præsidium. Non enim agit de cultu imaginum, sed de Mysterio unitatis, quæ in essentia divina est conspicua. Evincere allaborat Basilius identitatem Essentiæ in Patre, & in Filio, quia Filius est imago Patris, essentiæ, & splendor gloriæ illius, Hebr. I. 3. & Coloss. I. 15. propterea non scinditur potestas, neque gloria, ut loquitur Basilius, dividitur, sed est una potestas dominans. Uni refertur, ob unitatem essentiæ, gloria, quæ Patri & Filio præstatur, ut ipse Christus asserit:* „ Quidquid per nomen meum petieritis, id faciam, „ ut honoretur Pater in filio. Joan. XIV. 13. „ *Omnis igitur gloria, Filio, Patris imagini adhibita, redit & ad Patrem, ceu ad primum suum exemplar: quia Jesus confirmat de se ipso:* „ Pater in me est, & ego „ in Patre: qui me videt, videt Patrem. Joh. cap. XIV. com. 9. 11. „ *Urget porro Basilius: quod sicut in arte factis adest similitudo secundum formam: ita est in divina natura incomposita Deitatis unio: Nam in filio adest similitudo formæ, quia est imago essentiæ, & splendor gloriæ. Hæc omnia de Filio Dei & Patre vera sunt, sed præter mentem & intentionem Basilii ad imagines, & sua prima exempla a Romanensibus applicantur, & quasi vi trahuntur. Non enim hæc de cultu Sanctorum, eorumque imaginum relativo dixerat Basilius, sed de Filii Dei honore, quo ipso & Deitatem ipsius everat, & unitatem essentiæ stabiliverat. Placet igitur Patrem ex Patre explicare, & Basilii mentem, quam ad rem suam detorquent Romanenses, vindicare ex Augustino, qui ita in locum Joannis commentatur.* „ Qui me videt, videt & Patrem. Non quod ipse es- „ set Pater & Filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patri- „ passiani, catholica fides damnat; sed quod tam similes sint Pater & „ Filius, ut qui unum noverit, ambos noverit. „ *Tam subdole Romanenses utuntur Patrum scriptis, & ea de quibus ne per somnium quidem illi cogitarunt, mira audacia, quin imo effrenata, pro sua sententia, adducunt impudentia.*

2 Audivi Kieslingi monita tua, reprehensionemque vehementissimam, qua non Trombellium tantum, ceterosque Catholicos, qui vestigiis II. Nicæni Concilii Patrum inhærentes Basilium pro relativo imaginum cultu allegant, verum etiam, te judice, Damascenum distringis. Erit igitur Damascenus summi profecto nominis apud veteres doctor, erit (inquam) in eorum numero, qui *subdole utuntur Patrum scriptis, & ea, de quibus ne per somnium quidem illi cogitarunt, mira audacia, quin immo effrenata, pro sua sententia, adducunt impudentia.*

3 At cur tandem tam vehementer Nicænos Patres, Damascenum, & Catholicos omnes accusas? Quia scilicet (inquis) non de imaginum cultu, sed de unitate essentiæ in Patre, & Filio tum disserit

Basilius, qui honorem filio adhibitum referri docet ad Patrem, cujus filius expressissima, & consubstantialis imago est. Fac ita esse. An propterea *subdole utimur Patribus?* An propterea *mira audacia, quin immo effrenata eos adducimus impudentia?* Nihil minus. Basilii argumentatio hæc est. Quidquid præstantiæ, ac perfectionis Deus Pater habet, commune filio est, cujus consubstantialitas satis traditur in Scripturis. Par itaque, atque æqualis glorificatio utrique debetur. Neque id infirmatur ex eo quod filius imago sit Patris: Ea enim imago Patris est, ut consubstantialis illi sit: Notio autem imaginis minime nos cogit, ut duas naturas in illis agnoscamus, in Patre unam, in filio alteram, ideoque duos Deos, majorem Patrem, minorem filium; duoque genera honorum illis deferamus, majus Patri, filio minus. Etenim non cogimur duos Reges dicere, imaginem Regis, & Regem ipsum: Sed Regem dicimus & Regem ipsum, & illius imaginem: honor autem, qui imagini defertur Regis, ille ipse est, qui Regi defertur: etenim ab imagine transit ad exemplar. Itaque tametsi filius imago sit Patris, non continuo naturam habebit a Patris natura diversam, neque minori honore afficiendus est, sed prorsus eodem, nam honor qui defertur imagini, ad exemplar imaginis transit. An negabis me vera tradere? Ecce porro Basilium latinitate donatum ab eo ipso, quem tu allegas, S. Mauri doctissimo Monacho, cujus interpretationem prorsus sequor. „ Neque enim juxta compositionem „ numeramus, ab uno ad plura facientes incrementum, ut dicamus „ unum, duo, tria; neque primum, secundum, ac tertium. *Ego enim* „ *Deus primus, & ego post hæc.* Secundum autem Deum nunquam „ hactenus audivimus, quippe Deum ex Deo adorantes, etiam pro„ prietatem profitemur hypostaseon, manemusque in uno principa„ tu, non dissipantes Theologiam in scissam multitudinem eo quod „ unam in Deo Patre, & Deo unigenito formam, ut ita loquar, con„ templamur, in una & omnino simili deitate expressam. Filius enim „ in Patre, & Pater in Filio: quandoquidem hic talis est, qualis „ ille, & ille qualis hic; atque in hoc unum sunt. Itaque juxta per„ sonarum proprietatem, unus sunt, & unus: at juxta communem natu„ ram, unum sunt. Quomodo igitur si unus & unus sunt, non sunt duo „ Dii? Quoniam rex dicitur & regis imago, non autem duo reges. Ne„ que enim potestas scinditur, neque gloria dividitur. Quemadmo„ dum enim principatus ac potestas nobis dominans una est: sic & „ glorificatio, quam illi deferimus, una est, non multæ: nam imagi„ nis honor ad exemplar transit. Quod igitur hic est per imitationem „ imago, hoc illic natura Filius. Et quemadmodum in iis, quæ arte „ fiunt, similitudo est secundum formam: ita in divina incompositaque „ natura, in communione deitatis est unio. „ Vides itaque Kieslingi mi te palam errare, cum ais *identitatem essentiæ in Patre & filio* indicari verbis illis, *imaginis honor ad exemplar transit*, dignosque esse qui reprehendantur Catholicos, cum ad asserendum relativum imaginum cul-

cultum auctoritate Basilii utuntur. Merito scilicet utuntur; cum generalis ea sit propositio, quam & in creatis imaginibus, & in consubstantiali Patris imagine, divino Verbo, adhuc verissimam esse vult Basilius. Calumnia itaque mera est, mi Kieslingi, id quod tu de Catholicis Basilii auctoritate abutentibus tradidisti.

CAPUT III.

Alia Kieslingii aberratio desumpta ex precibus, quas coram sacris imaginibus fundimus: atque huic etiam occurrimus.

1 Kieslingius noster, quasi parum a proposito argumento aberrasset, rursus ab eo aberrat, accusatque Catholicos coram Sanctorum imaginibus orantes. Cur porro? quia Sanctos ipsos orant. Sed objectionem, qualiscunque ea sit, placet ipsis Kieslingii verbis exponere. *Concedam* (inquit ille [a]) *quod tamen respuit Venerabbas, prudentiorem aliquem Romanæ Ecclesiæ alumnum coram Mariæ, S. Petri, Rochi, & sui Sancti tutelaris imagine, in genua provolutum, preces non ad Mariam, Petrum, Rochum, aut suum Patronum, sed ad Deum directe emittere, & nullius prorsus Sancti in precibus suis injicere mentionem: quærimus autem, num hic omnis exulet Sancti cultus? Negamus: quia & indirecte cultus ad imaginem & ejus prototypum transit. Quid enim opus erat, ut in hoc, quod cum Deo habendum est, commercio, coram imagine Sancti se in terram demittat, imaginem contempletur, & osculetur? Omnis oratio remoto hoc arbitrio, remotisque omnibus quæ cultum & venerationem Sanctorum augent, ceremoniis erat absolvenda.*

2 Post hæc invehitur primo quidem in Trombellium ipsum: de quo hæc ait: *At enim vero hæc erroris excusatio non est ad Ven. Abbatis desiderium. Sancti ipsi sunt adorandi, non Deus per Sanctos est invocandus, & colendus*, aliaque, quæ paulo ante & retulimus, & rejecimus: deinceps vero in cultum ipsum relativum, quem in Sanctis ipsis fistere ait, illisque veluti adhærere, non ad Deum ipsum ascendere. Hunc vero cultum illis ipsis argumentis reiici ait, quibus a veteribus Christianis cultus simulacrorum rejiciebatur; quod ut probet, Arnobii locum desumptum ex lib. VI contra Gentiles, Augustini quoque sermonem II in Psal. 113 allegat. Tum adducta Orientalis Ecclesiæ confessione, quæ relativum imaginum cultum approbat, eam irridet, & vehementer redarguit. Notanda sunt inter cetera hæc vere aurea, & Kieslingio dignissima verba (*b*): *Si unio Sancti cum sua ipsius imagine, ut præsens esse possit, stabilitur, cultus omnino ad imaginem terminatur. Si quis enim imaginem sui defuncti parentis multis amplexibus exosculatur, & in meu-*

[a] §. VI. pag. 411. [b] pag. 414.

mente præsentiam demortui habet atque imaginem, eam ob rationem amplectitur, quod mente sibi fingit, & concipit illum esse præsentem, res est in propatulo cultum ad imaginem transire, quia manes & umbram complecti nequit. Et hæc Sanctorum in suis imaginibus præsentia, est illa, quam supra ex Arnobio excitavi, gentilium opinio. Porro peccatur, quod unus idemque cultus, Christo, Deiparæ Virgini, & Sanctis tribuitur: Nam asseritur: Ut Christo inclinamus capita & genua, cum gratiarum actionibus; ita Deiparæ inclinamus capita & genua. Sic itaque & discrimen latriæ, & hyperduliæ, quod alii constituunt, penitus tollitur. Et si vel maxime subintelligeretur cultus hyperdulicus imagini Mariæ deferendus, nullum tamen adscisceret Romanenses erroris præsidium; quia non Sanctis, sed soli Deo cultus internus, & externus ex animi motu profluens est præstandus.

3 Concludit *imaginum venerationem indifferentem, qualis est* (inquit) *regum & nostrorum amicorum honor, qui consistit in imaginum contemplatione, picturæ artis encomio, earumdem, si placet, conservatione, sin vero minus, remotione, mutatione, & in locum aliquem dejectione* a se quidem approbari: *etenim nulla huic imaginum cultui adhæretet impietatis, & superstitionis nota*: Sed cum secus agant Pontificii, & easdem imagines in locis sacris collocent, *vestiant, & varia, si dicendum quod res est, crepundiorum genera circa illas exerceant, & sanctæ conservent sic ut capitis forte pœnam sit subiturus, qui violentas illis injecerit manus, recedit ille ab his ritibus, & eos cum imaginibus ipsis Trombellio donat. Claudo* [inquit ille] *nunc vivos, & Ven. Abbati has Sanctorum imagines dono, quæ si prodesse non possint, oculos saltem pascent, & suos delectabunt cultores.*

4 Quamquam hæc, uti diximus, alterius loci materies sunt, Dissertationis scilicet X, in qua quidem Trombellius copiosissime argumentum hoc pertractavit, ne tamen videamur Kieslingii objectiones effugere, breve iis responsum facimus. Duabus de causis coram Sacris imaginibus genua flectimus, & oramus: vel scilicet, ut earum aspectu incitemur ad pietatem [a]: vel ut imagines prototypi vices, ut ita loquamur, suppleant. Si primum tantum cupimus, commodissime coram Sanctorum imaginibus orationem Dominicam, aliasque ad Deum ipsum directas preces fundimus. Si vero alterum, Sancti illius, cui supplicare volumus, imago sit oportet illa, coram qua oramus. Nimirum, ut verbis Trombellii utar (*b*): „ tantas interdum amoris, & caritatis flammas non modo in sanctissimis feminis, sed etiam in sapientissimis viris, religiosæ sanctaque imagines excitarunt, ut subito ac pio ardoris æstu correpti sic imagines ipsas oscularentur, amplecterentur, alloquerentur, quasi non imagines, sed personas ipsas, haberent præ oculis: tantum in illis potuit cogitationis & memoriæ vis, ab imaginibus excitata. Sic Mariam Ægyptiacam non aliter

(*a*) Vide quæ tradit Trombellius Diss. IX. cap. LXXVI. n. VII. VIII. & seq. pag. 365. & seq. [*b*] Diss. IX. cap. 76. n. 13. pag. 367.

„ ter cum Deiparæ imagine colloqui interdum ſolitam fuiſſe ferunt, „ quam ſi cum Deipara ipſa eſſet collocuta. „ Num vero jure meritoque in Trombellium inveharis, an non Kieslingi, ea evincunt, quæ ante diximus propoſitione I, ac II.

5 Cultum Sanctorum relativum ad Deum ipſum aſcendere, eique deferri, ſatis antea oſtendi.

6 Quæ objecta ſunt ex Arnobio, & Auguſtino, aptiſſimam reſponſionem habent capite XI Diſſertationis X (*a*) Trombellii, in quo quidem capite non eſt omiſſus Arnobius, & expreſſiſſime allatus locus ille Auguſtini, quem Kieslingius deinceps attulit. Hæc loca conſule.

7 Cur vero Kieslingi, hic affers Orientalis Eccleſiæ definitionem, relativum imaginum cultum approbantem? An id negavit Trombellius? an hic ſaltem illius meminit? Minime vero. Sed, ut acutus cenſor appareas, ejuſdem Orientalis Eccleſiæ monita recenſes, ut ea ſcilicet refutes. At dum id agis, deridiculus appares; eam enim definitionem loco non apto recenſes, ineptiſſime vero redarguis. Refertur ſane ad prototypum honor delatus imagini, amorque, quem præferos; verum in prototypo non ſiſtit, ſed ille ipſe honor prototypo delatus ad Deum aſcendit, ad fontem ſcilicet gratiæ, per quam Sanctus ille ſanctitatem aſſecutus eſt, cujus cauſa eum honoro. Tibi exhibe ante oculos legati, aut amici Principis imaginem: eam honora, oſculare, ſi vis, ut in ea honores legatum illum, & amicum Principis: dic mihi Kieslingi, honor ille ſiſtitne in imagine, an in prototypo illius? Minime vero, immo aſcendit ad Principem, cujus cauſa honoro legatum illius, aut Amicum non modo in ſe, verum etiam in illius imagine. An non id cum Sanctorum imaginibus agere poſſumus?

8 Cur autem exteriora illa honoris argumenta, quæ Sanctorum imaginibus præſtamus, objicis, cum expreſſiſſime tradiderit Trombellius indifferentia hæc eſſe, nec Deo reſervata. Vide quæ docuit ille capite 25 Diſſertationis IV, & quæ nos quoque ea de re docuimus.

9 Egregium vero honorem defers imagini Principis, ſi *in locum aliquem* [obſcenum etiam, ut arbitror] dejicis (*b*). Profecto ea eſt nationum omnium conſenſio, ut quo quiſque honeſtiori in loco pingitur, aut exprimitur, honoratior cenſeatur. Contra ſi deleatur illius cultus, ſtatuæque dejiciantur, aut aliud id genus agatur, quod hominum opinione minus honeſtum eſt, dedecus non leve ſubeat. Celebratiſſima ſunt quæ in Suetonio legimus (*c*). *Statuæ quidem Auguſti caput dempſerat, ut alterius imponeret. Acta res in Senatu. Et quia ambegebatur, per tormenta quæſita eſt. Damnato reo, paulatim hoc genus calumniæ eo proceſſit, ut hæc quoque capitalia eſſent. Circa Auguſti ſinulaeram ſervum cecidiſſe, veſtem mutaſſe, nummo, vel anulo effigiem impreſſam latrina, aut lupanari intuliſſe.*

Hinc

[*a*] n. 3. & ſeq. pag. 47. (*b*) *& in locum aliquem dejectione.*
(*c*) in Tiberio 58.

Hinc quum Sejanus Tiberio factus inviſus in calamitatem incidit maximam, hoc illi ad dedecus additum eſt, ut illius ſtatuæ ex ſublimibus, celebribuſque locis, in quibus poſitæ erant, dejicerentur: iratuſque diu in Antiochenos fuerit Theodoſius, quod ſtatuas illi erectas temere dejecerint (a). Tu vero Kieslingi mi nova cudis jura, viſque imagines quaslibet etiam ſacras impure dejici, ac quo libuerit, projici poſſe. Ubinam gentium hæc didiciſti? Eaſdem porro imagines ſacras in templis merito pingi, retinerique, Trombellius luculenter oſtendit capite LXVIII Diſſertationis IX; ſubſequenti vero, ideſt LXIX, ab objectionibus morem hunc vindicavit, Ad loca ea te allego.

AD

[a] Vide quæ tradunt Tillemontius Tom. V hiſto. Imperat. in Theodo. I. cap. 31. &c. pag. 204; & Chryſoſtomus Tom. II. editionis Montfauconi.

AD EXERCITATIONEM VIII.

In qua (Kieslingio tamen judice) *Voluntas Dei ſigni in colendis Sanctis confutatur.*

CAPUT I.

1 TEcum Kieslingi convenimus in notione voluntatis *ſigni*, quam Deo tribuimus. Voluntatem ſigni eam eſſe cum Trombellio [a] ſtatuimus, qua ſibi aliquid *acceptum, gratumque eſſe manifeſtis argumentis Deus ipſe declarat*. Convenimus quoque Kieslingi in eo, quod (ut tuis ipſis utar verbis) *ſigna, quibus expoſuit Deus, ſibi Sanctorum cultum non diſplicere, ſint beneficiorum per Sanctos collatio, & miracula per reliquias, & imagines edita*: At non in eo convenimus, quod deinceps his verbis mones (b): *Male procedit hac ratio: Si Deus per rem aliquam beneficia mortalibus contulit, aut per eandem miracula fieri decrevit, ergo huic rei deferendus eſt cultus, a Deo ipſo per voluntatem ſigni deſignatus, & ipſi acceptus. Unius cauſæ plures ſunt fines. Verus, & a Deo intentus in primis obſervandus eſt ſcopus. Fuit voluntas ſigni, ut Moſes ſuo baculo ad perpetranda in Ægypto, & deſerto miracula uteretur: Quid eſt, inquit ad Moſen, quod in manu tenes? reſpondit: baculus. Dixitque Dominus: projice eum in terram. Projecit eum, & verſus eſt in colubrum, ita ut Moſes effugeret e com.* 1. 3, *& rurſus: baculum quoque hunc ſume in manum tuam, quo ipſo facturus es ſigna, com.* 17. *Exod. IV. Hic habes voluntatem ſigni; nam adeſt præceptum. Moſes hoc pedo ad miracula in Ægypto facienda uti debebat. Offendis operationem; quia præclara certe miracula hujus opi effecit Moſes, ut hunc baculum virgulam pluſquam Divinam eſtimaveris. At valde eum Venerabili Abbate aberrarem, ſi ex hac ſigni voluntate; ut loqui amat, cultum aliquem extorquere vellem. Ubi quæſo eſt mandatum de cultu hujus baculi, de quo adeſt voluntas ſigni in miraculis conſpicua? Si igitur Ven. Abbas tempore Iſraelitarum ex Ægypto emigrantium vixiſſet, auctor, ſuaſorque ipſis de cultu hujus pedi ſine dubio extitiſſet; quia miracula facta, & beneficia Divina per hoc inſtrumentum in Iſraelitas ſunt emiſſa. Nam beneficio hujus virgæ, ſi a Deo receſſeris, Mare-rubrum tranſiecerunt, & in Deſerto fontes Iſraelitis ſunt aperti. Sed nullibi lego, ob hæc ſigna huic pedo Moſis cultum eſſe ab Iſraelitis delatum. Neque hoc omine Deus hunc baculum Moſi commendarat.*

(a) cap. 19. pag. 196. [b] pag. 426, & 427.

Digitized by Google

2 Tum hæc Kieslingius noſter ſubjicit §. III. *Afferam planius, hoc ipſo teſtimonium. Fuit voluntas ſigni, nempe mandatum, ut Moſes erigeret Serpentem æneum, ut ejus aſpectu languidi morſibus veneatis ſanarentur. Hæc voluntas Dei ſigni, ut cum Ven. Abbate loquar, expreſſis legitur verbis.* „ Dixit enim Deus ad Moſen, fac tibi Ser„ pentem ignitum, & attolle illum ſuper vexillum: & omnis mor„ ſus, qui convertetur ad eum, ſuperſtes erit. Num. XXI. 8. „ *Rurſus voluntatem ſigni in ſerpente æneo conſpicies. Mandatum, & Miraculum offendes. Sed deſidero præceptum de cultu hujus Serpentis? Non deprehendo veſtigium cultus huic Serpenti ignito ab Iſraelitis delati. Diu cultus hujus Serpentis in populo Iſraelitico non invaluit, at ſubdole introductus, ſine vitio extinctus eſt. Efflagito cauſas, ob quas Rex Exechias hoc ſingulare monumentum, quod ab Iſraelitis colebatur, deſtruxerit? Actum non egero, ſi hoc, de quo diſceptatur, argumentum ſingulari ratione diluero, demonſtraveroque, male voluntatem ſigni ad actum, & cultum applicari. Applicatur autem hæc Scholaſticorum ſcopa, citra omne veritatis documentum, quum deſtructio hujus Serpentis, ob invaleſcentem cultum huic probationi plane contrarietur. Si enim hæc voluntas ſigni ſuaſiſſet ſerpentis ignitι cultum, & Moſes, qui hanc venerationem non introduxit, & Exechias, qui hoc ſimulacrum deſtruxit, valde peccaſſent. Non meam deſero cauſam, ſed quod tracto argumentum, prolixius ero, ſpe nixus fore, ut ea, quæ hanc rem penitus exhauriunt, rationum mearum munimenta, ſi ea adduxero, haud ingrata ſint futura.*

3 His adjicit quædam Scheleſtrati, ſeu, ut ipſe appellat, Schelſtratenii verba, quæ ad ſerpentem quidem æneum pertinent, ſed ab argumento, quod pertractat Trombellius, remotiſſima ſunt; tum in Patres Concilii Nicæni II. ſe ſe intorquet his verbis (*a*): *Perſuaſum, imo certiſſime nobis eſt perſuaſum: Iſraelitas aſpectu hujus Serpentis fuiſſe a morbo liberatos; ſed hoc nobis perſuadere fruſtra conantur Concilii Nicæni* II. *Patres, quia ita ſtatuerunt.* „ O inſania frementium contra fi„ dem, & religionem Chriſtianam, ut aſſerant, non colendas & ve„ nerandas imagines, in quibus figuratæ ſunt Salvatoris effigies, & „ ejus genitricis, vel Sanctorum, quorum virtute ſubſiſtit orbis, atque „ potitur humanum genus ſalute. Æneι Serpentis inſpectione credi„ mus, Iſraeliticum populum a calamitate injecta liberari, & Chri„ ſti Domini noſtri, & Sanctorum effigies aſpicientes atque venerantes „ dubitamus ſalvari? Abſit tali temeritati nefariæ cedere aſſenſum. *Abſit vero, ut huic inſaniæ & ſtupori horum Patrum, qui credunt per Mariam, & Sanctos ſtare Mundum & ſalutem hominum, noſtrum addamus ſuffragium. Serpens æneus fuit ſignum gratiæ temporarium, quod potiſſimum ad Iſraelitas in Deſerto morbo conflictantes ſpectavit, & dein-*

(*a*) pag. 429.

deinceps sine vitio ab Ezechia Rege comminutum est, & exustum. 2. Reg. XVIII. 4. Nullo in loco legimus, hoc simulacrum a tempore Moſis fuiſſe ab Iſraelitis cultum, donec purior Dei cultus ante tempora Ezechiæ deſueſceret, quem tamen, removendo, & prorſus abolendo ſerpentem æneum, rex laudatiſſimus reſtituit. Haud inanis & fruſtranea erit opera, ſi paucis in hunc ſerpentis inquiſitvero cultum. Poſt hæc in deſcribenda antiquitate cultus ſerpentibus adhibiti immoratur, quem etiam apud *Babylonios, Phœnices, & Ægyptios* invaluiſſe ait. De ſerpente æneo, quem Moyſes ex Dei juſſu erexit, teſtatur virtutem habuiſſe ex eo, quod Chriſtum repræſentaret. Eundem ſerpentem merito ab Ezechia confractum fuiſſe affirmat, *quod ſpes in Deo ſolo ſita ſit* [a]. Sic denique exercitationem hanc concludit [b]: *quæro nunc ex eo, ubi nam ſit voluntas ſigni, ſeu præceptum de colendo ſerpente æneo, gratiæ divinæ, & auxilii ſingularis inſtrumento & medio? Diſcere cupio, ubi ſit in Sanctis colendis, quorum ope beneficia exhibuiſſe, & in quorum gratiam miracula feciſſe creditur Deus? voluntas ſigni? Ubi mandatum de ipſorum cultu? Prohibitio quidem in Scriptura Sacra ubique occurrit, ſed nullum de horum Sanctorum cultu mandatum legitur, quod tamen in hac ipſa deridenda prorſus diſtinctione, de voluntate ſigni, vel latere, vel aperte adeſſe debet. Vix crediderim hæc ſerio ſcripſiſſe Vener. Abbatem, qui forte quendam ingenii luſum, & immaturum cerebri fœtum nobis obtrudere voluit. Suo ſeipſum decipiet argumento, neque unquam inde probabit, Deo acceptum eſſe Sanctorum cultum. Quod enim in ipſum Deo impingit cultum, id Deo gratum eſſe nemo dixerit.*

4 Nihil tamen proficis Kieslingi mi. Non ita diſputat Trombellius, uti ineptiſſime eum diſputantem facis: novit enim inferri non poſſe aliquid eſſe colendum, ex eo quod eo veluti inſtrumento utatur Deus ad facienda miracula: Deus enim ad facienda miracula uti, ſi vult, poterit nubibus, aliiſque inanimis, immo etiam hoſtibus ipſis ſuis, quibus ſane nullum prorſus cultum adhibebimus: ſed hoc tantum diſputatione ſua Trombellius poſcit, ut ex facilitate qua Sanctos invocantes beneficia accipimus, deducatur invocationem hujus modi Deo eſſe acceptam: cum enim ipſe ſit beneficiorum fons, ſi Sanctorum invocatio ipſi diſplicere t, beneficia tam facile non impertiret. (c)

5 Quod ſi petas, ad quod genus *ſigni* hæc Dei largitas, ac beneficentia pertineat, cum revocari non poſſit ad *præceptum*, *nec ad prohibitionem* (d), facilis eſt reſponſio: revocari facile poſſe ad ſubſequentia

[a] pag. 431. (b) pag. 432.

(c) Quod quiſque ſupplex poſtulat
Fert impetratum proſpere,
Poſcunt licenter, indicant,
Et triſtis haud ullus redit. Prudentius *Periſteph.* hym. II.

(d) Kieſlin. pag. 432. *Quæro nunc ex eo* (Trombellio), *ubinam ſit voluntas ſigni.*

capita, quæ sunt *consilium*, *permissio*, & *operatio*. Vide Magistrum Sentent. lib. I. distin. 45. conclusione IV. Nimirum is consulere videtur, & veluti ad id agendum allicere, qui obsecranti facile annuit. Merito vero conjicimus, operari eum beneficia, quæ a Sanctis poscimus, si celerius elargiatur, eaque ratione, quæ plerumque a communi tritaque remota sit. An vero si operatur id quod per sanctos petimus, petitiones nostræ ei displicebunt? Hæc, non alia quæpiam est argumentatio Trombellii. Tu porro ne de disputatione hac tua [quasi esset nova, aut invicta] glorieris, scito argumentum a te prolatum, qualecunque illud sit, penitissime fuisse jam pridem ab eo solutum, nimirum capite XI dissertationis VIII [a]: sed lege & ea quæ numero tertio capitis VII (b) tradit. His autem locis edocet, qua ratione miracula per reliquias peracta nos deducant ad eas relative colendas.

6 Quæ ex Scheleſtrate adducis, uti jam dixi, omittimus, neque enim e re nostra est aut Doctorum nostrorum testimonia congerere, cum in iis, quæ a Tridentino edocemur, idem sentiamus omnes, aut ea vindicare. Quæ vero adversus Nicæni II Concilii Patres objicis, responsionem hanc habent. Perperam ii reprehenduntur, cum dicendum utique sit, non ad Sanctos omnes, sed ad Christum, & Deiparam, quorum effigies antea nominarant, respexisse. An non vero per *Christum subsistit Orbis*? An non per Mariæ obedientiam, & conceptum in ea Verbum salutem est consecutum humanum genus? Non ergo insani, aut stupidi dicendi ii sunt, quod eu per summam humanitatem facis, propterea quia illa dixerunt, quæ reprehendis.

7 Sed quo spectant ea, quæ de Serpentum cultu copiosissime profundis? Quid hæc cum quæstione a Trombellio proposita, adversus quam te scribere profiteris? An scilicet ex his probabilia profecturi sunt argumenta, *quibus pius*, *Deoque acceptus ostendatur cultus Sanctis adhibitus*? Neque vero affinitatem ullam habent serpentes ii, de quibus agis, cum serpente illo æneo, quem Moyses Dei jussu erexit: quis enim sibi inducat in animum, voluisse Deum remedium præstare Hebræis in eo cultu, quem, ut tuis utar verbis, *Taautus*, *seu Thoth apud Ægyptios inclytæ apud Phœnices laudis & sapientiæ*, *reipublicæ pater*, *& institutor excogitasse fertur*: cum hujusmodi cultus procul dubio fuerit idololatricus, & serpens a Moyse erectus Christum repræsentaverit, fueritque ab Idolo remotissimus?

8 Rectissime porro eundem serpentem tametsi a Moyse erectum confregit Ezechias, quia, uti jam Trombellius monuit [c], eum ipsum Hebræi adorabant: vel, si vis, in eo species eorum adorabant, quos Ægyptii, Phœnices, & Chaldæi adorabant, item fere ut in vitu-

---

[a] pag. 320. (b) pag. 304. [c] Differ. VIII. cap. 3. n. 3. pag. 304.

vitulo aureo, & in vitulis a Jeroboamo erectis imaginem Dei Apis ab Ægyptiis culti. Vide quæ tradit loco allegato Trombellius. His quidem responsio sit ad ea omnia, quæ exercitatione VIII tradis, nam quæ §. VIII mones, satis antea soluta sunt.

9 Hoc tantum addo Kieslingi, te, qui adeo sinceritatem tuam jactitas, & puritatem in recensendis Trombellii argumentis, integram plane rationem aliam, qua Trombellius ad comprobandam persuasionem suam: *pium scilicet, Deoque acceptum esse cultum Sanctis adhibitum*, innititur, prorsus omittere. An id candidi sincerique hominis est? an id præclari censoris? an id denique scriptoris est adversarii disputationem non metuentis? Affirmabunt scilicet omnes, nec temere affirmabunt, rationem hanc numero VI expositam [a] propterea te omisisse, quod illi dissolvendæ impares tibi vires inesse perspectis.

AD

(a) Pag. 298. *Aliam pietatis hujusce cultus originem retuli in Sanctorum ipsorum excellentiam, & meritum &c.*

AD EXERCITATIONEM IX.

Cui hic apponitur titulus: *Miracula, & beneficia per Sanctorum reliquias facta ipsorum non confirmare cultum, asseritur.*

CAP. I.

1 AT dum non contemnendam disputationis Trombellii partem præterit censor noster, ut negligentiam suam, seu, si vis, vafritiem compenset, in ea ipsa parte, quam superiori capite expositi, vehementius insistit, & rursus id ipsum, quod antea pertentarat, hic exsequi studet, ut nempe ostendat: *miracula & beneficia per Sanctorum reliquias facta ipsorum non confirmare cultum.* Porro ut ad quædam capita illius objectiones revocem, tria illarum summa genera mihi esse videntur. Vel scilicet eo spectant, ut miracula per reliquias facta vera esse neget, aut certe valde dubia illa esse affirmet. Vel eo, ut conniveat miracula quædam per reliquias utcunque fuisse facta: neget tamen propterea esse facta, ut Sanctorum cultus asseratur: facta sunt quippe ad ædificandam Ecclesiam, & stabiliendam fidem illam, pro qua passi sunt Martyres, & quam Sancti omnes studiis, ac laboribus suis asseruerunt. Vel denique omisso prorsus argumento, quod sibi proposuerat Kieslingius, ut scilicet ostenderet, *miracula, & beneficia per Sanctorum reliquias facta, ipsorum non confirmare cultum;* hoc tantum volunt, ut reliquiarum cultus redarguatur.

2 Sic itaque primo Kieslingius disputat (*a*): *Porro mihi persuasum est, nec acutissimorum virorum destituor fide, multa superstitiosa & fabulosa his ipsis seculis, de istis Martyrum miraculis esse excogitata, & albo miraculorum, re non satis expensa, a Patribus nonnunquam nimium credulis illata. Quam Bellarminus cum Centuriatoribus Magdeburgicis de his primitivæ Ecclesiæ miraculis habuit, jam prolixius non ad certamen revoco, controversiam, quoniam illam apud Celeb. Reiserum elucidatam video.* Et deinceps (*b*). *Adhuc multa miracula effinguntur, & simplici & superstitioso popello apponuntur. Imo tam frequentes sunt miraculorum per reliquias, & imagines decantationes, ut modestiores & sagaciores Romanenses pudore suffundantur. Nemo dubitabit primis, iisque superstitiosis, quibus vixit Augustinus, seculis, eandem falsorum miraculorum persuasionem animos mortalium occupasse. Dubiis, quæ Nicephorus tradit, miraculis, patientes nemo facile præbebit aures, fidemque iis dabit, quando de Mo-*

(*a*) §. III. pag. 435. [*b*] pag. 436.

Monumento Glyceriæ Martyris unguento ſcateute, hæc commendat: „ Accidit ut Perinthius Antiſtes Byzantii eſſet, & pelvim eam [ab incantatore Paulino venditam] ita, ut venundabatur, compararet. „ Itaque cum vaſculo emto ſe in ſedem ſuam recepit, & ob reverentiam unguenti Martyris Glyceriæ, ſublato priore vaſe æneo, „ argenteum iſtud repoſuit, cultui divinitus manantis unguenti id maxime convenire arbitratus. Atque ille quidem hoc ſic fecit. Rivus „ autem unguenti conſtitit. Martyr enim ipſa piacula tantum detestatus, gratiam, & donum id cohibuit. Haudquaquam enim fas „ eſſe, tacens etiam dicebat, ut mundum immundo contingeretur. „ Hoc poſtquam diebus plurimis fieri cognovit Epiſcopus, oppido „ quam graviter tulit, variaſque curas in animo ipſe ſuo, quod ipſius culpa Eccleſia commoditate tanta orbari deberet, volutavit. „ Proinde ad lacrymas & preces converſus Deo ſupplicavit, ut hanc „ rem tam gravem auferret, & facti ejus cauſam latentem oſtenderet. *Cui miraculo ad fidem conciliandam Nicephorus Calliſtus hæc addit*: Atque hoc ita eſt geſtum. *Plenus hic Nicephorus eſt Miraculorum, & hiſtoriarum, quippe qui his vixit ſeculis, quibus ſuperſtitio in mundo tenuit imperium. Plurima, quæ refert Sanctorum miracula, ita ſunt comparata, ut fabulis illa merito accenſenda putarit Cel. Du-Pinius.* Nicephorus, *inquit*, ſuis libris inſeruit ingentem fabularum multitudinem, & eſt multorum errorum reus. *Animos haberemus nimis faciles, & perſuaſionis capaces, ſi enormia, & ficta difficillima, quæ in Bibliotheca Patrum maxima, & Actis Sanctorum referuntur, eo impetu crederemus miracula. Parum aut nihil nos curamus judicium Gregorii Turonici, qui Miraculis S. Martini Turonici Epiſcopi his verbis fidem facit, & incredulitatis pravaque mentis omnes, qui ea negant, his verbis accuſat.* „ Plurima quidem, *inquit*, *S.* Martinus „ Turonicus fecit in hoc ſeculo, de quibus ſcriptores ejus vitæ „ multa prætermiſerunt, dum faſtidium arcere detrahentium annitſ-ſunt: „ ne non crederentur ab his, qui bonorum ſanctitatem linguis veneficis impugnare ſæpius volunt: Sed nos qui quotidie indigni quidem, ejus miracula ceroimus ad ſepulcrum, quia non eſt opus ſanis medicus, ſed qui male habent: abſurdum duximus, ſi ea, quæ evidenter ab eo prius geſta cognovimus, ſileamus. Quia ſi quis adhuc eſt infidelis & æmulus, ut hæc non credat, accedat ad Baſilicam, & videbit quotidie & nova agi, & quæ facta dudum fuerant, iterari „. *Nondum in Romana Eccleſia hæc per ficta miracula decipiendi deſiit libido, ſed prompti adhuc ſunt, ut obſervat Cl. Joannes Zuingerus*, in fingendis, crepandis, & cacandis omnis generis miraculis. *Lego, & cum admiratione relego quæ impudenter Andreas Archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ ſummam Sanctis in omnibus calamitatibus aſſingat facultatem, ut quidquid velint, agere poſſint. Tam inſolenter de his Sanctis ſentit*: „ Sanctis Martyribus, qui pro Chriſto mortem „ perpeſſi ſunt, neque myſticæ beſtiæ, quæ Diabolus eſt, characterem,

„ rem, hoc est, imaginem apostasiæ illius susceperunt, judicandi po-
„ testas data est, per quam dæmones, ut ob oculos videmus, ju-
„ dicare non desinunt, usque ad præsentis seculi consummationem,
„ cum Christo glorificati a piis rursum regibus, fidelibusque Prin-
„ cipibus adorati, & divina denique virtute, contra omnem corpo-
„ rum morbum, fraudemque, & vim Dæmonum conspicue donati.
Nec dissentit Jonas Aurelianensis Episcopus.

3 An vero non simulata, sed vera miracula per Reliquias fieri censemus, quando Reliquiæ ipsæ non veræ esse dignoscuntur, sed confictæ? *Quotidie* (inquit Kiesslingius [a]) *nostris temporibus cruuntur corpora, & effodiuntur Roma reliquiæ, quæ cuidam Sancto, si etiam nulla certa legitur inscriptio, & vestigii nota, ex infallibili Pontificis judicio adscribuntur, quod novum alios decipiendi aucupium satis declarant Launojus, & Mabillonius, qui nobis ignotos Sanctos, & incertum reliquiarum judicium exposuerunt. Quid? quod hæc Sanctorum revelatio per suas reliquias quandoque adeo ridicula, & absona est, ut non nisi vi tibi ipsi illata, risum continueris, quod de S. Clementis reliquiis, quibus a multo non parum fidei, auctoritatis, & dignitatis accesse, ut supra prolixius demonstravi. Libet aliam Sanguinis Jesu Christi revelationem addere, quæ quidem lectu jucundissima, sed creditu est difficillima. Enarrat nobis illustris Muratorius miraculum, quod Carolo evenit, quam sanguinem Christi adhuc superstitem visitaret. Susceperat religionis causa iter, quod his seculis non insolens fuit. Pretiosa enim Sanctorum pignora quandoque Imperatores & Principes ad hæc reliquiarum monumenta invitarunt. Lucitum enim est ex decreto Budensi, reliquias in gratiam advenarum, & peregrinantium ostendere, quod multis exemplis probat Vener. Petrus Moretus. Mira nova nobis tradit illustris rerum Italicarum Scriptor Anton. Ludovicus Muratorius, de duplici Sanguinis Christi in Urbe Mantuana revelatione. Res satis digna est lectu, quam accurate tradere haud injucundum & otiosum esse puto.*

4 Statim vero Nerlii, cujus Chronica Clariss. Muratorius edidit, verba recitat; quibus recitatis, eam narrationem irridet: vult scilicet nullam supersse in terris Dominici Sanguinis particulam. Ideo vero irridet, quod Longini (qui centurio ille ipse fit, qui lancea Christi latus aperuit, & Sanguinem a Christo effusum in ampulla servavit) (b) *neque patriam, neque conditionem declarant scriptores, sed multa ridicula, & lepida trudunt; ut Clarij. Jo. Zwingero subscribere malim, Monachos vel ex ignorantia, vel proteruia ex voce λόγχη lancea, nomen Longini fabricasse. Ne verbulum quidem de hoc Centurione Longino, nedum de Miraculo in Scriptura S. leg mus. Miraculis propter mortem Creatoris, totiusque Mundi gubernatoris, factis Centurionem, si Longinus dicendus est, obstupefactum esse, & seriam egisse pœnitentiam, veramque Jesu divinitatem agnovisse, nos Scriptura S. edocet,*

cui

(a) §. V. pag. 438. (b) Kiesling. pag. 441.

cui præ Nerlio fides evictissima est præstanda: Sanguinem autem Jesu ceco reddidisse visum Longino, non litteris Sacris, sed Nerlii calamis est consignatum. Post hæc adjungit: *Superstitem esse Christi Sanguinem in mundo, valde dubito. Cedro digna mihi videntur Divi Petri effata, quæ de Davidis mortalitatis exuviis edisserit:* „ David quidem, postquam ætati „ suæ inservit, Dei consilio obdormivit, & ad suos Majores additus, „ corruptionemque passus est. *Actor.* II. 29. & *Actor.* XIII. v. 36. *De corpore Davidis in his locis, qui sunt conferendi, asserit Div. Petrus, illud jam corruptione, & tempore, quod edax est rerum omnium, prorsus esse imminutum & exiguum, licet Propheta, & familiaris Deo fuerit amicus:* Vidit corruptionem, & omnibus communia sensit fata: Sed Christi corpus emortuum corruptionem non vidit. Actor. II. 31. 8. *Hæc duo sibi invicem opponit, & dignitatem, præstantiamque Christi Corporis, ejusque resurrectionem præ Davidis corpore, quod ceu granum in pulvere terræ latuit, & post destructionem, tempus, quo revirescceret, longa sub nocte expectavit, singulari confirmat ratione. Quod si itaque Deus Sanctorum suorum corpora corruptioni tradidit, neque voluit, ut superessent, & hoc mortalium non paterentur fatum, tutus colligo, recentiorum Sanctorum corpora æque ac veterum jam siccata & prorsus esse consumpta, servato hoc pulvisculo, quod Deus ex terra colliget, & glorioso corpore & nitore pereximio rursus donabit. Pone igitur, superstitem esse vel minimam Jesu Sanguinis particulam: quæro, quo sine has sanguinis guttas in Mundo reliquias esse volverit? Ais, ut colantur: nego ego & pernego. Jesus non quasdam sui sanguinis guttas, si vere tales superessent, colendas, sed seipsum, quo verus est Deus Divina & humana natura constans, adorandum dixit. Non divulsit unionis hypostatica vinculum, sed unam personam in utraque natura adorandam demandavit. Non ipsius sanguini Mantuæ in vasculo anfracto adhuc residuo, sed glorioso Jesu omne genu se flectat. Philipp. II. 10. Si hanc sanguinis reliqui partem invocas, non totum Christum invocas, sed naturarum separas vinculum, & vel Eutychianorum, vel Nestorianorum faves erroribus. Hæc enim sanguinis particula, neque est in Divinam naturam transmutata, ut deliravit Eutyches, neque est a Divina divulsa natura, ut somniavit Nestorius, sed huic unioni personali in statu exaltationis semper manet sociata. Si igitur Romanenses has sanguinis adorant guttas, graviter peccant, quia tota Christi Persona, secundum utramque naturam, est colenda, & adoranda. Concinne B. noster Chemnitius scribit:* Fides, adoratio, & invocatio ita ad personam Christi diriguntur, ut non alteram tantum in ipso naturam, sed utramque intueantur, & apprehendant. Rom. III. 25. *Cessat proinde reliquiarum, si superessent, cultus. Difficulter ad nostras, hoc in argumento, accedunt partes Romanenses, quibus elabendi, & fallacias, erroresque occultandi media non prorsus deesse videntur. Pro aris, & focis pugnant, ut reliquiarum cultum defendant, quam si amiserint provinciam, labascit & evanescit aliquo modo Sanctorum veneratio, immo cessat sacrum reliquiarum lucrum.*

§ Sed age Kieslingi edifiere, obsecro, quem feriant grandes tuæ,

& terribiles minæ. An Trombellium? Minime vero; quippe qui nec miracula omnia, quæ indocta plebs evulget, approbat, nec Nicephorum in id, de quo differit, allegat, sed Auguſtinum, alioſque probatiſſimos auctores. Aerem itaque verberas mi Kieslingi, non Catholicos Doctores, & magiſtros, qui facile fatentur, interdum ab imperitis, aut vafris hominibus miracula ea dici, quæ vere miracula non ſunt: ideoque canones quoſdam ſtatuunt, quibus ficta a veris, dubia a certis ſecernant. Plura hoc de argumento ſcriberem, niſi me præoccupaſſet Sanctiſſimus, idemque Doctiſſimus Pontifex Benedictus XIV; quippe copioſiſſime de eo argumento differit [a]. Omitto præclaras illas tuas, & Kieslingii moderatione digniſſimas phraſes, quas ex Zuingero extribis, ut tuas adornes paginas, *in fingendis, crepandis, & cacandis omnis generis miraculis*. Nolumus ſcilicet tecum certare conviciis, neque tam imprudentes ſumus, ut hiſce exemplis ad elegantiam in ſcribendo conſectandam permoveamur.

6 Quæ his verbis ais (b): *noſtris temporibus eruuntur corpora, & effodiuntur Romæ reliquiæ, quæ cuidam Sanctо, ſi etiam nulla certa legitur inſcriptio, & veſtigii nota, ex infallibili Pontificis judicio aſſcribuntur; quod novum alios decipiendi aucupium ſatis declararunt Launojus, & Mabillonius, qui nobis ignotos Sanctos, & incertum reliquiarum judicium expoſuerunt*, digna peritia, ac ſinceritate tua ſunt, Kieslingi mi. An Launojum, an Mabillonium legiſti? Minime vero; neque enim ſi legiſſes, eos veluti patronos tam abſonorum dictorum allegare potuiſſes. Audi itaque, quid hi doceant. Launojus monet, accidiſſe interdum, ut minus cauti Sanctum eſſe putarint, qui Sanctus utique non erat. Nonne nos ipſi hoc fatemur; atque in eo Eccleſiæ diligentiam, ſolertiamque laudamus, quæ non vulgi ſententiam ſequitur, *ſed cuncta expendit, quod bonum eſt, probat*. Quod Launojus tradit, alii multi ex Catholicis pariter tradunt, veluti Jo. Baptiſta Thiers [c], Honoratus a S. Maria (d), aliique etiam: ſic ut immerito ad Launojum nos amandes, quaſi is tantummodo tradidiſſet, irrepſiſſe aliquando in Sanctorum, & reliquiarum cultum, quodpiam minus laudabile, quod poſtea ab Eccleſia ſublatum eſt. Et, ne multos perquiram, Trombellius ipſe hoc apertiſſime faſſus eſt (e): quamquam & is, & reliqui doctiſſimi Viri, qui Trombellio hoc in argumento præluſerunt, facile offenderunt, nihil id Reliquiarum, & imaginum cultui officere (f). Plura eo de argumento ſi cupis, ea tibi præbebit Vir ſapientiſſimus, quem ſæpe laudavi, Benedictus XIV in ſuo præclariſſimo Opere *de Canonizatione Sanctorum* (g), ad quem te allego.

7 Quod

(a) de Cano. lib. IV. cap. 1. & ſeq. (b) pag. 438. (c) in Tract. *de Superſtit.* (d) Critic. To. II. lib. 1. diſſ. I. art. IV. &c. (e) Diſſ. IV. cap. 24. pag. 313. Diſſ. VIII, (f) Vide nuper allegata, & Caput XV, & ſubſequentia Diſſertationis VIII. (g) Lib. IV. par. 2. cap. 27.

Digitized by Google

7 Quod ad Mabillonium attinet, non ita desipuit ille, ut ea docuerit, quæ tu eum docuisse ais. Sed quoniam video te ne illius quidem legisse *epistolam* [nam quidquid *de Sanctis ignotis* tradidit in epistola tradidit, quam inscripsit *Eusebii Romani ad Theophilum Gallum*] hoc tradidit; inter notas, atque argumenta Martyrii, inscriptiones tantummodo, quæ expresse Martyrium declararent, & ampullas sanguine plenas sacris cadaveribus appositas, debere seligi, reliqua vero, ideoque etiam *palmas*, non magno habenda esse in pretio: qua in re antecessorem habuit Papebrochium, consectatorem vero Clarissimum Muratorium. Adversus Mabillonium libellum scripsit Alexander Plouverius, deinceps vero multa tradidit Boldetus, qui pro *palma* veluti indubitato Martyrii signo decertavit (*a*). Illud tamen consecutus est epistola illa Mabillonius, ut nostris temporibus ea tantummodo corpora e sacris cemeteriis effodiantur, Sanctisque donentur altaribus, quibus apposita est ampulla sanguine plena, aut certi Martyrii expressissima inscriptio. Hoc in argumento præter Boldetum nuper allegatum, plurima cum laude versatus est etiam ille idem præclarissimus Pontifex Benedictus XIV, cujus sæpe cum laude meminit [*b*]. Ea itaque, si vis, consule.

CAPUT II.

Satisfit reliquis duobus Objectionum generibus.

1 AT aliam evasionem jam parat Kieslingius. Connivet scilicet; & veluti omittit, quod Trombellius exposcit; multa nimirum miracula per reliquias esse peracta: & negat ex iis inferri posse, quod nos inferimus, Sanctos scilicet esse colendos (*c*].

Nnn 2 2 Hinc

[*a*] *Osservaz. sopra i Cimiteri &c.* pag. 234. (*b*) Lib. IV. par. 2. cap. 27.

(*c*) *Multa sunt* [inquit pag. 434) *& innumera fere Reliquiarum Miracula, quæ tamen & fuis oculis non vidit, sed relata retulit Augustinus, ad quem Ven. auctor provocat. Primo id ex Augustino ipso, quem excitat, mihi demonstrandum est, quod subdole tamen negat Vener. Abbas; hæc Miracula per Martyrum reliquias facta esse non tam ad Religionem, fidemque Christianam confirmandam, quam potius ad Venerationem & cultum Martyrum, Sanctorumque stabiliendum. Vera esse jam aliquo modo concedam, quæ refert, Martyrum Miracula. Sed hoc planum est, edita illa esse in Christi Nomine, ad fidem, quam professi sunt pii Martyres, Christianam adstruendam. Quantum enim in Arianis, ejuratissimis Christi hostibus, situm fuit, & vivos, & jam defunctos Christianæ fidei Confessores e Mundo tollere, & hoc augustissimum Christi Nomen penitus extirpare, insana plane rabie allaborarunt. Inde bella piis sepulcris inferenda indixerunt, & in eorum reliquias saviverunt. Jesus, qui*

hæc

2 Hinc ineptiſſime revelationes Pontificii comminiſcuntur, quibus affirmant detectas reliquias. Etenim, ſi has etiam admittimus, nulla ratione Pontificios eæ juvant, cum eas admittant Ambroſius, & Auguſtinus, qui tamen minime ex iis eruunt Sanctos eſſe colendos. *Hæc omnia* [inquit Kieslingius (*a*)] *Patrum, ſi conceſſero, teſtimonia, Virum Venerabilem nihil juvant; nam neque Auguſtinus, neque Ambroſius, neque Chryſoſtomus, aut alius quiſpiam Eccleſiæ Pater ex eo cultum Sanctorum deduxit, neque Reliquias Sanctorum, eorumque imagines propter hæc Miracula, adorandas, colendaſque eſſe dixit. In aprico eſt, hac ſuperſtitione laborare Romanenſes. Quo vero hanc ſuam de reliquiarum, imaginumque cultu eo magis incruſtent ſententiam, miris utuntur pigmentis, ex revelatione reliquiarum depromptis. Revelationes eum in finem factas eſſe comminiſcuntur, ut honorentur Sanctorum Reliquiæ, & pio imagines afficiantur cultu. Revelationem corporum, Martyrum Protaſii, & Gervaſii Ambroſio Mediolanenſi factam enarrat S. Auguſtinus. Eam vero ad ſtabiliendum*

---

hæc immania in ſuis paſſus eſt membris, ſuam gloriam, & poteſtatem, his ipſis revelavit Miraculis, & veritatem tanto ſplendidiorem reddidit Chriſtianam. Non igitur propter Martyrum memoriam excitandam, aut eorum venerationem ingerendam; ſed ad fidem Chriſtianam longe lateque diſſeminandam, quandoque Miracula per mortuorum reliquias fieri Deus ſivit. Cujus ſententiæ Auguſtinum ipſum excito vindicem, qui de Miraculis Martyrum antea commemoratis ſic ſentit: „ Cui, niſi huic fidei „ atteſtamur iſta Miracula, in qua prædicatur Chriſtus, reſurrexiſſe „ in Carne, & in Cælum aſcendiſſe cum Carne? Quia & ipſi Martyres, hujus Martyres, id eſt, hujus fidei teſtes fuerunt, huic fidei teſtimonium perhibentes Mundum inimiciſſimum & crudeliſſimum pertulerunt, eumque non repugnando, ſed moriendo vicerunt. Pro iſta ſi„ de mortui ſunt, qui hæc a Domino impetrare poſſunt, propter cujus „ nomen occiſi ſunt. „ Argumentum de honorandis Martyribus ob hæc miracula, quibus Sanctis ſingulare acceſſit dignitatis, & honoris documentum, quod urget Ven. Abbas, ille ipſe, quem modo excitavi, Auguſtinus, ſubvertit. Objectamento, quod forte tanto dignius honorandi ſint Martyres, quanto majoribus inclaruerint miraculis, ipſe occurrit, quem laudavi, S. Auguſtinus, & Ven. Abbatis rationem infirmat, aſſerens. „ Faciunt, inquit, iſta Martyres, vel potius Deus, vel „ orantibus, aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, quæ eos, „ non Deos eſſe noſtros, ſed unum habere nobiſcum credamus. De„ nique illi [nempe gentiles] talibus Diis ſuis & templa ædifica„ runt, & ſtatuerunt aras, & Sacerdotes inſtituerunt, & Sacrificia „ fecerunt: Nos autem Martyribus noſtris non templa, ſicut Diis, „ ſed memorias ſicut hominibus Mortuis, quorum apud Deum vivunt „ ſpiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrifice„ mus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum, & noſtro: ad quod „ ſacrificium ſicut homines Dei, qui Mundum in ejus confeſſione „ vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen a Sacerdote, „ qui ſacrificat, invocantur. „

(*a*) *l. V. pag.* 438.

dum aliquem cultum datam esse nullibi dixit. Novum est novorum Patrum, Jona Aurelianensis, & aliorum virorum figmentum, qui cultum ex hac Protasii, & Gervasii revelatione extorquent. Revelatio vero ipsa, si eam spectes, facile contingere potuit, absque ullo divino, quod fingunt, somnio.

3 An Trombellium his monitis contrivisti Kieslingi? Tu quidem id affirmare videris, eaque de re arrogans, atque imperiosus incedis. Scito tamen Kieslingi mi, vanam esse, ac fallacem hanc, quam tu jactas victoriam. Num litterariam hanc pugnam pulcre exordiris, dum duo manifesta mendacia statim effundis? Quis enim negabit mendaciter esse prolatum quod his verbis ais: *Multa & innumera fere sunt reliquiarum miracula, quæ tamen & suis oculis non vidit, sed relata retulit Augustinus: subdole negat Venerabilis Abbas, hæc miracula per Martyrum reliquias facta esse, non tam ad religionem, fidemque Christianam confirmandam, quam potius ad venerationem ac cultum Martyrum, Sanctorumque stabiliendum.* Scilicet utrumque pernego Kieslingi, nec temere pernego. Trombellius [a] ut ostendat, *miracula quandoque obtineri per Sanctos*, ad Augustinum provocat Capite VIII, IX, & X Libri XXII *de Civitate Dei*. At undenam assecutus es, hæc audivisse ab aliis, non perspexisse Augustinum. Sane ita ea refert, ut lectori persuadeat Augustinus (b), *nunc etiam fieri miracula in ejus* [Christi] *nomine sive per sacramenta ejus, sive per orationes, vel memorias Sanctorum ejus*. An apte hæc diceret Augustinus, si tantum ea *ab aliis* relata referret, ipse vero nullum horum *suis oculis vidisset*? Sed quid efficacius Kieslingi mi ad impudentissimum mendacium tuum detegendum his ipsis Augustini verbis, quæ tamen poteras tu in ipso fere limine Capitis VIII legere [c]. *Salutem quæ facta est Innocentio Exadvocato vicarie præfecture, ubi NOS INTERFUIMUS, & OCULIS nostris ADSPEXIMUS... Ego tamen prorsus orare non POTERAM: HOC TANTUMMODO: breviter in corde meo dixi: Domine quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis*? Deinceps in eodem capite [d]. *Nos tamen novimus*. Rursus [e]: *Forte accidit, ut ego, & collega tunc meus Synitensis Ecclesiæ, Maximinus in proximo essemus &c.* Se etiam vadem præbet eorum, quæ postea tradit, cum hæc ait (f): *Hipponensem quandam Virginem scio... Scio etiam Episcopum semel &c.* Reliqua referre non vacat: certum est quippe in iis, quæ allegavi capitibus, aut ea describere miracula, quibus ipse interfuit, aut quæ notissima erant, & omnibus comperta, aut denique *quæ a talibus prius audierat, de quorum fide dubitari non posset* (g), ideoque ea, quæ certo vera esse compererat.

4 An vero negat Trombellius, *Miracula per Martyrum reliquias facta esse ad religionem, fidemque Christianam confirmandam*: vult vero *potius facta esse ad venerationem, ac cultum Martyrum, Sanctorumque stabiliendum*? Nihil minus. Trombellius apertissime fatetur ad confirmandam

[a] Pag. 300. [b] cap. VIII. n. 1. [c] n. 3. [d] n. 4. (e) n. 6. (f) n. 8. (g) Ibidem n. 5.

dam religionem noſtram miracula fieri; idque inculcat, & palam ait: Sed & hoc adjecit, non ob id *tantummodo fieri miracula*, verum cum fiant apud eos etiam, qui fidem Catholicam profitentur, & approbant, & fiant Martyrum deprecatione, & oratu, propterea etiam aliquando fieri, ut conſtet, quantum eorum interventus apud Deum valeat: quod idem eſt, atque id, quod olim dixerat Scriptor actorum SS. Epipodii, & Alexandri iis verbis a Trombellio excitatis: *Virtutes plurimæ quæ Sanctorum potentiam prodiderunt*: quæque Auguſtinus, Paulinus, aliique allegati a Trombellio viri præclariſſimi, & a te plane omiſſi, memoriæ prodiderunt. Sane ut in eo conſiſtam loco, quem tu ipſe citas, capite ſcilicet VIII libri XXII *de Civitate*, nonne Auguſtinus & refert, & approbat voces illius, qui hæc ait [a]? *Potens eſt Deus Sanctorum orationibus, qui fugavit Dæmonem, lumen reddere*. Et revera Deum Sanctorum interventu lumen reddidiſſe adoleſcenti, de quo tum loquitur, rei eventus comprobavit. *Quod cum feciſſet, ſanioſſimum invenit &c.*

5 Jam nunc vero ad objectiones tuas venio Kieslingi, ajoque rurſus, quod nuper dixi, miracula non modo fieri ad fidem noſtram teſtificandam, verum etiam fieri ad oſtendendum, Martyres poſſe apud Deum interventu ſuo, atque oratu nobis impetrare beneficia, ideoque quantum eorum merita, atque obſecrationes apud Deum valeant. Quamquam & hæc ipſa miracula, quæ Sanctorum interventu, atque obſecratione fiunt, Catholicam Religionem maxime juvant. Scilicet, cum eorum Sanctorum obſecratione, atque interventu fiant, quos in *Catholica* vixiſſe certum eſt, neque ea fiant eorum obſecratione atque interventu, qui extra *Catholicam* vixerunt, palam liquet eos Deo eſſe acceptos, qui in *Catholica* vivunt, minime vero eos, qui ab ea deficiunt. Ad hæc, Sacrarum reliquiarum revelationes, quarum quidem occaſione miracula maxima edita ſunt, & mortalibus beneficia collata ſi iis tantummodo fiunt, qui in Catholica Eccleſia vivunt, haud obſcure indicatur hos Deo tantummodo acceptos eſſe.

6 Chriſtianam autem Religionem palam promovent hæc ipſa miracula Sanctorum interventu edita, quatenus declarant Deum illum, quem ii coluerunt, quorum reliquiæ repertæ ſunt, & Catholici colunt, naturæ Dominum eſſe, quippe miracula edit, quæ falſi Dii edere non poſſunt. Deus igitur verus is eſt, & unus verus Deus eſt.

7 Quod ex Auguſtino profers: *faciunt iſta Martyres, vel potius Deus &c.*, Trombellio minime ignotum fuit: quippe illud etiam attulit. Profecto nihil illi obeſt, cum non de *cauſa efficiente miraculorum* diſputetur, ſed de cauſa impetrante. Dicimus porro Deum tantummodo eſſe cauſam primariam efficientem. Num vero ea efficiat per ſe, vel per Angelos, vel per Martyres ipſos, merito diſputatur: ſed dum diſputatur etiam a noſtris, impetrationi Sanctorum minime obeſt quælibet eligatur opinio. Sacrarum reliquiarum revelationes ad eas colendas invitant, qua-

[a] n. 7. *Victoriana dicitur Villa &c*

quatenus invitant populos ad impetranda ab eis beneficia, quos videns Deo acceptos adeo, ut eorum corpora occulta esse noluerit: Deo populorum pietatem promovente, dum beneficia etiam extraordinaria iis impertit, qui ad Sanctos confugiunt, eorumque reliquias colunt. Sane Ambrosius, quum illi reliquiæ aliquæ Dei revelatione innotuere, ad earum locum oravit: quod plane declarat, eas preces ad Sanctos eos esse directas, quarum reliquias eo in loco delitescere noverat [a]. Augustinus quoque in eo ipso, quod allegavimus, capite VIII libri XXII *de Civitate*, nonnulla miracula affert, quibus palam occasionem, & veluti impulsum dedit detectio reliquiarum S. Stephani, quæ revelatione innotuerant [b]. Expresse hic memoro quod de revelatione reliquiarum Gervasii & Protasii, quarum tu meministi, tradit [c]: scilicet miraculum illud grande editum esse, quod narrat: quodque locum Sanctorum suffragatione testatur ipsemet, dum has voces approbat: *Patens es Deus Sanctorum orationibus, qui fugavit dæmonem, lumen reddere*: hæcque adjicit: *Tunc sicut potuit, oculum lapsum, atque pendentem loco suo revocavit ligavit orario: nec nisi post septem dies putavit esse solvendum. Quod cum feciſſet, sanissimum invenit. Sanati sunt illic & alii, de quibus dicere longum est.*

8 Quod porro ais his verbis: *revelatio vera ipsa, si eam spectes, facile contingere potuit, absque ullo divino, quod fingunt, somnio*, quo spectet, tu quidem scies, si tamen scies: sed ego profecto non novi. An nos revelationem *ad divina somnia* (ut cuis utar verbis) coarctamus? Minime vero. An nos *somnia divina fingimus*? Nihil minus. Revelationibus sane probatissimis, ideoque minime fictis, sacras innotuisse reliquias, satis Trombellius ostendit capite XV Dissertationis VIII [d], ad quod quidem caput te allego.

9 At postremos Kieslingii conatus audiamus oportet, reprehensiones scilicet reliquiarum, & cultus earum. *Inanis denique* [inquit (e)] *& levis est, quam afferunt ad cultum reliquiarum muniendum, ratio: hæc Sanctorum exuvias ideo a Deo conservari, ut mortalium religioni inserviant. Sanctorum reliquiæ non tam animi Religiosi stimulum promovent, quam superstitionem augent. Inde non male concluditur, hanc veram esse causam, ob quam Deus emortuum Mosis corpus ipse sepulturæ dedit, ut omnem Israelitis superstitionis & cultus idololatrici instaurandi præscinderet ansam. Nam Deuter. XXXIV. 6. dicitur.* „ Et sepelivit eum Dominus, „ & non cognovit homo ejus sepulcrum usque in præsentem diem. „ *Auferendum itaque Deus duxit Mosis corpus, ne ipse superstitionis in hac gente ad idololatriam proclivi esse videretur auctor, quod præter alios Theologos, quos æstimant Romanenses, Jac. Bonfrerius profitetur, ita sentiens*: Causa autem, *inquit*, cur Deus ignotum ejus sepulcrum esse vo-

(a) Paulinus *de Vita Ambrosii* n. 33. [b] n. 10. *Ad aquas Tibilitanas &c.* n. 11. *Memorati memoriam Martyris &c.* (c) n. 7. *Victoriana dicitur Villa &c.* (d) n. 15. pag. 336. [e] §. VII. pag. 442.

voluerit, ea fuit, ne quando Iſraelitæ ad idololatriam proclives, virum tam admirabilem ac prope divinum pro Deo haberent & colerent. *Si Deus U. T. Moſis oſſa ſuſtulit, & abſcondidit, ne Iſraelitis cederent offenſioni, ſequitur, Deum omnis cultus ſuperſtitioſi oſorem, neque Novi fœderis ætate reliquiarum cultum approbare, ſed deteſtabili plane odio proſequi. Sanctitati enim Divinæ prorſus repugnat hominum falli non neſciorum augere & alere ſuperſtitionem. Quam purioris cultus rationem, per revelationem Chriſti, toto ex orbe auferre, & ſanam de Deo, rebuſque divinis ingenerare voluit cognitionem.*

10 At hæc & loco minime opportuno dicta ſunt, ac leviſſima ipſa, ac futilia. Utilitas quæ a Sacris reliquiis provenit, capitibus 24, 25, 26, & ſequentibus duobus Diſſertationis VII expoſita eſt a Trombellio. Ad ea loca cordatum Lectorem amando.

11 Cur Deus occultum voluerit corpus Moyſis, minime reticuit Trombellius; immo cumulate eo de argumento diſſeruit capite ipſo primo Diſſertationis VIII [*a*]. An ea repetere cogemur nos, cum ſolutionem eam ne attigerit quidem Kieslingius noſter? Lector ea loca conſulat, obſecro.

AD

(*a*) n. 8, & 9. pag. 280.

AD EXERCITATIONEM X.

Quam *de Juſto Reliquiarum æſtimio* Kieslingius inſcribit.

CAPUT I.

1 CUr propoſitum deſeris Kieslingi, & tu qui Trombellio jugiter adhærere, eumque premere, ac perſequi ſtatueras, nunc ab illo recedis, ut quod in pectore nutris adverſus ſacras reliquias odium, & rabidam malevolentiam evomas? An levia tibi videntur, quæ capite XXII, & ſubſequentibus duobus in defenſionem noſtrorum rituum Trombellius attulit? Cur ea diſſimulas? quaſi in iis non diſſolviſſet Vir ſolertiſſimus præcipuas objectiones tuas? Oſtendit ſcilicet capite XXII, appellari rectiſſime poſſe *religioſum* cultum, qui Sanctis adhibetur. Expendit capite XXIII ea, quæ ex communibus Deo, & Sanctis delati cultus argumentis a Proteſtantibus obiiciuntur, amovitque ſcrupulos, ſi qui ea in re extarent. Capite vero XXIV diſſolvit ea, quæ ex ſuperſtitione in Sanctorum cultum facile irrepente, atque ex ejuſdem ſuperſtitionis periculo deducuntur. An verebaris, ne quod Trombellius promiſerat, exſequeretur? Promiſerat ſcilicet vir ille a fraude alieniſſimus quatuor poſtremas diſſertationes ſe aſſignaturum reliquiis, & imaginibus (*a*): eaſque revera nullo interiecto temporis intervallo edidit. Paucos tamen Kieslingi mi hac arte fallis. Silentio ſcilicet tuo, tuiſque inopportunis excurſibus, atque aberrationibus, non obſcure declaras, quantum Trombellii monita cauſæ tuæ noceant: Veritus itaque, ne tui noſcant jam plane eſſe ſoluta, quæ tu inexpugnabilia eſſe ais, Trombellii monita prorſus omittis. Siccine ampla ea promiſſa ſervas Kieslingi? (*b*) *Verba Venerabilis Abbatis accurate, ut ipſa fluunt, appoſui, neque ullam litteram mutavi, ne falcem in alienam witterem meſſem.*

2 Nolo tamen hæc ipſa, quæ tu effuſiſſime proloqueris, omittamus, ne ſcilicet glorioſus apud tuos incedas, veluti ea propoſueris quæ ſolvere neſciverimus. Ut porro dictorum tuorum ordinem ſequar, fateor ea quæ ex Scriptura allegas circa Sanctorum corpora, revera extare in Scriptura. Nollem tamen ad ea explicanda adhibuiſſes verſiculum illum Horatii:

[*a*] *Poſtremas quatuor* (diſſertationes) *aſſignabimus iis, qua Sanctorum cauſa veneramur, eorum nempe reliquiis, & imaginibus.* Præfa. ad Audito. cap. 7.

[*b*] præf. pag. 39.

Vita ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam, quem tu ut noſtro dogmati accommodes, ita vertis, ut legas: *ſpem non vetat inchoare longam*. An immutatis Horatii verſiculis indigemus, ut dogmata noſtra explicemus? An potius verebaris, ne minus eruditus appareres, niſi aliquem veterum Poetarum allegaſſes? Fateor quoque vera illa eſſe, quæ tu ex Patribus profers, ut oſtendas curæ eſſe Deo, ut Sanctorum reliquiæ aliquando revocentur ad vitam. Sed præter hæc admittendum etiam cenſeo, quod tu denegas, Eccleſiæque Romanæ, veluti maculam objicis (*a*): *hæc Sanctorum pignora a Deo veluti theſaurum aliquem Eccleſiæ eſſe data*. An non id aſſequimur ex iis monumentis, quæ capite VII diſſertationis VII adduxit Trombellius? An non Acta vetuſtiſſima S. Polycarpi, hujuſce Sancti Martyris *oſſa gemmis pretioſiſſimis exquiſitiora*, & *ſuper aurum probatiora* appellant? (*b*) Id ipſum diſcimus ex narratione Paulini, illius ſcilicet, qui vitam Ambroſii conſcripſit. Nimirum hæc ait [*c*]: *Quo levato corpore martyris, & in lectica compoſito, ſtatim ad S. Celſum martyrem, qui in eodem horto poſitus eſt, cum Sancto Sacerdote ad orationem perreximus. Cognovimus tamen a cuſtodibus loci ipſius, quod a parentibus ſuis illis traditum ſit, non diſcedere de loco illo per omnem generationem, & progeniem ſuorum: eo quod theſauri magni in eodem loco poſiti eſſent. Et vere magni theſauri, quos non erugo, neque tinea exterminat, neque fures effodiunt, & furantur, quia cuſtos eorum Chriſtus eſt*. In ipſum ex Actis S. Ignatii (*d*) id ipſum ex Actis Theodoti & Septem Virginum [*e*], aliiſque multis diſcimus. Theſaurum maximum, & innumeris bonis redundantem Joſephi Patriarchæ oſſa appellat Chryſoſtomus [*f*]. Sed hoc de argumento, uti dixi, copioſe agit Trombellius, ad quem te allego.

3 At Trombellio, & reliquis doctoribus Catholicis *malam fidem* exprobrat Kieslingius his verbis (*g*): *Mala nobiſcum agunt fide, qui id nobis perſuadere, & cum Ven. Abbate, aliiſque ad S. Polycarpi Martyris, de quo ſupra egimus, reliquias provocant. Circularis enim Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtola hæc nobis tradit*: Atque ita nos poſtea, *inquiunt*, oſſa illius gemmis pretioſiſſimis exquiſitiora, ubi decebat, depoſuimus. *Terra demandarunt Polycarpi exuvias, ſed non conſervarunt Smyrnenſes. Quin immo, bi pii Jeſu teſtes ægerrime tulerunt, ſi Martyrum exuvias terra interdiceret Tyranni, quod de furore Diocletiani, & Veri in Gallia tanquam maximum doloris argumentum proponit Euſebius, qui de hac Veri immanitate ita conqueritur*: Nos, *inquit*, graviſſimo interim dolore premebamur, quod humare cadavera nobis non liceret. Nam neque noctis tenebræ nos juvare, neque auri vis flectere, neque preces ullæ animos eorum commovere potuerunt. Sed omni ſtudio atque indu-

(*a*) pag. 445. (*b*) n. 18. editio. Cotelerii pag. 37 editio. Veron. Ruinart. (*c*) Vit. S. Ambro. n. 33. (*d*) n. 5. pag. 19 editio. Veron. Ruinart. (*e*) n. 12. pag. 300 ejuſdem editionis. (*f*) n. 4 homiliæ de S. Droſide. (*g*) pag. 446.

Digitized by Google

duſtria cadavera cuſtodiebant, quaſi ingens lucrum facturi, ſi ſepultura caru iſſent.

4 Sed quam negligenter Euſebium legiſti, Kieslingi, qui hæc eum narraſſe ais de *furore Diocletiani, & Veri.* Nulla ibi Diocletiani fit mentio Kieslingi mi, ſed tantum *Veri*: quod facile didiciſſes, ſi titulum ſaltem illius capitis attendiſſes: quippe hic eſt: *Quot in Galliis, & quo modo pro pietate occubuerint regnante Vero.* Et ſane ſubſequens caput, ideſt ſecundum, hoc modo exorditur: *Hæc ſupradicti Imperatoris temporibus Chriſti Eccleſiis contigerunt, ex quibus ea quæ in reliquis provinciis geſta ſunt, conjectura aſſequi licet.* De Diocletiani autem perſecutione deinceps tantummodo agit, libro ſcilicet octavo [a]. Et tamen tu adeo diligens, & in citandis ſcriptoribus circumſpectus, non vereris alios malæ fidei, & negligentiæ accuſare?

5 Verum ut ad objectionem tuam veniam, ſcito eam dudum diſſolutam fuiſſe a Trombellio; capite quippe V Diſſertationis VIII monuit. coli adhuc poſſe Sanctorum corpora, & reliquias, tametſi terra condantur. Quamquam vero majus commodum ad Sanctorum cultum propagandum præbet ſacrarum reliquiarum translatio, & ſectio; earumque in privatis ædibus decens obſervatio; adhuc tamen ſine his coli poſſunt, Sancti, vel ſubſtitutis ſcilicet corporibus Sanctorum, reliquiis ſanctificatis, vel compulſis fidelibus, ut loca, in quibus Sancti ſepulti ſunt, inviſant, & venerentur: tum enim, ſi alia deſint, peregrinationes frequentiores fient, & intentior erit devotio, pietatem augente ſtudio, ac labore in peregrinatione ſuſcepto.

6 Quæ adverſus ſacrorum corporum translationes, & diviſiones, ſectioneſque urges, reſponſionem habent capitibus X, XI, XII, & ſubſequentibus diſſertationis VII Trombellii: Rurſus quoque capite V diſſertationis VIII: ad quæ quidem loca lectorem allego.

7 Lucrum, quod ex reliquiis factum ais, ſi revera ex iis factum eſt, vehementer damnatum eſt, & adhuc damnatur, jugiterque damnabitur ab Eccleſia. Vide quæ Trombellius capite poſtremo diſſertationis IV, & capite XXII diſſertationis VIII ſcripſit. Curam porro ſummam in reliquiis dijudicandis adhibitam fuiſſe ab Eccleſia, manifeſto declarant quæ capitibus XVII, & XVIII diſſertationis VIII [b] idem Trombellius attulit. Tu tamen quaſi hęc neſcires, adhuc Catholicis exprobras. O admirabilem Kieslingii prudentiam!

(a) capite I, & ſubſeq. [b] pag. 341, & ſeq.

AD EXERCITATIONEM XI.

Quæ hunc titulum habet: *De Cultus Reliquiarum in Romana Eccleſia origine.*

CAPUT I.

Summatim exponuntur argumenta Kieslingii.

1 PErſtat adhuc egregius cenſor noſter in oppugnando reliquiarum ſacrarum cultu, nec iis contentus, quæ antea attulit, alia adiicit, eo ordine quem ubique ſervat, hoc eſt prorſus nullo. Utcunque ſit, illius reprehenſiones audiamus. Tria ſtatim docet (*a*): *Frigida eſſe argumenta, quæ in reliquiarum cultu ſtabiliendo ab hiſtoria Eccleſiaſtica nos deſumimus: naturam hujus cultus ad Gentilium accedere ſuperſtitionem: Nihil nos agere qui hujus cultus religioſi originem ex ſeculis II, & III eruere ſatagimus; quum tot primorum Patrum, Cypriani, Irenæi, Minucii, Tertulliani, Arnobii, & Lactantii reclament teſtimonia. Id enim egerunt hi primi veritatis chriſtianæ defenſores, ut ſe ab omni ſuperſtitionis macula expurgarent. Sufficiunt inſuper quæ de ſollicita reliquiarum ſepultura ex nonnullis adduxi Patribus, documenta. Rebus chriſtianis ſeculo demum quarto per Conſtantinum Magnum tranquillitate redditis, hic reliquiarum cultus ſua nactus eſt auſpicia.* Hæc Kieslingius, qui ſtatim (ideſt §. ſecundo) iterum inculcat Conſtantino Magno imperante invectas fuiſſe in Eccleſiam eas conſuetudines, quas nunc ſervamus, dum ſcilicet ſepulcra eminentiora martyribus extruimus, aras eorum reliquiis ornamus, Baſilicas in eorum honorem erigimus, aliaque id genus agimus, a Gentilitate Kieslingio judice derivata, & certe ſuperſtitione refertiſſima. An id negabis, poſtquam de tranſlationibus reliquiarum Abbas Fleurius hæc tradidit (*b*)? *Frequentes reliquiarum tranſlationes fuerunt cauſa fingendorum multorum mendaciorum, & occaſio multarum impoſturarum. Hic abuſus reliquiarum degeneravit tandem in ſuperſtitionem.* Multa hoc ſuper argumento tradiderunt Kemnitius, & Baſnagius (*c*).

2 Quod ſi quis ad antiquiora tempora conſuetudines eas referat ex eo quia in *Conſtitutionibus*, quas *Apoſtolicas* vocant, hæc leguntur: *Abjque ulla obſervatione in cœmeteriis congregamini, lectionem ſacrorum librorum facientes, atque pſallentes pro defunctis martyribus, & omni-*

(*a*) pag. 448. (*b*) Diſcours ſur l' Hiſto. Eccle. Tom. I. pag. 172. (*c*) Hiſto. de l' Egliſe To. II. lib. XIX. pag. 1123. Edi. Rotterod.

omnibus a ſæculo Sanctis, & pro fratribus veſtris, qui in Domino dormierunt: item antitypam regalis corporis Chriſti, & acceptam, ſeu gratam Euchariſtiam offerte in Eccleſiis veſtris, & in cæmeteriis: Si quis, inquam, ad antiquiora tempora propter allegata verba conſuetudines eas referat, facile reſpondetur conſuetudines eas, de quibus diſputatur, hic non exhiberi, ſed tantum Euchariſtiam, qua ſignificatur nos in eadem communione eſſe, atque erant ii, quorum recurrentibus feſtis eam ſumimus. Perperam itaque aliquid amplius voluit ea Euchariſtiæ ſumptione ſignificari Henricus Valeſius, quem refellimus. *Hæc fuit (a) antiquiſſima chriſtianorum primis ſeculis recepta conſuetudo, ut reliquias martyrum, ceu pignora in ſpem futuræ reſurrectionis terræ demandarent. Quam igitur in natalitiis martyrum celebrarint communionem cum Sanctis, mera fuit martyrum memoria ..... Rieus autem, quo martyrum, putatitiorumque nonnunquam Sanctorum reliquiæ effodiuntur, & ſuperſtitioſa donantur veneratione, eſt recentior, & in Hieronymi incidit ætatem. Primordia ſua reliquiarum cultus hoc ſeculo IV. & ſeqq. ſumpſit, renitente tamen non ſine ratione Vigilantio, qui, uti ſupra expoſuimus, Proceſſiones cum Martyrum reliquiis valde improbavit. Succrevere deinceps alii abuſus, quos Romana Eccleſia, pro eo, quo eſt in rebus Sacris in Eccleſia primitiva laudandis, & piis quidem rejiciendis, malis autem & aperte falſis tenaciſſime retinendis ſtudio, in ſuam Eccleſiam adoptavit. Quales dixeris ſtorum in Mortuorum tumbas ſparſiones, vini & unguenti effuſionem, reliquiarum oſcula, & Proceſſiones cum his Sanctorum pignoribus inſtitutas. Quos ritus B. Sagittarius non reticuit.*

3 Adiicit & hæc (b): *Nondum expir ſſe has Eccleſiæ chriſtianæ admodum in pejus vergentis tricas, & crepundia, teſtis eſt, quem excitavi, Petrus Morettus. Hucuſque Valeſius bene. Male vero Valeſius interpretatur dictum Paulinum ad Romanos, & verba* τὰς χρείας τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες *de reliquiarum cultu exponit. At ſatis evicit Magiſc. Deylingius criticorum facile Princeps, Optatum, & Hilarium erraſſe, & pro voce* χρείας *legiſſe* μνείας, *quod vitium facile emendare potuiſſet, ſi voluiſſet Valeſius. Hac autem ratione vel ignorantiam, vel ſuperſtitionem prodidit ſuam. Quod ſi vel maxime teſtimonia, quæ huic inſtituto favent, nobis afferrent e Patribus manibus interpolaticibus tractatis; his tamen ipſis veritatem noſtram non ſubverterent Romanenſes: quia natura cultus reliquiarum, indoli veræ & ſanæ doctrinæ repugnat. Putior enim cultus improbat religioſam expoſitionem; pompoſam earundem in proceſſionibus geſtationem; ſuperſtitioſam earum venerationem; miraculoſum malorum ſpirituum per illas depulſum; inſitam iis miraculo efficiendi virtutem, inanem horum amuletorum uſum, & quæ ſunt alia hujus abuſus, & ſuperſtitionis genera. Nos has omnes cultus ſpecies, a vanæ perſuaſionis crimine non liberamus.*

4 Poſt hæc, tandem aliquando venit Kieslingius ad id, quod titulus habet: ſcilicet *ad originem cultus Sanctorum reliquiis adhibiti.* Eam porro deſumit

---

[a] Kiesling. pag. 451. [b] pag. 452.

ſumit ab Ægyptiorum, aliorumque Gentilium conſuetudine. Hi ſcilicet majorum ſuorum *corpora conſervant, & religioſe coluerunt.* Aſſert vero, ut id oſtendat, ea quæ de Theſei reliquiis effoſſis, Athenas deductis, & cultis narrat Plutarchus in vita Theſei.

5 His ex Plutarcho deſcriptis, hæc adiicit [a]: *Primum, quod noſtrum excitat indagandi ſtudium, eſt oraculum, quo Athenienſes de recolligendis, deportandis, & honorifice colendis Theſei reliquiis ſunt admoniti. Conticuere quidem Ethnicorum oracula, ſed ſomnia. & revelationes adhuc Romanenſes jactitant, quibus impelluntur ad effodiendas, & religioſe conſervandas Sanctorum reliquias. Id quod ex revelatione Protaſii, & Gervaſii, & Sanguinis Chriſti, quin & S. Clementis ſatis eſt evictum. Miraculoſam reliquiarum fucatis debuccinant verbis revelationem, ut tanto majorem his adſciſcant venerationem: qualis revelatio per aquilam in Theſeo, & per mulum in S. Clemente, ut ſupra diximus, conſpicitur. Deportantur non ſolum alias in regiones Sanctorum Reliquiæ, ſed & magna cum pompa in feſtis exponuntur, & circum geſtantur. Cogitanti, & penitius repetenti in mentem incidit feſtorum celebratio apud Gentiles. Solemne enim fuit olim Gentilibus ſua ſecularia & Deorum, Dearumque feſta maximo cum apparatu inſtituere, & vicinos populos litteris per legatos miſſis invitare, ut has ſolemnitates ſua præſentia redderent tanto illuſtriores. Amphitheatra ad ſpectacula publica habenda, ſunt extructa, magiſtratus ſuis togis, Sacerdotes ſuis albis, & cereis cum thenſa, nec minus votivi utriuſque ſexus ornati veſtibus, cum ſuis tædis, & lucernis publicas celebrarunt proceſſiones, hymnos ſuos decantantes ſeculares. Undique confluxit populus, qui longum procedentium in ſupplicatione ordinem cum tripudio, & tædis comitabatur. Solus, ut alios taceam auctores, Apuleius ad argumentum noſtrum probandum jam ſatis eſt, qui hæc tradit:* „ Antiſtites Sacrorum, proceres illi, qui candido linteamine cinctum „ pectoralem ad uſque veſtigia ſtrictim iniecti, potentiſſimorum Do„ mini præferebant inſignes exuvias. Quorum primus lucernam præ„ micantem claro porrigebat lumine ... Amœnus lectiſſimæ juventutis, „ veſte nivea prænitens, ſequebatur chorus, carmen venuſtum iterans. „ Magnus præterea ſexus utriuſque numerus, lucernis, tædis, cere„ is. *Quam reliquiarum expoſitionem, & proceſſionem adhuc magna cum pietatis opinione obſervat Romana Eccleſia, quod Conciliorum decreta confirmant, & quotidiana experientia, optima rerum magiſtra nos edocet. Concilium quod ſeculo XIII celebratum eſt, Budenſe hæc tradit:* Statutum eſt, ut a modo reliquiæ extra capſam nullatenus oſtendantur, niſi in præcipuis feſtivitatibus, vel ad hoc ex devotione concurrentibus peregrinis, ſicut quarundam Eccleſiarum laudabilis conſuetudo exposcit. *Quibus ritibus hæ publicæ reliquiarum oſtenſiones fiant, nempe, ut habeantur ante, & poſt oſtenſionem, ſermones, thurificatio adhibeatur, lumina accendantur, & aliæ ceremoniæ obſerventur, accurate trad t Vener.*

Pe-

(a) §. V. pag. 453.

Petrus Morettus: Solemnis in primis eſt reliquiarum proceſſus, qui feſto corporis Chriſti in Romana Eccleſia magna cum oſtentatione frequentatur. Ne quid ſplendoris huic diei feſto anniverſario haud vulgari deeſſet, Patres Concilii Colonienſis II decreverunt, ut Sanctorum Reliquiæ & imagines ex abditis, in quibus latent, receſſibus protraherentur, optimeque veſtitæ ad ſpectandum populo proponerentur. Quam ob rem, *inquiunt*, & Sanctorum „ reliquias, & imagines eorum, qui veſtigia Chriſti ſecuti ſunt, ſimul „ circumferimus, ſignificantes, illos nunc cum ipſo regnare, & trium„ phare in Cælis.„

6 Deinceps feſta in Sanctorum honorem celebrata ex Gentilibus quoque repetit: nempe ex oraculo Athenienſibus præcipiente, ut annis ſingulis diem feſtum in Theſei honorem celebrarent. Addit feſtum in mortuorum honorem a Romanis celebratum & quoniam Ovidius monuerat apparuiſſe Romulo Remum, illique præcepiſſe, ut feſtum diem in ſuum honorem, ac memoriam inſtitueret:

Umbra cruenta Remi viſa eſt aſſiſtere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui.
. . . . . .
Ut celebrem feſto ſignet honore diem.

hos verſus recitat, tum hæc ſubiicit [a]: *Nemo rerum Romanenſium apud nos adeo expers, boſpeſque eſt, qui neſciat, hæc Gentilium figmenta eſſe Romanenſium commenta. Quot enim Sanctorum feſta ex precibus, deſideriis, apparitionibuſque Sanctorum inſtituta eſſe novimus? Noſtrum non eſt hoc argumentum jam ex inſtituto abſolvere, ſed leviter attingere; majorem autem uberioremque tractationem tradunt laudatiſſimi auctores & Galeus, & Muſſuartus, quos evolviſſe haud pœnitebit.*

7 Addit convenire etiam in eo cum Gentilibus Romanæ Eccleſiæ conſectatores, quod ſi apud Heroum ſuorum monumenta aſylum conſtituebant, hi in Sanctorum reliquiis ſummum præſidium collocant. Sed libet ipſis Kieslingii noſtri verbis rem totam exponere. *Ne quid de auxilio* (inquit ille [b]) *præſidioque, quod ab his Sanctorum reliquiis ſperant Romanenſes, dicam. Inviolabile & ſatis tutum fuit Theſei Sacellum, omnibus miſeris refugium, & aſylum: tanto vero excellentius, præſtantiuſque eſt Reliquiarum Sanctorum monumentum iis, qui ad eas ſe conferunt, aut hoc Palladium ſecum portant. Multo confidentius aliquis Romanenſis Ceſaris illud, quid times? Ceſarem vehis, applicuerit, dixerique: quid timeo? Sancti Nepomuceni reliquias mecum porto. Melius cum Davide dixeris:* Non timeo calamitatem, quia Dominus mecum eſt. *Pſal. XXIII. 4. Jeſ. XLIII. 1. 2. Mirifice delectabar, cum Cel. Muratorii opera perluſtrarem, & in ſingulare hoc S. Bonifacii miraculum inciderem, quo hic Sanctulus ſuam Baſilicam ab interitu conſervavit. Relata refero, ſed ipſe non credo, neque cuiquam ſagacioris ingenii viro facile perſuadebo. Commendat laudatiſſimus, quem appellavi, Muratorius res Caroli M. cum Saxonibus geſtas. Saxones Sanctorum inſcii, & moribus ſuis a ma-*

(a) pag. 455. (b) §. VII. pag. 466.

a majoribus acceptis adhuc inuutriti, irruerunt in S. Bonifacii Basilicam, ut eam everterent, sed triste satis nonnulli senserunt exitium. „ Dum „ igitur, *inquit*, ipsa Saxonum gens cœpisset sæviens domos forin„ secus incendio cremare, venerunt ad quandam Basilicam in loco, „ qui dicitur Fredislar, quem Sanctæ memoriæ Bonifacius noviſſimus „ Martyr consecravit, atque per spiritum prophetiæ prædixit, quod „ nunquam incendio cremaretur. Cœperunt autem iidem præfati Saxo„ nes cum nimia intentione adversus eandem certare Basilicam, quem„ admodum eam per quodlibet ingenium igne cremare potuissent. „ Dum hæc agerentur, apparuerunt quibusdam christianis, qui erant „ in Castello, similiter & quibusdam Paganis, qui in ipso aderant e„ xercitu, duo juvenes in albis, qui ipsam Basilicam ab igne prote„ gebant. Et propterea ibidem non potuerunt neque interius, neque„ exterius ignem accendere, nec aliquod damnum inferre eidem Ba„ silicæ. Sed nutu divinæ majestatis pavore perterriti, in fugam con„ versi sunt, nemine persequente. Inventus est autem unus postea„ ex iisdem Saxonibus mortuus juxta dictam Basilicam, genibus curvis „ acclinus super pedes, habens ignem & ligna in manibus velut ore„ flando eandem Basilicam igni tradere voluisset. „ *Si tanta pollent Sanctorum reliquiæ potentia, nihil his reliquiarum monumentis erit tutius, sanctiusque.*

8 Deinceps (*a*) rursus inculcat, quod sæpe tradidit: Veteres scilicet non servasse apud se extra loculos Sanctorum reliquias, sed terræ mandasse. Adducit vero ea de re nobile Athanasii testimonium (*b*), quo descripto monet Ægyptios servasse domi suorum cadavera linteamine obducta. Multa narrat de ancipiti, dubiaque veterum Ethnicorum *de resurrectione corporis, & vita post mortem futura*, sententia, deque significatione *domus æternæ*, quod quidem nomen tam apud Gentiles, quam apud Christianos sepulcro tributum est. Singulari vero animadversione digna sunt ista (*c*): *In his monumentis, & dormitoriis ædificandis profusos aliquando sumtus fecerunt Ægyptii, quorum institutis postea, sanctitatis titulo, usi sunt Judæi, in primis Pharisæi, ut ex Cap. XXIII. v. 29. Matth. colligitur. Forte quoque hæc traxeris illud Servatoris effatum*: Facite vobis amicos ex falsis opibus, ut cum defuncti fueritis, admittant vos in æterna domicilia. Luc. 16. 9. *Moris enim fuit apud Ægyptios, defunctos, quorum virtutes & merita coram populo ante sepulturam recensebantur, judicio vivorum exponere, & æquam de iis expectare, & requirere sententiam. Re satis cognita, æqui rerum censores, & omnes vivi æterna domicilia defunctis acclamarunt, & eos hoc magnifico funere dignos judicarunt.* Transit postea ad Chinenses, quorum consuetudines circa majorum suorum funera, & cultum ex P. Gobienio exponit: de quibus ad extremum eorundem majorum suorum cadavera terræ mandantibus hæc affirmat censor noster (*d*): *Imitantur, quan-*

(*a*) pag. 457. (*b*) In Vita S. Antonii. [*c*] pag. 460. (*d*) pag. 461.

Digitized by Google

quantum ex Ven. Gobienio videmus, Chinenſes ſepeliendi ritum, præcepto divino & inſtitutis chriſtianorum convenientem, & terram terræ reddunt. Homo enim eſt terra, & in terram redire debet. Gen. III. 19. Eccleſiaſt. XII. 7. *Inde complures gentes ab inſtitutis Hebræorum, & Chriſtianorum remota cadavera in hortis, ſilvis, agris, montibus, vallibus, & viis ſepelienda, & terræ tradenda cenſuerunt, quem ritum laudatus Jo. Nicolai prolixe tradit. Oportet igitur Romanenſes habere nova de conſervandis piorum exuviis præcepta, aut credere ſuorum, quos devenerantur, Sanctorum corpora, Patriarcharum corporibus eſſe præſtantiora, & pretioſiora. Seligant hanc vel illam rationem, & nobis eandem firmis probent argumentis. Sed omnis expertes conſilii, & certæ, inhabitatæque rationis inopes, ſuum reliquiarum cultum ſiccis quibuſdam, quæ jam diluam, argumentis tuentur.*

CAPUT II.

Superioribus Kieslingii argumentis ſatisfit.

1 AN propterea Kieslingi devictum putas Trombellium, & Catholicos jam poſtratos? Falleris, ſi id putas; falleris. Audi, quanam ratione objectionibus hiſce tuis occurro, eodem ordine eas diſſolvens, quo tu eas propoſuiſti. *Frigida* appella, ut libet, argumenta, quibus innitimur ad reliquiarum cultum ſtabiliendum contemnenda ſane non ſunt. Nihil hic de ſuperſtitione in reliquiarum cultum facile (ſi adverſariis credimus) irrepente dicimus, quia hoc de argumento deinceps redibit ſermo. Seculis ipſis, ad quæ nos allegas, ſecundo ſcilicet, & tertio, cultas fuiſſe reliquias oſtendit Trombellius capite II diſſertationis VIII. Locum hunc conſule. Lepida vero tua eſt argumentatio Kieslingi. Obſtitiſſe reliquiarum cultui Cyprianum, Irenæum, Minucium Felicem, Tertullianum, & Lactantium affirmas. Cur vero? Audiamus præclaras tuas probationes. Ecce illas. *Id enim egerunt hi primi veritatis Chriſtianæ defenſores, ut ſe ab omni ſuperſtitionis macula expurgarent. Sufficiunt inſuper, quæ de ſollicita reliquiarum ſepultura ex nonnullis adduxi Patribus documenta.* Nec aliud affers Kieslingi? Non aliud prorſus. Si ita eſt, *Frigida tua ſunt argumenta*, non item illa Catholicorum. Nimirum prior illa probatio dat, ut Scholaſticorum phraſe utar, dat, inquam, *theſim pro hypotheſi*: ſcilicet dum ita argumentaris, ſupponis *ſuperſtitioſum eſſe Sanctorum cultum*. Sed hoc ipſum eſt, de quo ambigimus: atque id tu quidem affirmas, ego vero nego, pernegoque. Altera vero probatio *Sufficiunt &c.*, levis item eſt. Supra jam dixi, poſſe adhuc reliquias coli, tametſi Sanctorum corpora terræ mandentur. Ajo nunc, te nondum oſtendiſſe, ſeculo ſecundo, & tertio ita fuiſſe ſollicitos Chriſtianos in ſepeliendis Martyrum cadaveribus, ut nulla eorum portio apud ipſos ſupereſſet,

Digitized by Google

Id ſaltem ſuſpicari nos merito poſſumus ex iis, quæ Trombellius capite XII diſſertationis VIII tradidit (*a*); quibus addere, ſi volumus, poſſumus ea, quæ de brachio Sancti Hadriani ab ejus uxore domi retento ex ejuſdem Sancti Hadriani actis non omnino contemnendis diſcimus [*b*].

2 Porro ad Conſtantini Magni tempora eſſe referendum Sanctorum cultum, is tantum dicet, qui Eccleſiaſticam hiſtoriam prorſus non legit. Ceterum facile aſſentiar, ritus aliquos ſolemniores, veluti publicas, celebreſque Sacrorum corporum translationes Conſtantino imperante tantummodo cœpiſſe inſtitui. An Diocletiano imperante poterant eæ fieri a Chriſtianis, quando quidem novimus perquiſitos eos fuiſſe in ſpecubus ipſis, & Martyrum reliquias e ſepulcris effoſſas, & crematas, ne ſcilicet a Chriſtianis colerentur? Sed aliud eſt, Chriſtianos a primis ipſis ſeculis martyres fuiſſe veneratos: aliud eſt fuiſſe veneratos hoc illove determinato, & ſolemni ritu, veluti ſunt publicæ ſupplicationes, publicæ translationes, & aliæ affines ceremoniæ. Primum ſtatuimus, negamus alterum: etenim certum eſt rituum ſolemnitates, ut prudenter fiant, expoſcere etiam, ut tuto fiant, & manifeſto. An id regnantibus Chriſtianæ fidei hoſtibus impune poterat a Chriſtianis fieri? At quod ad perſuaſionem, de qua agimus, attinet, & cultum ipſum, an ſimile veri eſt, Epiſcopos omnes, & Chriſtianos breviſſimo temporis ſpatio in unam coaluiſſe ſententiam, & quod tu ſuperſtitioſum vis, & tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis prorſus ignotum, nemine, niſi poſt longum tempus Eunomio nequiſſimo Ariano, & Vigilantio, repugnante ab omnibus fuiſſe exceptum, atque uſitatiſſimum? Quamquam illud ipſum Gentilium ſtudium, ne Chriſtiani Sanctorum reliquias haberent, quas colerent, manifeſto oſtendit, illorum ipſorum, quæ tu commemoras, ſeculorum conſuetudinem ſaventem nobis. Cur enim tam vehementer nitebantur iidem Gentiles, ut Sanctorum corpora noſtris eriperent, niſi quia clare noverant eximie illa culta fuiſſe a Chriſtianis? Sed hoc de argumento cum ſatis egerit Trombellius [*c*], ad illum te amando.

3 At Kemnitium objicis, Baſnagium quoque, & Abbatem Fleurium. Mirum porro non eſt, quod Kemnitius, & Baſnagius ſecus ſentiant, cum horum prior ex iis fuerit, qui in deferenda avita Catholicæ Eccleſiæ communione primas fere habent: Baſnagius vero in eorum numero fuerit, qui Calvinum patriæ præpoſuerunt. Abbas porro Fleury non cultum quidem ipſum Sanctis delatum oppugnavit, ſed tantum ex iis fuit, qui frequentes ſacrorum corporum translationes, & ſectiones non admodum approbarunt. An porro e Catholicis unus is fuit, qui minus frequentes fuiſſe optavit? An non etiam Mabillonium, Ferrandum, Ho-

[*a*] n. 1, & 2. pag. 83. [*b*] cap. 17. pag. 154. apud Surium die 8 Septembr. To. V. (*c*) Diſſ. II cap. I. Differt. IV cap. II. Diſſert. VIII cap. 2.

Honoratum a S. Maria, alioſque habemus, qui id optarunt? Sed Eccleſia propter commoda, quæ ex reliquiis translatis, & diviſis oriuntur, tranſferri eas, & dividi maluit, quam uno in loco eſſe. Occurrit autem incommodis, ſi qua irrepſerunt, irrepuntque modo nunc in hunc, & affines alios ritus. Hoc in argumento diu non immoror, quoniam luculentiſſime de eo diſſeruit Trombellius capite octavo, & ſequentibus diſſertationis VII, ad quæ Lectorem allego.

4 Ritus porro illos omnes quos redarguis, copioſiſſime vindicavit idem Trombellius diſſertatione VI, & VII, ſic ut neceſſe non ſit in iis vindicandis ſiſtere, cum nihil hic afferas, quod ille non prævenerit, ac ſuſtulerit.

5 Venio nunc ad *originem*, ut tu quidem appellas, & *fontem* cultus reliquiarum. Inſanis porro Kieslingi, dum prius ad Ægyptiorum, deinceps vero minime tibi conſtans a Græcorum ſuperſtitione originem eam derivas. Quænam vero tam gravis accuſationis momenta affers? An veterum teſtimonia? an noſtrorum confeſſionem? an aliud, quod ad faciendam fidem afferri ſolet? Nihil horum Kieslingi, ſed tantum convenientiam aliquam, tametſi remotiſſimam, rituum nonnullorum cum ritibus noſtris. Id ſi ſufficit Kieslingi mi, nihil eſt tam ſanctum, quod a Gentilium ſuperſtitione derivare non poſſis; multa enim ſunt, in quibus cum Gentilibus convenimus. Si Sacerdotes habemus, ipſi quoque habuerunt; ſi ſacrificia Deo offerimus, ipſi quoque diis ſuis obtulerunt; ſi prophetas habuere chriſtiani, prophetas quoque licet falſos ii ipſi protulere: omnia denique, quæ ſive in veteri, ſive in nova lege ſacro cultui ſunt deſtinata, apud Gentiles facile invenimus, imitante, ſi multis credimus, dæmone, & pervertente ſacras, religioſaſque Dei ceremonias. At Pulcre Hieronymus [*a*]: *Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili cum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt: hoc ſit Martyribus, & idcirco recipiendum eſt.* Ceterum ſi voluiſſes Kieslingi, non tuorum auribus, ſed veritati inſervire, vidiſſes Theſeo ipſo antiquiorem fuiſſe transferendorum corporum conſuetudinem, huiuſque ritus habere nos teſtimonium in translatione ſacrorum oſſium Joſephi ex Ægypto in terram Chanaan, & reliquorum Patriarcharum, ſic ut neceſſe non ſit ad Gentiles confugere, ut originem hujuſce conſuetudinis deducamus. Vindicavit porro tum antiquitatem, tum probitatem hujuſce ritus, & reliquiorum, quos tu reprehendis Trombellius, totis fere VII, & VIII diſſertatione. Capite porro VIII, & IX diſſertationis VII expreſſiſſime de Sanctorum corporum translationibus egit: & ut candorem viri clariſſimi ſinceritatemque mireris, ab eo præoccupata, ac ſoluta videbis quæ ex ipſa Theſei translatione deducis. Vide itaque tuam ipſam objectionem propoſitam n. 1 capitis XVIII diſſertationis VII [*b*], ſolutam vero capite ſubſequenti, ideſt XIX: ſic ut ne eam quidem gloriolam, quam veluti grandis objectionis inventor tibi adſciſcis, merito tibi tribuas.

(*a*) n. 8 lib. adverſus Vigilant. (*b*) pag. 117.

Digitized by Google

6 Impudentiſſimum vero id eſt, quod de revelationibus, quibus nitimur, ais, ſcilicet comparandas eſſe eas cum Gentilium oraculis, & dæmonum conſultationibus. An ſcilicet tam amentes, & improbos majores noſtros, Viros ſanctiſſimos, & doctiſſimos, cenſes, ut divinam revelationem non dignoſcerent a diabolica ſuggeſtione? An neſcis, hos, quos irrides, fuiſſe ex præſtantioribus Eccleſiæ Doctoribus, Ambroſium ſcilicet, Auguſtinum [a], & alios utique præclariſſimos, & antiquiſſimos magiſtros noſtros? An etiam neſcis, multa valde probabilia hoc ſuper argumento ſcripſiſſe Trombellium (b)? e quibus hæc ſeligo: At „ quoniam viſiones fallaciis interdum obnoxiæ ſunt, ſi cetera deſint ar„ gumenta ad fidem faciendam apta, iis non fidit Eccleſia. Et ſane „ ille idem Ambroſius, quem novimus *per viſus* fuiſſe monitum de„ loco, in quo Sanctorum Martyrum Protaſii, & Gervaſii corpora jace„ rent, tum demum fidem plenam adhibuit viſionibus habitis, quum „ iis congruentia animadvertit eſſe argumenta reliqua. *Quid multa?* ... „ *inveni ſigna convenientia &c.* (c) Quamvis etiam præcedente mira„ culo videretur Theodoro Epiſcopo ſublata dubitatio omnis, certuſ„ que efficeretur, *quis eſſet Valerii Epiſcopi tumulus*; ejuſdem tamen „ S. Valerii corpus ex humanis argumentis dignoſcere etiam voluit. [*]

7 Quæ deinceps de Ethnicorum ritibus in Eccleſiam Romanam inductis affers, diſſoluta ſunt plane a Trombellio diſſertationibus VI, VII, & VIII, ſuis unaquæque ſub titulis. Irrideas tu porro, ut libet, quæ de præſidio in reliquiis conſtituto Catholici tradunt: ea probata ſunt ſane tum ab aliis multis, tum certe a Trombellio capitibus 22, & ſequentibus tribus diſſertationis VII (d).

8 Sed quid mirum, ſi miracula, & apparitiones licet probatiſſimas deſpicis, quando quidem Sanctos ipſos deſpicis? Bonifacius ipſe Germanorum Apoſtolus, & martyr eximius tibi *Sanctulus* eſt, *Sanctula* Thecla veterum omnium præconiis, & prædicatione honeſtata, *Sanctula* Maria ipſa, qua quidem appellatione quid fingi contemptius poſſet? Sed hęc denique cenſorum noſtrorum pietas eſt, & erga eum ipſum, cui Evangelicam lucem Germania debet, erga vetuſtiſſimam & Apoſtolorum æqualem, atque adeo erga Sanctiſſimam Salvatoris noſtri matrem obſequium, & gratus animus.

9 Quod de Antonio Sanctiſſimo Abbate ex Athanaſio profers, nec novum eſt, nec a Trombellio omiſſum. Luculentiſſime eo de argumento dudum diſſeruit, capite ſcilicet V diſſertationis VIII (e).

10 Cur vero ad Ægyptiorum conſuetudines, ac ſepulcra deſcribenda excurris Kieslingi mi An Lectori te illudere poſſe cenſes, dum a propoſito aberrans ad diverticula confugis, adeo ut non recuſes Catullianum Epigramma ſceleſtum plane, & intemperans recitare? An hoc

(a) lib. IX Confeſſ. cap. 7. alias n. 16, & libro 22 de Civita. cap. 8 n. 2.
(b) Diſſer. VIII. cap. 15. §. XV. pag. 316. (c) Epiſt. 22. Claſſ. 1. n. 2.
[*] Grego. Turoni. *de glo. Confeſſo.* cap. 84. (d) pag. 129, & ſeq. (e) pag. 296.

hoc erat posteriorum capitum dissertationis IV Trombellii, quæ tu prorsus præteris, argumentum? Sed quo spectant illa, quę de Chinensibus affers? An a Chinensibus, seu potius a Sinensibus ritus nostros excipimus? An laudabiles saltem ii sunt, ut eos propterea describas, & recites?

11 Sed si ferre ista non possumus, utpote inopportuna, & ineptissima, immo palam superstitiosa, an egregiam, & te vere dignam interpretationem feremus, quam iis Christi verbis adhibes? (a) *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Hactenus creditum est, docuisse iis verbis Christum, eos, qui male partas habebant opes, quas dominis ipsis restituere non possent: docuisse, inquam, male partas opes in pauperes distribuere: hi siquidem precibus suis Deum flectent, ut misereatur, prioresque indulgeat culpas [occasio autem sæpe in Scripturis *ad modum causæ* exhibetur] & quædam restitutio, ut diximus, recte in pauperes fit, si is, cui abstuleris, inveniri non poterit. At interpretatio ista, quam proponit Calmet, qui Maldonatum, Grotium, Brugensem, Ludovicum de Dieu allegat, & vulgatissima est, Kieslingio non placet, & ad Ægyptiorum consuetudines, & judicia Christum Dnminum respexisse affirmat; cum tamen nullus afferri locus possit, quo asequaris ad Ægyptiorum consuetudines Christum Dominum aliquando respexisse, aut eas Hebræis, quos alloquebatur, fuisse perspectas. Mirum, quod Charontem, & reliquas Ægyptiacas fabulas huc non inducat, & Christo apponat censor noster, ut eruditus appareat.

AD

(a) Luc. 16. 9.

AD EXERCITATIONEM XII.

Quam inſcribit: *de Rationibus quibus Reliquiarum cultus innititur.*

CAP. I.

1 ADverſus adhibitum reliquiis cultum nova prælia Kieslingius apparat, & qui *poſitivis* argumentis hactenus uſus eſt, hic ad *negativa* confugit, ideſt ad ſolutionem eorum argumentorum, quibus Catholici utuntur. Quoniam vero exempla valde probabilia hi afferunt, & miracula, atque ab his ſe moveri ajunt ad Sacras reliquias colendas, utrumque probationum genus Kieslingius impetit, ac primo quidem primum, ideſt illud, quod a probabilibus exemplis deſumitur. Sic ergo fere diſputat. Si quod probabile exemplum a Catholicis affertur, illud eſt, quod deſumitur a Joſephi oſſibus ex Ægypto in terram Chanaan deportatis. Facile porro huic occurritur ad hunc modum. Fatemur id quidem a Moyſe fuiſſe factum: ſed dum id fatemur, monemus propterea id fuiſſe factum, ut Moyſes fidem ſolveret ſacramenti illius, quo Joſeph morti proximus poſteros ſuos his verbis obſtrinxerat. [a] „ Viſitabit vos Deus, apportate oſ„ ſa mea vobiſcum de loco iſto. „ *Ne ſcilicet ingrata Ægyptiorum regio oſſa ſui nutritii haberet. Liberarunt Iſraelitæ fidem, ut Exod. XIII. legitur.* Tulit quoque Moſes oſſa Joſephi ſecum, eo quod adjuraſſet filios Iſrael, dicens: Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum. com. 19. *Nulla neque in mandatis, neque in ipſo facto offenditur ſuperſtitionis nota. Demandavit ſcilicet Joſephus, ut corpus ſuum, ejuſque reliquias ſecum abducerent Iſraelitæ, ne Ægyptii his ipſis Joſephi, quem ad ſuperſtitionem uſque ſolverunt, reliquiis idololatriæ & impietatis cauſam haberent.... Nec dubium eſt, quin hoc ipſo mandato, ſpei & fidei teſtimonium exhibuerit Joſephus, qui in terra promiſſa ſepeliri voluit, ut promiſſorum divinorum in hac terrarum parte per Meſſiam manifeſtandorum ſe redderet participem: quod Div. Paulus innuit.* Fide Joſephus decedens Iſraelitarum exitum prædixit, deque ſuis oſſibus mandata dedit. Hebr. XI. 22. *Quale igitur dedit mandatum? De conſervandiſne, an de ſepeliendis reliquiis? De priore ne quidem cogitavit, ſed poſterius ſerio ſuis fratribus inculcavit argumentum. Ex rei veritate judicat Cel. Jo. Brannius.* „ Nota „ *inquit*, nec Joſephum, nec Jacobum petiiſſe, ut oſſa, aut ulla pars „ corporis ſuperſtitioſis reliquiis traderetur, ſed ut ſepulcro conde„ retur. „

2 Tum

[a] Kiesling. pag. 463.

2 Tum his Dorſchei, & Limborchii auctoritate confirmatis, animoſe monet, afferri hæc omnino non poſſe ad reliquiarum cultum confirmandum. Id ſcilicet Gulielmus Gougius ſubſequentibus argumentis evicit. (a) *Primum eſt, quod hæc oſſium conſervatio nullam omnino Romanenſibus Sanctorum reliquias conſervandi ſubminiſtret occaſionem. Secundum petit a conſervatione oſſium, dicitque, hæc oſſa non eſſe exhumata, ſed in terra uſque ad egreſſum conſervata. Tertium eſt, quo probat, hæc Joſephi oſſa non eſſe unquam ab Iſraelitis exhumata ad oſtenſionem, qualis eſt in Romana Eccleſia conſuetudo. Quartum, quo confirmat, nullibi has Joſephi reliquias ad invocationem & adorationem eſſe propoſitas. Quintum, quo aſſerit, hæc oſſa non fuiſſe falſa, & ſuppoſita, ſed vera Joſephi oſſa, quod de Sanctorum reliquiis Romana Eccleſia conſtanter affirmare non poſſit. Diſpiciendum nunc eſt, num has Joſephi reliquias coluerint, & in ſuis periculis longo itinere ſuſtinendis Iſraelitæ invocarint. Si Iſraelitæ majorum ſuorum exuvias unquam coluiſſent, certe cauſas habere videbantur graviſſimas Joſephi devenerandi reliquias. Non indigna ipſis videri poterant hæc Joſephi pignora, quæ hoc pietatis officerentur cultu, quum ipſis hunc feliciſſimum ex Ægypto exitum Joſephus, ut vates, prædixerit. Mittimus, Joſephum tante apud Ægyptios fuiſſe auctoritatis, ut illum rerum ſuarum ſtatorem appellarent. Iſraelitæ ad has Joſephi reliquias in ſuis, quibus in deſerto ſapius premebantur, calamitatibus non confugiunt, quod ſine dubio feciſſent, ſi quid conſilii, auxiliique ipſis ab his oſſibus macie & putredine confectis ſuiſſet ſperandum. Dic quæſo, quo tempore, aut quo loco Romanenſium mores obſervarint Iſraelitæ, ſeque ad has Joſephi reliquias provolverint, dixerintque*: Sancte Joſeph, qui Ægyptum tuis conſiliis a penuria & ſuo interitu liberaſti, libera jam nos in deſerto! da nobis per tuas, quas pie veneramur & oſculamur reliquias, panem, cujus avidi, & aquam, cujus ad necem uſque ſumus ſitientes! ſubleva tuis opibus noſtram inopiam, & ea quæ ad victum corporiſque ſpectant cultum, ſuppedita. *Quid trepidat Moſes, & cur anxius eſt? Cur non invocat Joſephi exuvias, ut viam per maris fluctus aperiant? Nullibi hoc Moſen, & Iſraelitas feciſſe legimus. Quid igitur Iſraelitæ cum his Joſephi reliquiis ſuſcepernat? An illas veluti trophæa per caſtra circumtulerunt, ut Deus cum ipſis faceret, & latam daret victoriam? an illis aliquam vim, ad mala averruncanda, & hoſtes depellendos aſſignarunt? minime. Hæc illæ ipſorum fuit in Joſephi reliquias pietas, ut illas ad Majorum monumentum reponerent, quo illis levis eſſet terra. Nec hæc ſilentio Spiritus Sanctus involvit, ut Joſ. XXIV. 30. legimus*: Ossa quoque Joſeph, quæ tulerunt filii Iſrael de Ægypto, ſepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem centum nummis, & ceſſit in poſſeſſionem filiorum Joſeph. *Et Act. VII* 16. Sichemam translati ſunt (patriarchæ) & in ſepulcro ſiti, quod Abrahamus argenti pretio a filiis Emoris Sichemis filii emerat. *Optime novi, Romanenſes his*

(a) Kiesling. pag. 404.

bis dictis telas aranearum assuere, & de peregrinationibus Judæorum ad hoc Josephi sepulcrum institutis somniare, quod etiam Veter. Abbas Tom. II. tradit, sed hoc momentum suo loco accurate expendemus.

3 At non difficilis est ad ista responsio. Tu Kieslingi mi, adversus Trombellium te scribere profiteris, & tamen alios quoscunque allegas, & redarguis præter Trombellium, quem ne allegas quidem. An ille Veranii, an Mahisii, an alterius cujuspiam Doctoris Catholici vindicias texit, ut adversus eum scribens hos producas? Ceterum Trombellius minime omisit illud ipsum, quod tu affers, reliquiarum Josephi ex Ægypto in terram Chanaan translatarum exemplum, sed ideo non omisit, quia propositum illi fuit, ut ostenderet verisimilem esse opinionem eorum, qui ajunt curam aliquam adhibitam fuisse ab Hebræis circa Sanctorum corpora [a]. Cum autem alia multa in rem hanc attulerit, argumentum hoc ipsum minime præteriit.

4 Quamvis porro facile assentiar, ad transferenda in terram Chanaan Josephi ossa, ab juramento, quo fratres idem Joseph obstrinxerat, etiam permotum fuisse Moysem; non continuo concedo, ab alia etiam causa non fuisse permotum: quis enim negat a duobus finibus perinde *totalibus* non posse aliquem permoveri? Sane quum hæc eloquitur Chrysostomus, vir utique præstantissimus (*b*): *Quo tempore cunctis ex Ægypto recedentibus, & aliis quidem aurum, aliis argentum evehentibus Moyses opum quarumvis loco, Josephi ossa jumens, ea detulit, ac thesaurum maximum, & innumeris bonis redundantem secum domum vexit?* Quum, inquam, hæc eloquitur Chrysostomus, manifesto significat ab utilitate, quam a Josephi ossibus sibi, populoque suo proventuram fore speravit, permotum etiam fuisse Moysem, ut Josephi ossa secum auferret.

5 Quid? quod nullum legimus juramentum, quo reliqui Patriarchæ filios, ac nepotes suos obstrinxerint, & tamen eorum cadavera in eandem terram Chanaan translata fuisse discimus ex Actis Apostolorum (*c*).

6 Quam porro caute hac de re locutus fuerit Trombellius, declarant illius verba [d], quæ hic recolere operæ pretium reor. *Nullos jam, si de cadaveribus, eorumque particulis loquimur (nam de Sanctificatis alibi agimus) quos proferam ejusdem curæ ab Hebræis adhibitæ indubitatos habeo testes: vestigium tamen aliquod, atque indicium fortasse non contemnendum mihi præbet Chrysostomus, dum hæc ait: QUO TEMPORE CUNCTIS EX ÆGYPTO EXCEDENTIBUS &c.* An Trombellius is est, Kieslingi, qui docear ab Hebræis, dum per desertum iter agerent, adoratas fuisse Josephi reliquias, ut propterea tam multa hoc super argumento effusissime doceas? Ceterum Judæis terra Chanaan jam potitis non sine

[a] Differ. VII. cap. 5. pag. 44. &c. (*b*) homil. de S. Drosida n. 4. pag. 688 Tomi II. hæc tamen verba extant pag. 694.
[c] cap. 7. vers. 16.
(*d*) Differ. VII. cap. VI. pag. 44.

Digitized by Google

ſine ſummo honore (auſim etiam animoſe, ſed vere dicere, non ſine cultu) fuiſſe Joſephi, & reliquorum Patriarcharum reliquias ſervatas ſimillimum veri eſt. Id ne temere dictum putes. Trombellius profecto *veriſimilibus argumentis* dudum oſtendit [a], *valde probabilem eorum eſſe opinionem, qui ad Judaica uſque tempora referunt peregrinationes ad Sanctorum monumenta inſtitutas.*

7 Num vero Joſephum invocaverint iidem Hebræi, nec affirmare auſim, nec denegare. Probabilia ſunt ſane, quæ Trombellius capite IV Diſſertationis VI tradidit [b]. At certe reliquias ipſas non invocarunt: quis enim invocet, ſi inanimæ ſunt? Hinc neque nos eas invocamus. Vide obſecro quæ capitibus 35, & 36 Diſſertationis VIII Trombellius docuit. Neque vero propterea quia hoc, illove determinato cultus genere eas non honorarunt Hebræi, ſequitur, quod nullo cultus genere eaſdem reliquias fuerint proſecuti. Peccat enim argumentum Kieslingii, ſeu, ſi vis, Gougii, primo quia ex ſilentio Scripturæ infert id factum minime eſſe, cum multa Scriptura reticeat, quæ tamen facta ſunt: Secundo quia ex negatione hujus, illiuſve determinati modi colendi reliquias (quos quidem ritus tum uſitatos minime fuiſſe facile dabo) negationem generis infert, negatque cultas illas fuiſſe, quod circa illas non ſint ii adhibiti colendi modi, quos nunc adhibemus: cum revera non reſtringatur ad hos tantum cultus is, quem adhibere reliquiis poſſumus.

8 Quod ſi Moyſes, ſive ex Ægypto egrediens, ſive per Deſertum populum ducens, ſacris Joſephi reliquiis uſus non eſt ad facienda miracula, ſed tantum virga [id enim facile concedam, tametſi nihil ſit quod me cogat, ut id fatear; plurima enim procul dubio iis temporibus contigerunt, quæ ſcripta non ſunt] vel id propterea fuit, quia merito metuebat, ne Joſephum veluti numen aliquod Judæi colerent: populus enim ille idololatriæ addictiſſimus facile in hujuſmodi errorem lapſurus erat (c): & revera ab Ægyptiis divinis honoribus affectum fuiſſe Joſephum fatetur Kieslingius ipſe (d): Vel quia re contemptiſſima ad facienda miracula utens, cujus modi virga eſt, divinam omnipotentiam ea ratione magis eminere cenſuit.

[a] Diſſer. VI. cap. 44. pag. 303. (b) pag. 8.

(c) Hanc ſolutionem didici ex Chryſoſtomo homil. de S. Droſide n. 5. pag. 695 Tomi II. Locum hunc allegavit Trombellius diſſert. VIII. cap. I. n. X. pag. 282. [d] *Cultum enim eſſe Joſephum a ſuperſtitioſis Ægyptiis ob inſigne beneficium, dubium exquiſitis nonnullis auctoribus eſt nullum, licet diſſidium ſit, num ſub nomine Mercurii, vel Serapidis, vel Apis factum ſit.* Kiesling. pag. 463.

Digitized by Google

CAPUT II.

Affertur, & solvitur alterum Kieslingii argumentum.

1 QUoniam vero ad colendas reliquias miracula per eas peracta ducere nos etiam possunt, hoc ipsum argumentum aggreditur Kieslingius; & deinceps, ideſt §. IV, & Patrum Nicæni II, & Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani Nicænorum Patrum dicta approbantis verba profert. Porro Nicæni Patres docuere, *reliquias Martyrum, Sanctorumque, languores fugare, infirmos curare, tentationes, & mœrores lenire, soutes denique esse salutares beneficia rigantes, unguentum suaviter emanantes, & dæmones abigentes.* Hæc autem postquam descripsit, irridet, despicitque Kieslingius, item ut Hieremiæ Constantinopolitani Patriarchæ affinia monita.

2 Despicit etiam. & *levidensia* appellat (a) *quæ de pallio Eliæ, & baculo Elisæi affert Ven. Mabillus.* Scilicet hæc dependent a Dei arbitrio, qui hæc elegit, ut per ea miracula, quum libuit, operaretur. Ubi occasio, quam Deus statuit, præterierit, *nullam amplius ipsis relictam fuisse potestatem certissime credimus. Nuda post ipsum actum fuerunt ligna & instrumenta non melioris sortis, & conditionis, quam alia res ubivis obvia.*

3 Ineptum est porro [Kieslingio judice (b)] quod in Pontificiorum scholis traditur: scilicet *eadem ratione qua olim hæc instrumenta potestate sunt donata, nunc Sanctorum reliquias non in se, sed per invocationem Sanctorum, immo Dei gratiam, & voluntatem esse efficaces & salutares.* Scilicet hæc rejicit sic Kieslingius. *Demonstret vero Ven. Mabillus nobis rationem, qua a re plane insolenti & extraordinaria, ad rem ordinariam, & in Romana Ecclesia haud raram concludi possit. Non enim perrarum est, Sanctos flere, emittere sanguinem, aut sanare ægrotos. Sed si hæc ad prodigia, & res admodum insolentes referre velit, urgeo promissum, quod habuerunt hæc instrumenta, divinum. Exponat nobis Ven. Mabillus verbum promissionis quale habemus in baculo Mosis, & in pallio Eliæ. Singularem leges additam fuisse promissionem, fore, ut hæc instrumenta, eum, quem Deus intendebat, proderent effectum. Sed reponis, quid cum Elisæi ossibus fiet, quæ, quantum legimus, nullum promissum divinum habuerunt, & tamen mortuum ad vitam revocare potuerunt?*

4 Tum hæc subjicit: *Attentione nostra omnino dignum est solo Elisæi ossium contactu cadaver aliquod ad vitam rediisse. Andanus Sacri Codicis verba*: „ Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulcro Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos. 2. Reg. XIII.

[a] §. V. pag. 466. [b] §. VI. pag. 467.

„ XIII. 21. *Quod miraculum mirum in modum urget Vener. Abbas, qui ita sentit:* „ *Luculentissime quoque Cyrillus Hierosolymitanus exemplo bonoris, quem miraculis editis adhiberi voluit Deus cadaveri Elisæi ad testificanda Sanctorum merita, per eorundem sacra cadavera miracula edi asseverat, hæc elocutus: Ut autem non animæ solum justorum honorarentur, sed crederetur etiam in justorum corporibus jacere vim penitus injitam, projectius in monumentum Elisæi mortuus, mortuum prophetæ corpus attingens, vitam concepit.* „ *Sine omni dubio hoc ipso miraculo voluit Deus hujus pereximii Prophetæ renovare memoriam. Quid si regeret, Ven. Abbas, Deus, & Sanctorum renovaret memoriam & merita? Declaret nobis prius, Sanctos hac excellentia & dignitate cum Eliseo gaudere. Demonstret, hoc extraordinarium cum ossibus Elisæi miraculum Israelitis dedisse occasionem, hujus Prophetæ reliquias ex sepulcro auferendi, & colendi.*

5 Quod si confugiamus ad miracula peracta per contactum fimbriæ vestis Christi, ad miracula item effecta per umbram Petri prætereuntis, & semicinctia Pauli; ad ea, Kieslingio judice, perperam confugimus: scilicet non vestis Christi ipsa per se, sed virtus a Christo emissa mulierem illam sanavit: quæ quidem virtus per umbram Petri, & Pauli semicinctia sanabat ægrotos. At advertatur oportet primo cum Lorino, *umbram Petri non per se operatam fuisse, cum sit privatio, sed præsentiam Petri, propter quam curabantur infirmitates, sive ipse esset causa moralis tantum, sive etiam physica instrumentalis.* Porro quod de umbra Petri dicitur, de veste Christi, & de Pauli semicinctiis proportione dicendum est. *Virtus divina hos sanavit ægrotos per efficaciam, & vim, Petri umbra, & collaria veluti per symbolum: fides autem horum miserorum per instrumentum internum, ceu causam aliquam instrumentalem.* Advertatur secundo, istam vim non permansisse, Christo, & Apostolis Petro & Paulo mortuis. *Summo cum effectu* (inquit Kieslingius [a]) *Jesu vivi vestimenta attigit misella illa muliercula; sed reliquias vestium Jesu jam emortui miracula fecisse, nullibi legimus. Si talem communicare voluisset Jesus reliquiis suis virtutem, ut ægrotis, & quovis calamitatum genere conflictantibus essent solatio, auxilioque, non dixisset:* Venite ad me omnes laborantes & onusti, & ego recreabo vos. Matth. XI. 28. *Dicendum ipsi fuisset: Venite ad amictus mei reliquias, illæ vos recreabunt.* Et mox (*b*): *moneo præterea, nullibi his Apostolorum reliquiis aliquam vim & potestatem promissam esse a Servatore, qui Apostolos vivos his donis miraculosis adornandos fidem dederat. Moveo porro scrupulum, reliquias Apostolorum sine dubio in primitiva Ecclesia fuisse superstites, nec tamen ullum existere vestigium, Episcopos Ecclesiæ illis ad depellendos morbos, & facienda quædam miracula unquam fuisse usos: nec legimus Petrum, Paulum, & alios Sanctos propter hæc miracula in primitiva Ecclesia fuisse adoratos, quod Vener. Abbati erit demonstrandum.* Advertatur tertio, minime delatum fuisse reliquiis his cultum: hinc minime legimus,

(*a*) §. VIII. pag. 469. [*b*] pag. 470.

aut Christi fimbriam, aut Pauli semicinctia propositа fuisse veteribus fidelibus ad adorandum. Quod mirum non est: etenim ut Johannis Gerardi verbis utamur: *Fimbria non sanavit ἰαητικως sed συμβολικως. Symbolum autem miraculoſæ sanationis externum non debet religioſo honore coli: alias Israelitæ virgæ Moysis, & Eliſæus pallio Eliæ religioſum honoris cultum detuliſſent.* Hactenus censor noster.

6 At non propterea causa cadimus. Cur vera, Kiesliŋgi, ea esse negas, quæ de miraculis per reliquias peractis Nicæni II Patres affirmant? Sane si falsa tradidissent, revinci facile potuissent, præsertim cum populo notissima hæc esse dicerent. Trombellius porro homo minime bardus eos recte sentire evicit, qui per reliquias miracula peragi affirment. Vide obsecro, quæ tradit ille capite XV dissertationis VIII pag. 331, & seq. Sed nec prætereas volo, quæ ex Augustino, viro sane non imperito [a], & ex aliis probatis scriptoribus, in quorum numero profecto is est, qui librum de *miraculis S. Stephani* conscripsit, idem Trombellius retulit capite IV dissertationis VII [b]: quibus, si vis, ea adde, quæ ex numero postremo Actorum Sancti Eupli discimus (c).

7 Quid de pallio Eliæ, & baculo Eliſæi tradat Mahisius, ignoro, nec multum curo, cum nunquam mihi propoſuerim Mahisii scripta vindicare, ac tueri. Quid de pallio Eliæ ab Eliſæo sibi comparato tradat Trombellius, habes capite tricesimo secundo dissertationis VII. [d]

8 Ad ea vero, quæ adversus Trombellium ipsum intorques, hæc est responsio. Minime sibi is propoſuit, ut ostenderet parilem cum Eliſæo virtutem habere Sanctos, cum & experientia ipsa, & Augustinus [e] me doceant non æqualem miraculorum gratiam Sanctis omnibus fuisse concessam. Sed hoc tantum sibi propoſuit, ut ostenderet potestatem faciendi miracula non fuisse restrictam ad Eliſæi reliquias. Et sane Cyrillus, quem allegavit Trombellius, experientia ipsa duce, generalem veluti confecutionem ex eo miraculo videtur eruere. Quid? quod a fortiori etiam argumentatur. Si enim semicinctiis Pauli tribuit Deus, ut per ea miracula fierent, an eam potestatem sacris cadaveribus non tribuisse dicemus? Sed præstat integrum antiquissimi, doctissimique scriptoris testimonium adducere, Cyrilli nempe Hierosolymitani; quippe hæc ait: [f] *Ut autem non anima ſolum juſtorum honorarentur*,

(a) lib. 22 de *Civitate* cap. 8 n. 16, & 17. (b) n. 7. & 8. pag. 32, & 33. (c) Act. SS. Ruinart pag. 363 editio. Veron. *Repoſitum eſt corpus ejus in loco venerabili, conditum aromatibus, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quo beneficia largiuntur contingentibus ſepulcrum ejus, & infirmitates omnes languores ſanantur uſque ad hodiernum diem in nomine Patris &c.* [d] pag. 170. (e) Epiſto. ad Clerum, & Seniores Ecclesiæ Hipponen. olim 137. in editio. PP. Benedictin. 78. n. 3 quam quidem Epistolam allegat Trombellius capite 24, ideſt postremo dissertationis IV. n. 7. pag. 317. [f] Catech. XVIII *de Carnis reſurr.* n. 16.

tur, ſed crederetur etiam in juſtorum corporibus jacere vim penitus inſitam, projectus in monumentum Eliſæi mortuus, mortuum Prophetæ corpus attingens, vitam concepit. Mortuum Prophetæ corpus, id quod animæ videbatur opus eſſe, perfecit; quodque mortuum jacebat, mortuo vitam dedit, & quod vitam dabat, ipſum in mortuis ſimiliter ut ante remanſit. Qua de cauſa? Ut ne, ſi reſurrexiſſet Eliſæus, animę ejus ſoli factum illud imputaretur: & ut oſtenderetur, abſente etiam anima ineſſe vim quamdam ac poteſtatem corpori Sanctorum, propter animam juſtam quæ tot annos in eo inhabitaverit, ejuſque uſa ſit miniſterio. Neque fidem ei rei, quaſi non ita ſit, inepti detrahamus. Si enim ſudaria & ſemicinctia, quæ exterius adhærent, ægrotantium corporibus applicata infirmos erigebant, quanto magis ipſum Prophetæ corpus mortuum excitavit? Parilem ſane Eliſæi reliquiis in patrandis miraculis virtutem, ac vim, Abdiæ, ac Johannis Baptiſtæ reliquiis tribuit Hieronymus, cum hæc ait [a] „ Ibi (in Samaria) ſi„ ti ſunt Eliſæus, & Abdias propheta, & (quo major inter natos „ mulierum non fuit) Joannes Baptiſta: ubi multis intremuit conſter„ nata mirabilibus: namque cernebat variis dæmones rugire crucia„ tibus, & ante ſepulcra Sanctorum ululare homines more luporum, „ vocibus latrare earum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugi„ re taurorum. Alios rotare caput, & poſt tergum, terram vertice„ tangere, ſuſpenſiſque pede feminis, veſtes non defluere in faciem.

9 Atque hanc ipſam in Dæmones poteſtatem, aliorum Sanctorum reliquias habuiſſe diſcimus ex iis, quæ Trombellius capite XIX differt. VII tradidit: quibus ea addere potes, quæ ex Hilario (b), Hieronymo & Paulino aſſequimur [c]. Atque ex his quidem conſtat, unde nam hanc virtutem Sanctorum reliquiæ habeant, nempe ex divina voluntate argumento hoc denotante, quam ſibi acceptæ fuerint Sanctorum virtutes, & quanto præmio eas in cælis afficiat, cum tanto in honore ipſas Sanctorum exuvias habere velit. Sed hoc de argumento cum luculentiſſime diſſeruerit Trombellius [e], qui de cura ab Eccleſia conſtanter adhibita in ſecernendis reliquiis veris a falſis pariter diſſeruit (f), de eo multa dicere ſuperſedeo. Porro ex iis quæ hactenus vel tradidimus, vel allegavimus, conſtat non ad illud tempus, quo Chriſtus, & Sancti vixerunt, coaſtatam fuiſſe virtutem edendorum miraculorum, ſed eam periiſſe Chriſto, & Sanctis mortali vita functis, in eorum exuviis. An hæ venerationem a primis uſque Eccleſiæ ſeculis fuerint aſſecutæ, diſces a Trombellio, eo de argumento diſputante capite ſecundo, & ſequentibus diſſertationis VIII.

10 Quæ de virtute divina ſanitatem conferente, fide vero miſel-

[a] epiſt. olim 27; in Veron. editio. 108. cap. 6. aliat n. 13. (b) contra Conſtant. n. 8. & lib. XI de Trin. n. 3. [c] contra Vigilan. cap. n. 11. (d) In natali 7. S. Felicis n. 7. v. 45. *Cernitur illa dies &c.* (e) diſſer. IV. cap. 19, & 20. (f) diſſer. VIII. cap. 17, & 18.

Digitized by Google

fellorum, ut tuis utar verbis [*a*], *per inſtrumentum internum*, *ceu cauſam aliquam inſtrumentalem*: Petri vero umbra, & collariis veluti per ſymbolum ſanantibus dicis, ſic excipio. De divina virtute ſanitatem conferente nulla eſt diſceptatio; id enim fateor, & conſtantiſſime aſſero: quod vero fides inſtrumentum ſeu cauſa inſtrumentalis ſit, inauditum eſt: id enim inſtrumentum, ſeu cauſa inſtrumentalis dicitur, per quod aliquod agitur: per fidem porro, ſi proprie loqui volumus, non ſunt peracta miracula, ſed per umbram Petri, & Pauli ſemicinctia (quod pro portione de reliquiis dic) *fide ægrotantium fere impetrante*. Dixi *fere*: nam procul dubio cum Petrus ſanitati reſtituit eum, qui ad *ſpecioſam portam templi* petebat eleemoſynam, ad fidem illius non reſpexit: hinc umbra, & ſemicinctia dicenda ſunt inſtrumenta ſanitatis collatæ, minime vero fides, quæ impetrat. O quam aptius rem hanc explicavit Trombellius, dum expreſſiſſime in divinam efficientiam hæc ipſa miracula referens hæc ſcripta reliquit [*a*]: „ Miracula per Sanctorum reliquias effecta [ſi fugam „ dęmonum ex horrore quodam atque odio adverſus ſacras reliquias „ exortam exceperis [qua de re alibi diſputabimus], unice refero in „ Dei actionem, in Sanctorum interceſſionem, & poſcentium fidem, „ quę quidem nulli alligata ſunt reliquiarum generi, adeo ut aſſerere non „ poſſimus majora, aut celerius edi per Sanctorum corpora, quam per „ reliquias ſanctificatas miracula, vel tribui beneficia.

AD

[*a*] pag. 469. (*b*) diſſer. VII. cap. IV. n. XV. pag. 36.

AD EXERCITATIONEM XIII.

In qua Kieslingius affirmat, *Sanctorum, eorumque Reliquiarum, & Imaginum cultum deducere ad ſuperſtitionem.*

CAPUT I.

1 TIbi hic non ſuccenſeo Kieslingi, quod loco minime apto non modo de reliquiis, verum etiam de imaginibus ſermonem inſtituas. Tibi, qui nullum dicendorum ordinem tibi propoſuiſti, licet quodcunque vis, tametſi certus fores reliquiarum, & imaginum diſputationem in poſteriores diſſertationes a Trombellio fuiſſe rejectam. Tibi itaque obſequor, & quæ adverſus Trombellium objicis, placide audio, & ſine iracundia, eaque ſummatim Lectori expono. Propoſuerat ſibi Trombellius ſolutionem argumenti, quod capite XXI ſibi objecerat, deducti ſcilicet ex periculo ſuperſtitionis facile in Sanctorum cultum irrepentis, monueratque capite XXIV *a*], *præciſe negandum eſſe per adhibitum Sanctorum cultum viam ſterni ad ſuperſtitionem. Etenim ſi quis error, aut malus dolus irrepſit, is vel caſu irrepſit, vel hominum, non cultus ipſius vitio. Eccleſia vero merito cultum approbans, fervaujque, errores, & dolos evellere ſtudet; novit enim, non eſſe a ritibus quibuſque, quos inficere ſuperſtitio poſſit, aut improbitas aliqua, abſtinendum, ſed potius adhibendam eſſe cautionem, ne quid imprudentibus fortaſſe noceat; utilesque, ac probas conſuetudines, quæ apud Pontificios magno numero ſunt, ab inutilibus, & illaudabilibus diligenter ſecernendas.*

2 At cenſor noſter omnino vult ſuperſtitione infectum Sanctorum cultum. Ut id oſtendat, initium a mendacio ſumit. Huic ipſi objectioni capite XXI a Trombellio ſibi propoſitæ [*b*]: *In idolatriam jam per hujuſmodi cultum adducti ſunt ante Chriſtum natum ſive Ægyptii, ſive Ebræi fortaſſe non pauci, qui Jeremiæ cadaver, veluti Deum quendam in monumento ſuperſtitem coluerunt* huic, inquam, objectioni ad hunc modum is reſpondit [*c*]: „ Ceterum ea quæ attulerunt exempla, ut ſu„ perſtitionem in Sanctorum cultum aliquando illapſam fuiſſe oſten„ derent, haud opportuna ſunt. Summos quidem honores cadaveri Je„ remiæ prophetæ delatos intelligimus, at divinos honores eidem ca„ daveri fuiſſe adhibitos minime nos docent ea ipſa monumenta, ad quæ „ nos allegant Proteſtantes. En quæ ſcribat Epiphanius, ſeu alius, „ quisquis eſt auctor libri, qui præpoſito Epiphanii nomine de pro„ phetis

(*a*) n. 1. pag. 313. (*b*) n. 2. pag. 303. [*c*] pag. 313.

„ phetarum vitis inſcribitur, Petavio interprete. „ Ægyptii ob acce-
„ ptum ab illo beneficium, ſummum ei honorem habuerunt. Cum e-
„ nim aſpides, & aquatiles beſtiæ, quas Ægyptii Nephot, Græci cro-
„ codilos vocant, exitium illis inferrent, orante Jeremia propheta,
„ tam aſpidum in terra furor, & rabies, quam in fluvio belluarum
„ inſidiæ compreſsæ ſunt. Unde ad hoc uſque tempus Fideles, qui
„ illic ſunt, omnes orare in eodem loco ſolent, ſumptoque pulvere,
„ morſibus aſpidum medentur, & crocodilos fugant. Id ipſum tradit Iſi-
„ dorus hęc de Jeremia elocutus: „ *Inſigni eum veneratione, ampliſſimoque honore iidem Ægyptii colunt, ſepulcrumque ejus inſigni cultu hactenus venerantur*. His vero poſitis, quibus Hieronymum addit, ſive alium quemlibet ſub Hieronymi nomine latentem ſcriptorem affinia elocutum, hæc demum concludit: „ At ubinam ab his edocemur divinos honores fuiſſe ab
„ Ægyptiis, Jeremiæ ejuſque cadaveri adhibitos? neque enim, quod
„ magna eum religione Ægyptii venerarentur, conjicere poteris divino
„ cultu Jeremiam fuiſſe honoratum. Vide quæ nuper tradidimus. Et
„ ſane religioſe venerari aliquem poſſumus, ſicuti religioſe ſecretum
„ ſervamus, amicitiam fœduſque initum cuſtodimus, & id genus alia,
„ quæ a divino honore remotiſſima ſunt. „ Tum vero per rhetoricam conceſſionem, quæ apud Scholaſticos vera omiſſio eſt, monet mirum non eſſe, ſi fortaſſe divinum cultum ſepulcro Jeremiæ detulerint Ægyptii, qui beſtias ipſas divinis honoribus afficiebant. Sed id cultum ipſum Sanctorum minime inficit: ſi qua enim eſt culpa, Ægyptiorum ipſorum culpa eſt, non cultus ipſius.

3 Audite vero, quomodo Kieslingius hæc referat, illiuſque candorem, ac ſinceritatem admiramini. *Quod de ſuperſtitione* (inquit ille (*a*)) *in rem optimam, vitio hominum, quandoque irrepente Venere Abbas dixit, id ſtatim cultui Jeremiæ ab Ægyptiis inſtituto probare intendit. Ægyptii, inquit, ob acceptum ab illo beneficium ſuorum &c.* deſcribit ſcilicet locum eum Epiphanii (ſi Epiphanius is eſt) quem nuper allegavi.

4 Sed profecto neque Trombellius verba illa Epiphanii recitavit, ut oſtenderet in Sanctorum cultum ſuperſtitionem irrepſiſſe, ſed potius monuit negandum eſſe ex verbis iis id inferri: neque ſane id verba Epiphanii, aliorumque Scriptorum, quos allegavit, exhibent. Sed hæc, uti diximus, ſinceritas Kieslingii eſt, qui adeo etiam diligens eſt in referendis Trombellii verbis, ut quod de Collyridianis divinis honoribus Mariam Sanctiſſimam venerantibus ille dixerat, de Ægyptiis Jeremiæ reliquias venerantibus dixiſſe velit. Aliud quoque conſilium mox capit Kieslingius, ut ſcilicet in dubium vocet id quod narratur a Scriptoribus his, quorum numero Zonaram, & Tertullianum adjungit. Deſcriptis ſcilicet Saliani id ipſum affirmantis verbis, monitoque Lectore, Saliano aſſentiri Richardum Simonem, & Calmetum, hæc adjicit

(*a*) pag. 472.

jicit: (a) *Quibus quidem non prorſus calculum denegat Cel. Pridoſius Anglus; attamen non ſine cauſa de veritate rerum, quas Tertullianus, Epiphanius, Hieronymus, & Zonaras ex incertis documentis de Jeremiæ fatis & factis tradiderunt, aliquantiſper dubitat, & multa, quæ narrantur, pro incertis conjecturis habet.* Addit Scipionem Sgambatum, quem *infucatum* Romanæ Eccleſiæ teſtem appellat, & tamen narrationi huic fidem denegantem.

5 Ad quæ quidem mea hæc eſt reſponſio: Negari non poteſt, quin eorum valde probabilis opinio ſit, qui putant, ea quæ narrant Scriptores ii, quos jam allegavimus, vera eſſe. Quod ſi dubia velis, non valde angor; quippe Catholici ex ea narratione leve commodum ſe trahere profitentur: ſummum autem ex narrationibus aliis, quas tametſi ex Auguſtino, & præclariſſimis aliis Scriptoribus deſumptas, omittit prorſus Kieslingius, qui dum Tertullianum inter eos recenſet, qui Jeremiam ab Ægyptiis peculiari cultu affectum teſtantur, rem plane novam tradit, cujus ſi probationes attuliſſet, rem acceptiſſimam feciſſet nobis.

6 At rurſus conſilium aliud capit Kieslingius. Omittit ſcilicet ſingularem hanc quæſtionem: *num Ægyptii Jeremiæ reliquias coluerint, an non*, & generatim monet ſuperſtitioſum eſſe genus illud cultus, quod Catholici Sanctorum reliquiis adhibent. Cur vero? quia ſcilicet, *ſi originem, finem, & rationem reliquias colendi conſideraveris*, idem eſt plane cultus, quem Catholici reliquiis Sanctorum *deferunt, atque is, quem Ægyptii Jeremiæ reliquiis deferebant. Ejecit, quod planum eſt, Gentilium ſuperſtitionem, & idololatriam Romanenſium cœtus, & puriori cultui eſt addictus. Id tamen non dixerim, reliquiarum cultum ab omni ſuperſtitionis macula eſſe liberum. Nam exiguum, aut plane nullum eſt diſcrimen hujus obſequii Romanos inter, & Ægyptios, ſi originem, finem, & rationem reliquias colendi conſideraveris.* Tum multa adjungit circa cultum Jeremiæ, & Joſepho ab Ægyptiis adhibitum, eum comparans cum eo, quem Pontificii Sanctis deferunt, ejuſdemque generis eſſe teſtificans. Tum hæc adjungit: *Si igitur tale pietatis officium Sanctis ob miracula & beneficia eſt ſtatuendum, facilem habent Ægyptii, facillimamque Romanenſes ſuæ ſuperſtitionis excuſationem. Ne tanti quidem Romanenſium cultus Sanctorum, ab Ægyptiorum cultu Jeremiæ reliquiis adhibito, differt.* Tamen Ægyptios ſuperſtitionis in cultu, quem Jeremiæ, & Joſepho deferebant, omnes accuſant. Cur itaque ſuperſtitionis non accuſabuntur Pontificii?

7 Quod ſi quis diſcrimen aliquod inter eum, quem diximus ab Ægyptiis delatum cultum, & eum, quem deferunt Pontificii, intereſſe putet, ſtatim probare nititur Kieslingius [b] eandem fuiſſe apud Ægyptios, ac nunc apud Catholicos eſt, Sanctos venerandi rationem. Scilicet (c) *Ægyptii de Jeremiæ ſperarunt, cum tanta apud Deum eſſet auctoritatis, ut quidquid vellet, agere poſſet, divino adjutus auxilio,*

[a] pag. 473. [b] §. V. pag. 475. (c) §. VI. pag. 476.

Nonne Romanenſes eadem de Sanctulis ſuis lactantur ſpe, & iiſdem precibus, votis, & aliis ſtudiis ad cultum religioſum pertinentibus illis præſtant venerationem? Nonne normam quæ in cultu divino aſſervanda eſt, derelinquunt, & pluſquam rei natura fert, attribuunt Sanctis? Non admiratur Ven. Trombellius hanc ſuperſtitionem in populo, qui quaslibet creaturas divino proſecutus eſt cultu. Quid ſi ego, ſtupore commotus, dicerem: me maxima cum admiratione vidiſſe res creatas, Sanctorum reliquias, veſtium centunculos, & alios Sanctulorum tribones pio cultu afficere, eoſdem oſculari, coram iis procidere, & ſua ad hæc ſordida, & annis fere exuſta aſſumenta effundere deſideria. Lege quæſo bone Abbas Breviarium Romanum de Sancta Cruce; tecum hæc verba reputa; quin & tecum habita, & noris, quam curta in cultu religioſo Romanenſibus ſit ſupellex. Relege hæc aurea verba.

O Crux ave ſpes unica,
Hoc paſſionis tempore.
Auge piis juſtitiam,
Reiſque dona veniam:

Si igitur Ægyptiorum mores reprehendis, quos ego ipſe ſuperſtitionis accuſo, merito & hanc crucis & omnium reliquiarum venerationem relegare debes: eſt enim lignum, in quo nullum ſalutis noſtræ meritum eſt quærendum. Utinam nunc adeſſet æquus diſceptationis noſtræ cenſor, qui Palemoniis rem exploraret oculis, & dubiam prorſus decideret ſententiam! O ſi libero ab omnibus præoccupatis perſuaſionibus animo judicium ferret, quid de his Romanæ Eccleſiæ lenociniis ſit ſtatuendum! id nunc in fine diſſertationis diſcutiendum indagandumque eſt, num huic Sanctorum cultui adhæreat crimen? Demum in declamationes effuſus monet ſuperſtitioſum eſſe cultum, quem Catholici Sanctis deferunt [*a*], quia *Sanctorum cultus plus quam humanam, & certe divinam ingenerat mortalibus de Sanctis opinionem, qui modo mediatores, modo rerum humanarum & Orbis præſides, modo Dei amici & adminiſtri intimi, modo potentes & polleutes virtute, & auxilio interceſſores, modo denique opitulatores appellantur, & invocantur longe benigniſſimi.* Tum alia multa his affinia adjungit ille, in reliquiarum, & imaginum cultum evagatus: tum demum laudato hac de cauſa Platone, utpote qui (*b*) *ſatis ſobrie, & appoſite cultum imaginum religioſum deſtruit, & ſimulacra non majoris pretii, quam alias res æſtimat animatas*, iram ſuam, ac rabiem in Catholicos effundit, quos quidem inanimas ipſas imagines adorare ait, ſuperſtitioſiſſimos quoque affirmat eſſe; nam ſuperſtitioſiſſimos, ſi Kieslingium audis [*c*], *tot novorum Sanctorum conſecrationes, tot efficta Sanctarum imaginum miracula, tot inſolentia reliquiarum ex catacombis eruturum nomina, tot denique inuſitata in re ſacra molimina ſatis declarant.*

8 Adjicit vero hortationem ad Catholicos Præſules, ut inſtituta ſua relinquant, adhæreantque Lutheranorum caſtigatiſſimis conſuetudinibus:

(*a*) §. VII. pag. 477. (*b*) §. VIII. pag. 478. (*c*) pag. 479.

nibus: tum recitatis Petri Moretti verbis, qui abesse vult ab Ecclesiasticis ritibus superstitionem omnem, atque in iis eminere ait *proprietatem, concordiam, & majestatem*: cum tamen Trombellius fateatur multa in Sanctorum cultum irrepere posse quæ emendatione egeant: denique ad hunc modum libro suo finem his verbis imponit. (*a*) *Corollem nunc bis, quas ad Tom. I spectare vidi, Exercitationibus impono, argumenta de reliquiis, & imaginibus Sanctorum subsequentibus reservaturus dissertationibus, quæ nobis in hoc Romana Ecclesiæ abusus inquirendi suppeditabunt occasionem satis opportunam. Si forte B. Lector quædam momenta suo ex judicio ulterius excutienda offenderit, id non meæ naturæ, sed instituti rationi tribuet. Si enim varia varii generis, qua in his Exercitationibus occurrunt, argumenta calamo pertexere, & prolixe tractare voluissem, intra limites se non continuisset labor. Spondeo insuper recipioque, quædam momenta non tanti esse ponderis, ut ea singulari tractione duxerim enucleanda esse. Circumcidi proinde, & amputavi argumentorum multitudinem, ne dum prolixus sum, res ubivis obvias afferrem. Volui potius illorum, qui solidiora & jucundiora lectionis exposcunt argumenta, satietati mederi, quam diffuso & spisso opere ipsis creare fastidium.*

9 At ne sine responsione hæc Kieslingii deliria maneant, ajo confiteri quidem Trombellium permotos fuisse Ægyptios, ut Jeremiæ memoriam, & sacras reliquias venerarentur, a beneficiis, quæ ab eo fuerant assecuti, atque se gratos illi protestarentur: at minime confiteri *adhibitam esse talem colendi rationem, qua divinos honores imitaretur, neque id superstitioso Ægyptiorum populo* facile condonandum. Nimirum Trombellius [quod jam dixi] pernegat divinos honores sacris Jeremiæ reliquiis ab Ægyptiis fuisse delatos: allatis quippe Epiphanii, Hieronymi, & Isidori verbis, hæc demum concludit (*b*): *At ubinam ab his edocemur divinos honores fuisse ab Ægyptiis Jeremiæ, ejusque cadaveri adhibitos? neque enim quod magna eum (Jeremiam) religione Ægyptii venerarentur, conjicere poteris, divino cultu Jeremiam fuisse honoratum. Vide quæ nuper tradidimus. Et sane religiose venerari aliquem possumus, sicut religiose secretum servamus, amicitiam, fœdusque initum custodimus, & id genus alia, quæ a divino honore remotissima sunt.*

10 Quod si demum per rhetoricam concessionem expostcenti indulget, ut dicat divinos honores Jeremiæ reliquiis fortasse fuisse ab Ægyptiis adhibitos, ubinam legis id *superstitioso Ægyptiorum* populo facile condonasse Trombellium? Tu pro more fingis Kieslingi, & Trombellio viro religiosissimo imponis, quod ne somniavit quidem. Immo si quis probet, re vera ab Ægyptiis divinos honores fuisse adhibitos Jeremiæ, ejusque reliquiis, id summum in modum detestandum dicet.

11 Fingis porro rursus, cum hæc dixisse Trombellium ais: *Si enim Deus Sanctos in terris degentes suis beneficiis exornavit, ipsi ob gloriam, qua nunc gaudent, eadem solatia aliis largiri poterunt.* Dic Kieslin-

(*a*) §. IX. pag. 480. (*b*) n. IV. pag. 314.

Digitized by Google

gi candidiſſime, ubi hæc legiſti in Trombellio? Volve quantum libet decem illas, quas non breves edidit de Sanctorum cultu Diſſertationes, verba hæc non invenies, quæ ſane nec dixit, nec dicturus eſt Trombellius, quia & *malam cauſalem* continent, & ſi ita pronunciantur, ut tu pronuncias, beneficiorum auctores videntur deſcribere Sanctos: quod utique ferendum non eſt. Et tamen cum hæc agas, hæc proferre non dubitas: *Sincera cum Venerabili Abbate agam fide.* Si ſinceritas hæc eſt, quidnam vafrities erit, & dolus malus? Quæ porro deinceps toto §. IV ais, ſic facile diluo. Divini honores tum deferuntur, quum quis agnoſcitur ſupremus auctor eorum, quæ poſcimus, & impetramus: id porro proteſtari conſuevimus Sacrificio, quia cum mactatione victimæ teſtamur eum eſſe dominum vitæ, & mortis, & talis excellentiæ, & præſtantiæ, ut viventis vita conſecrari illi, & in illius honorem devoveri poſſit. Id tu oſtende a Catholicis fieri, & manus victas dabo. Quæ deinceps de votis quæ Sanctis facimus, deſpe quam in iis ponimus, atque aliis hujus generis, objicis, quibus veterem recinis cantilenam, explicata ſunt, & diſſoluta a Trombellio Diſſertatione VII, & ſequentibus, ut tu quidem noſti, ſed tamen diſſimulas, ut Catholicorum reprehenſione, Lipſienſibus placeas.

12 Quod de Cruce invocata rurſus objicis [nam alibi id quoque objeciſti], ſolutum eſt primo capite XXXV Diſſertationis VIII [*a*] & expreſſiſſime capite XXXXII Diſſertationis X Trombellii [*b*]. Summa reſponſionis hæc eſt: Chriſtum Cruce ſignificari. Mirum itaque non eſt, ſi ad eum preces noſtras, ſupplicationeſque dirigimus, atque ab eo peccatorum veniam petimus. An negabis Crucis ſigno Chriſtum ipſum ſignificari, & ad eum dirigi honores eos, quos Cruci deferimus? Id ſane copioſe oſtendit Trombellius, tum aliis quidem in locis, tum expreſſius capite XLIV Diſſertationis IX. Ingeniose porro Kieslingi nii, quoniam rationum momentis cares, quibus Catholicorum ritus redarguas, ad Rhetoricas declamationes converteris. Vindicati ſunt a Trombellio ritus omnes Catholicorum, in quo quidem argumento quintam, & ſubſequentes Diſſertationes impendit. Affirmavit præſertim nullum prorſus honorem tribui reliquiis [*c*], & imaginibus ipſis: (*d*) Affirmavit quoque exteriores illas honoris ſignificationes, quas Sanctis, eorumque imaginibus, & reliquiis adhibemus, indifferentes per ſe eſſe, nec divini, ſupremive cultus eſſe declarationes: (*e*) determinari vero ab animo, atque intentione illius, qui eas adhibet. Nemo vero quum eas adhibet, ut Sanctos colat, ad eum finem adhibet, ut veluti Deos colat diviniſque honoribus eos afficiat. Hæc omnia, atque hoc proſtremum præſertim tu noveras, & tamen diſſimulas, ut ſcilicet ſimiles inſanæ Gentilium plebis, Catholicos eſſe pronuncies, atque in eos Pla-

[*a*] n. 9, & ſequent. pag. 416, & 417. [*b*] n. 23. pag. 231.
(*c*) Diſſert. VIII. cap. 35, & 36. [*d*] Diſſert. X. cap. XXXX.
[*e*] Diſſert. IV. cap. 23.

Platonis monita intorqueas, quæ tum apta erunt, quum Catholici muta atque inanima ipsa simulacra adorabunt. Non adversatur porro Trombellio Morettus. Is fatetur hominum vitio aliquando superstitionem in cultum sancte institutum irrepsisse. Loquitur vero Morettus de institutionibus ipsis Ecclesiasticis, quas a superstitione alieniſſimas esse ait. Sed & hoc ipsum ait Trombellius, qui Ecclesiasticas sanctiones & sacras, vetustasque consuetudines sanctiſſimas esse affirmat, & cus justis superstitionis expertes. Coronidem ego quoque, Kieslingi mi, Vindiciis his impono, te monens, ut si deinceps scribere quidpiam velis non barbare, sed latine, ordinatim quoque, & decore scribas, nec ubique intermisceas quæstiones extraneas, gentilium fabulas, & verba obscena: sine declamationibus etiam, & mendaciis: neque dissimules, ut tuis placeas, iisque ingeniosus appareas, Catholicorum responsiones, qui de te conqueruntur, quod multa iis apposueris, quæ ne somniarunt quidem, prætermiseris vero, aut saltem prave descripseris ea, quibus ritus suos, ac consuetudines vindicant. Id dum non exsequeris, neque ego, neque alius quispiam reliquis scriptis tuis quidquam reponet. Quis enim ad eorum scripta respondebit, *quorum doctrina fatuitas?* [a]

FINIS.

(a) Prov. XVI. 22.

INDEX

Ad Exercitationem I. *Proponuntur, quæ adversus Primam Kieslingii exercitationem dicenda ducimus; atque iis ad tria capita coarctatis primum instituimus; ideſt Censorem hunc noſtrum recte non enarraſſe quæ tradit Trombellius; immo nec ipſum quæſtionis ſtatum probe expoſuiſſe.* pagina 1

Ad Exercitationem II, & III, quæ inſcribuntur: *De Cultu qui a vero deflectit, & de ſtilo Excellentiarum Cultu.* 26

Ad Exercitationem IV, V, & VI, quæ inſcribuntur: *De Vanitate cultus Mariani ob excellentiam. De Origine cultus Mariani. De figmento cultus ob excellentiam medii.* pag. 30

Ad Exercitationem VII. *Priora Kieslingii argumenta afferuntur, ac diſſolvuntur.* 35

Ad Exercitationem VIII, quam Kieslingius inſcribit: *De uſu vocis Adoratio.* 57

Ad Exercitationes *adverſus Secundam Trombellii Diſſertationem a Kieslingio conſcriptas.* 61

Ad Exercitationem II. *quam* de Porphyrio, & Juliano *Kieslingius inſcribit.* 62

Ad Exercitationem III. quæ ſic inſcribitur a Kieslingio: *de Mahumetanis, Sanctis Romanenſium infenſis, ſed cultui Mahumeti prorſus addictis.* 70

Ad Exercitationem IV. quę inſcribitur: *de Judæis Sanctorum hoſtibus.* 72

Ad Exercitationem V. quę ſic inſcribitur: *De Baſilidianis impuriſſimis Idolorum, & Imaginum cultoribus Romanæ Eccleſiæ facile donandis.* 78

Ad Exercitationem VI. quę *de Cainis, ſeu Cajanis* inſcribitur. 83

Ad Exercitationem VII. quæ inſcribitur: *de Euſtatio, & Concilii Gangrenſis Decreto.* 84

Ad

Ad Exercitationem VIII. cui pręponitur titulus : *de Eunomianis, & Arianis.* 89
Ad Exercitationem IX. quę eſt *de Concilio Eliberitano Cultui imaginum oppoſito*; & ad Exercitationem X. quę inſcribitur : *de Jovinianо, & Vigilantio.* 92
Ad Exercitationem XI. quæ eſt *de Philippico Bardane.* pag. 98
Ad Exercitationem XII, quæ inſcribitur : *de Leone Iſauro.* 107
Ad Exercitationem XIII. quę inſcribitnr : *de Conſtantino Copronymo.* 109
Ad Exercitationem XIV. quę eſt : *de Leone IV Imperatore.* 111
Ad Exercitationem XV. quæ eſt : *de Concilio Nicæno II Sanctorum cultui propitio.* 113
Ad Exercitationem XVI. quæ inſcribitur : *de Concilio Francofurtano ad Mœnum, Nicæno II oppoſito.* 120
Ad Exercitationem XVII. cui præponitur titulus : *de Leone Armeno*; & ad Exercitationem XVIII. quæ eſt : *de Michaele Balbo, & Theophilo.* 130
Ad Exercitationem XIX. quę inſcribitur : *de Epiphanio Iconoclaſta*; & ad Exercitationem XX. quæ inſcribitur: *de Sereno Maſſilienſi.* 132
Ad Exercitationem XXI. cui hic apponitur titulus : *de Claudio Taurinenſi.* 136
Ad Exercitationem XXII. quę inſcribitur : *de Catharis, & Waldenſibus.* 140
Ad Exercitationem XXIII. quę inſcribitur : *de Wiclefo ſcilicet Wiclepho incomparabili Veritatis teſte.* 147
Ad Exercitationem XXIV. quę eſt : *de Joanne Huſſio, Hieronymo Pragenſi, eorumque Sectatoribus.* 150
Ad Exercitationem XXV. quę inſcribitur : *de Luthero Sanctorum cultui haud amico.* 152

Digitized by Google

Ad Exercitationes adverſus Diſſertationem III. de vario Nominis *Sanctus* uſu. 155
Ad Exercitationem II. quæ inſcribitur: *de Sanctorum Conſecratione.* 159
Ad Exercitationem III. quę inſcribitur: *de dubio Sanctorum judicio.* 165
Ad Exercitationem IV. quę inſcribitur: *de Eccleſia Primitiva per tria ſecula Sanctorum invocationis haud rea.* pag. 170
Ad Exercitationem V. cui prefigitur titulus: *de Sanctorum Interceſſione.* 177
Ad Exercitationem VI. quę inſcribitur: *de lubrica Eccleſiæ Romanæ auctoritate.* 178
Ad Exercitationem VII. hoc modo inſcriptam: *de interceſſione Sanctorum variis dictis Scripturæ Sacræ falſo afficta.* 185
Ad Exercitationem VIII. in qua (ut Kieslingius quidem ait): *de Vindiciis effatorum Zachariæ, Tobiæ, & Jobi agitur.* 198
Ad §. VII Exercitationis VIII. & ad Exercitationem IX. quam Kieslingius appellat: *de dictis nonnullis Scripturæ a falſa interpretatione vindicatis.* 213
Ad Exercitationem IX. quę inſcribitur: *de dictis nonnullis Scripturæ Sacræ a falſa interpretatione vindicatis.* 217
Ad Exercitationem X. quæ inſcribitur: *de nimio Patrum aſtimio.* 230
Ad Exercitationem XI. in qua jactitat Kieslingius, ſe *nonnulla Patrum teſtimonia globulis involuta diſſolvere.* pag. 235
Ad Exercitationem XII. quam Cenſor noſter ad hunc modum inſcribit: *Vindiciæ Patrum continuantur.* 239
Ad Exercitationem XIII. quam Kieslingius inſcribit: *de Ritibus in primitiva Eccleſia circa Martyres & pie defunctos conſuetis.* 244
Ad Exercitationem XIV. *qua* (ut Kieslingius ait) *Auguſtini teſtimonia admodum ambigua ſub limam vocantur.* 248

Ad

Ad Exercitationem XV. quę a Kieslingio inſcribitur: *de Interceſſione Sanctorum ex variis Sacri Codicis dictis extorta*. 251

Ad Exercitationem XVI. quę inſcribitur: *de interceſſione Sanctorum e Symbolo Apoſtolico exterminata*. 259

Ad Exercitationem XVII. cui hic eſt titulus: *de Origine Internunciorum, ſeu Mediatorum, quos Eccleſia Romana veneratur, Sanctorum*. 263

Ad Exercitationem XVIII. in qua, ut inquit Kieslingius, *Generalis Sanctorum deprecatio vindicatur*. 272

Ad Exercitationem XIX. cui titulum hunc Kieslingius, tribuit: *de levidenſi Romanenſium in percipiendis per Sanctos beneficiis, ſubterfugio*. 276

Ad Exercitationem XX. quam inſcribit Kieslingius: *de Socia, quæ fingitur Sanctorum in expoſcendis beneficiis, & auxiliis ferendis, opera*. 290

Ad Exercitationem XXI. in qua, ſi Kieslingio credimus: *Sanctorum merita in interceſſione ficta refelluntur, & dicta Sacri Codicis vindicantur*. 292

Ad Exercitationem XXII. in qua, ut Kieslingius ait: *duo argumenta ab utilitate, & efficacia precum, quas Sancti emittere dicuntur, deſumpta breviter diluuntur*. 298

Ad Exercitationem XXIII. quam Kieslingius inſcribit: *de precibus Sanctorum pro univerſa Eccleſia effuſis*. 300

Ad Exercitationem XXIV. cujus hic eſt titulus: *Modus, quo defuncti rerum humanarum conſcii eſſe dicuntur, rite diluitur*. 323

Ad Exercitationem XXV. quam inſcribit Kieslingius: *de Fructuoſo, & S. Polycarpo pro tota Eccleſia rogantibus*. pag. 332

Ad Exercitationem XXVI. quę hunc titulum habet: *de Rebus terrenis, & humanis, a Sanctis fruſtra expoſcendis*. 336

Ad

Ad Exercitationes, quas adversus IV Trombellii Dissertationem scribit Kieslingius: ac primo quidem ad Exercitationem I, quam inscribit: *de Angelo fœderis Josuæ prope Jericunthem apparente*. 339

Ad Exercitationem II quæ hunc titulum habet: *de cultu Angelorum Justino Martyri frustra afficto*. 356

Ad Exercitationem III. in qua, ut Kieslingii fert titulus: *Nonnulla Scripturæ Sacræ dicta a Gryphis solvuntur*. 373

Ad Exercitationem IV *qua* (opinione Kieslingii) *duo potissimum Sacri codicis dicta diluuntur*. 379

Ad Exercitationem V. *qua* (ut falso Kieslingius ait) *Canon Synodi Laodicenæ a cavillis vindicatur*. 399

Ad Exercitationem VI. in *qua* (ut falso Kieslingius ait) *Verus Sanctorum honor traditur*. 435

Ad Exercitationem VII. quę inscribitur a Kieslingio: *de Vano, qui Sanctis immediate defertur, cultu*. 443

Ad Exercitationem VIII. *in qua* (Kieslingio tamen judice) *Voluntas Dei signi in colendis Sanctis confutatur*. 457

Ad Exercitationem IX. cui hic apponitur titulus: *Miracula, & beneficia per Sanctorum reliquias facta ipsorum non confirmare cultum, asseritur*. 462

Ad Exercitationem X. quam *de Justo Reliquiarum æstimio*, Kieslingius inscribit. 473

Ad Exercitationem XI. quę hunc titulum habet: *de Cultus Reliquiarum in Romana Ecclesia origine*. 476

Ad Exercitationem XII. quæ inscribitur: *de Rationibus quibus Reliquiarum cultus innititur*. 486

Ad Exercitationem XIII. in qua Kieslingius affirmat: *Sanctorum, eorumque Reliquiarum, & Imaginum cultum deducere ad superstitionem*. 495

FINIS.

NOS

NOS DOMNUS

BARTHOLOMÆUS RASPONI RAVENNAS

Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanæ S. Salvatoris, Ordinis S. Auguſtini, ABBAS GENERALIS

Dilecto Nobis in Chriſto Reverendiſs. Patri D. Jo. Chryſoſtomo Trombelli, Sacr. Theol. Lectori Emerito, & S. Salvatoris Bononiæ Abbati Salutem in Domino.

Quum, uti Nobis relatum eſt, Priorum quatuor tuarum de Cultu Sanctorum Diſſertationum, quas alias edidiſti, VINDICIÆ contra Kieslingium hominem Lutheranum, ab uno e noſtris Canonicis perfectæ fuerint, eaque a tribus noſtræ Congregationis Theologis juſſu noſtro viſæ, & approbatæ ſint: per has literas facultatem tibi libentiſſime impertimur, ut eaſdem evulges. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

In quorum fidem has dedimus in noſtra Canonica S. Joannis Evangeliſtæ, Ravennæ, IV Non. Novembris MDCCXLIX.

D. Bartholomæus Raſponi Abbas Generalis &c.

Reg. fol. 64.

Loco ✠ Sigilli.

D. Thomas Rita Cancellarius, & Sacræ Theologiæ Lector Emeritus.

Vidit

Digitized by Google

Vidit D. Aurelius Caſtanea Clericus Regularis Sanctli Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino PP. BENEDICTO XIV. Archiepiſcopo Bononiæ.

Apologiſta præſtantiſſimi operis de Cultu Sanctorum a Reverendiſſimo P. Abbate Trombelli Rhenanæ Congregationis Canonico paucis ab hinc annis in lucem edito Catholicæ, Romanæque fidei conſtantiſſimum ſe prodit aſſertorem, avitæ traditionis vindicem, Sacræ Scripturæ ſolertiſſimum, ſummeque ingenuum expoſitorem, ita ut nervoſæ reſponſiones Cl. Kieslingio exhibitæ nullo negotio, & Catholicum confirmet dogma, & ejuſdem boſtes, ne dicam Kieslingium ipſum, proſternat, atque viriliter confundat, quapropter glorioſum fore cenſeo, ut tantum opus ad gloriam, & ornamentum Romanæ Eccleſiæ typis evulgetur, ſi P. V. Reverendiſſimæ videbitur.

Datum ex Monaſterio S. Joannis Baptiſtæ Monachorum Cæleſtinorum O. S. B. hac die 13. Novembris anni 1749.

Ego D. Alexander Cialli præfati Monaſterii Abbas, & in Bononienſi Archigymnaſio publicus Profeſſor.

Die 11. Januarii 1750.

Attenta ſupra expreſſa atteſtatione

IMPRIMATUR

F. Thomas Maria de Angelis S. Officii Bononiæ Generalis Inquiſitor manu propria.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google